~~100.~~
100.

Tatharillo & Papirio
ffano vid: vitam Papirij
Romi per Jac: Rig: Thiamii.
eiusdem



FRANCISCI HOTOMANNI

ICti celeberrimi

FRANCO-GALLIA

JUXTA EDITIONEM

Francofurt: adauctam

Accessit


ANTONII MATHARELLI

Reginæ Galliæ à rebus procurandis primarii

RESPONSIO

QUÆ DIRECTA AD EDITIONEM Genevensem, quæ Anno 1573. prodiit, in quâ deficiunt ea capita, quæ in indice Asterisco notata reperiuntur.







FRANCOFURTI,

Apud GEORG FICKWIRT.

M. DC. LXV.

EX ELOGIO FRANCISCI Hotomanni à Petro Neveleto Doscho JC. conscripto ad V.C. Jacobum Bongarsium Bodrianum, Regium in Germania Legatum.

Igitur cum instituta majorum tueri sapientis, & periclitanti patriæ non succurrere impii esse intelligeret: Sanandis patriæ carissimæ vulneribus nobilem illam hominumque sermonibus jactatam Francogalliam & quibusdam nō impune post paulo impugnatam, & à nonnullis etiam post ejus obitum incalumniam, quasi mens ei fuisset ex hæreditario facere regnum electivum, nequiter contortam, emisit, quæ certè Gallicani hujus imperii initia, fundamenta, progresum, disciplinam, leges servando & amplificando regno latas ex veterum auctorum scriptis in lucem revocatas ante oculos posuit omnium, ut quibus artibus regnum hoc ex parvo maximum eset à majoribus nostris factum iisdem jam in ruinæ confinio positum conservaretur.

FRAN-



FRANCISCI HOTOMANI in Franco-Galliam ſuam

PRÆFATIO.

Olim ad Illuſtriſſimum Principem ac Dominum, Dominum Fridericum, Comitem Palatinum ad Rhenum, Ducem Bavariæ, S.R.I. Electorem, annis ſc. abhinc 91. perſcripta, & primæ illius opuſculi editioni præfixa.

*ETVS verbum eſt, Illuſtriſſime Princeps,* Patria eſt ubicumque eſt bene, *Teucro Telamonis filio attributum, multiſque ſeculis comprobatum. Nam fortis animi excelſique videtur eſſe, ut cœtera incommoda, ſic etiam exilium, æquo animo fer-*

re, ingratæque patriæ, tanquam novercæ, injurias contemnere. Verùm, ego longè esse arbitror secus: Nam si parentum mores, atque adeò asperitatem iniquius ferre, sceleratum, ac propè impium videtur, quanto magis patriæ, quam sapientes omnes, una & mente & vocè, semper parentibus anteposuerunt? Est quidem hominis securi, & de suis tantùm commodis cogitantis, patriæ caritatem suis opportunitatibus metiri; sed illa tanta securitas, pars quædam ejus immanitatis videtur, quæ propria, vel Epicuræorum, vel Cynicorum fuit, unde vox illa furialis profecta est, Me mortuo, terra misceatur incendio. *A qua ne illud quidem vetus Tyrannicum abhorret:* Pereant amici, dum unà inimici intercidant. *Est in mansuetis ingeniis*

geniis caritas quædam innata patriæ, quæ deleri, nisi cum reliquis humanitatis sensibus non potest. Qualem caritatem Homerus *in Vlysse describit, qui patriam Ithacam saxis præruptis & asperis, tanquam nidulum, affixam, omnibus tamen deliciis, atque adeo Regno sibi à Calypsone oblato anteposuit.*

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Afficit, immemores nec sinit esse sui,

ut verè Poeta vetus cecinit: cùm & cœli, unde primum spiritum duximus, & soli in quo prima vestigia posuimus, & cognatorum, propinquorum, æqualiumque nobis in mentem venit. Verumenimverò, dicet aliquis, delira interdum

patria est, mentisque errore afficitur, ut Plato *de sua locutus est. Interdum etjam furore amens crudeliter bacchatur, atq; in sua viscera sævit. Primùm cautio est, ne alienam culpam innocenti patriæ ascribamus. Multi Romæ, multi aliis in locis Tyranni immanes fuerunt, hi non modò bonos viros, verumetiam benemeritos de patria cives omnibus cruciatibus afficiebant. Continuo ne verum fuit, illorum insanias patriæ acceptas ferre? Memoratur Imperatoris Macrini crudelitas: quem* Iulius Capitolinus *Macellinum nominatum scribit, propterea quòd domus ejus, ut macellũ sanguine pecudum, sic illa hominum sanguine cruentabatur. Complures alij passim ab historicis commemorantur: quorũ alius* (ut idem Capitolinus scribit) *ab eadem crudelitate Cyclops, alius Busiris,*

alius Siron, alius Typhon, alius Gyges nominatus est. Cum illi sic animum induxissent, regna & imperia nisi crudelitate retineri non posse. Idcircone cura omnis & solicitudo patriæ, civibus bonis abiicienda fuit? imo verò tanquam oppressæ & miseræ & natorum opem imploranti succurrendum, remediaque modis omnibus conquirenda. Quamquam, ô fortunatas bonis & mansuetis Principibus regiones! ô beatos cives, quibus Principum suorum benignitate, tranquillè licet in patriis avitisque sedibus, cum conjugibus & liberis consenescere! Nam plerunque certè usu venit, ut remedia malis ipsis, quibus ea quæruntur, deteriora sint. Anni sunt, ut opinor, sexdecim, Princeps Illustrissime, ex quo Deus optimus maximus partem Germaniæ Rhenanæ non exiguam fidei ac

potestati C. T. commendavit. Vix dici potest, quantam ex eo tempore tranquillitatem, & tanquam in pacato mari malaciam toto Palatinatu videre licuerit: quâm pacata semper sedataque omnia, quàm piè, sanctè, & religiosè constituta! Macte igitur ista mansuetudine esto, Clementissime Princeps! quod ego, quantum & animi & corporis viribus contendere possum, iterum exclamo: Macte ista virtute esto! placida & mansueta: non quemadmodum Seneca *memoriæ prodidit moris apud Romanos fuisse, ut sanguinolentis & ex acie redeuntibus, Macellinis denique cruore madentibus diceretur, Macte virtute esto! Sed macte ista Mansuetudine animi, Clementia, Pietate, Justitia, Facilitate, & imperij ac ditionis tuæ Tranquillitate. Atque hic cùm ferè sit vestræ Germaniæ*

sta-

ſtatus, quemadmodum qui navigationem instituunt, freta turbulenta, & tumultuoſa devitant, ſedatos ac tranquillos curſus quærunt: ſimiliter quamplurimi hodie regiones latrociniis infeſtas fugiunt, tranquillas & pacatas quærunt. Ac fuit tempus, cùm in Francogalliam noſtram undique ex omnibus terrarum oris, ſeſe ſtudioſi adoleſcentes effunderent, & ad noſtras Academias, tanquam ad bonarum artium mercaturam conferrent: nunc illas, quaſi maria piratis infeſta horrent, neque ſecus quàm Cyclopicam barbariem execrantur. Cujus rei meum pectus memoria exulcerat, cùm cogito, miſeram & infortunatam patriam duodecim jam ferè annorum ſpatio incendiis civilibus exarſiſſe. Sed multo me acerbior excruciat dolor, cum conſidero, non modò tam

 multos

multos esse otiosos incendiorum spectatores, (qualem olim Neronem Romæ conflagrantis fuisse memorant) verumetiam flammas illas impiorum quorundam vocibus ac libellis, tanquam flabellis, excitari: ad eas autem extinguendas perpaucos ac ferè nullos accurrere. Mea quidem quam sit tenuis, quamque humilis conditio, non sum ignarus. Sed tamen ut in communi incendio si quis quantumvis abjecta fortuna sitellam aquæ deferat, studium credo ejus nemo repudiet: ita spero neminem patriæ communis amantem, meam hanc in quærendis remediis operam aspernaturum. (Anno 1572. & 1573.) Superioribus quidem mensibus in tantarum calamitatum cogitatione defixus, veteres Francogalliæ nostræ historicos & Gallos & Germanos evolui, summamque ex eorum

rum

rum ſcriptis confeci ejus ſtatus, quem annos amplius mille in Republica noſtra viguiſſe teſtantur. Ex qua incredibile dictu eſt, quantam majorum noſtrorum in conſtituenda Republica noſtra ſapientiam cognoſcere liceat: ut mihi quidem nequaquam dubium eſſe videatur, quin ab illa certiſſimum tantorum malorum remedium petendum ſit. Nam mihi attentius in iſtarum calamitatum cauſſam inquirenti, ſic videbatur: Sicuti corpora noſtra vel externo impulſu atque ictu, vel inteſtinis humorum vitiis, vel ſeniò intereunt: ita Rerumpublicarum alias hoſtili impetu, alias domeſticis diſſenſionibus, alias vetuſtate confici. Noſtræ autem Reipublicæ incommoda, etſi vulgò ex inteſtinis diſſidiis nata exiſtimantur, tamen hanc non cauſſam, ſed principium malorum eſſe animadverti:

quod principium à caussa plurimum discrepare, gravis auctor inprimis Polybius *demonstrat. Caussam autem confirmo esse plagam, quam annis abhinc circiter centum ab illo accepit, quem constat primum omnium præclara majorum nostrorum instituta labefactasse. Quemadmodum autem corpora nostra externo aliquo ictu luxata sanari, nisi membris suum quibusque in locum & naturalem sedem restitutis, non possunt: ita Rempublicam nostram tum denique sanatam iri confidimus, cùm in suum antiquum & tanquam naturalem statum divino aliquo beneficio restituetur. Et quia C. T. patriæ nostræ semper se amicissimam præbuit, optimum factu judicavi, summam hanc historiæ nostræ Illustrissimo tuo nomini inscribere, quasique consecrare: ut*

ejus

ejus patrocinio atque auctoritate tutior in hominum manus pervenire possit. Vale Illustrissime Princeps, & Salve. Deum opt. max. oro, ut Illustrissimum genus Vestrum perpetuò beatissimum ac florentissimum esse patiatur. XII. Kalendas Septemb. MDLXXIII.

Illustriss. C. T.

obsequentissimus

Franc. Hotomanus.

INDEX

INDEX CAPITVM:

Quorum quæ asterisco notata sunt, hac editione accesserunt.

22 *De*

FRAN-



FRANC. HOTOM. JURISC. FRANCO-GALLIA.

De statu Galliæ priusquam à Romanis in provinciam redigeretur.

CAP. I.

COGITANTI mihi de Francogalliæ nostræ institutis, quantum ad usum Reipub. nostræ, & horum temporum opportunitatem satis esse videbitur, conscribere: principiò exponendum videtur, qui Galliæ status fuerit, antequam à Romanis in Provinciæ formam redigeretur. Nam quæ de gentis origine & antiquitate, de bellicis laudibus eloquentiæ studio, regionis situ & natura, privatorumque moribus apud Cæsarem, Polybium, Strabonem, Ammianum & reliquos scripta extant, nota sunt omnibus, mediocriter quidem eruditis. Pleraque Gallia

(inquibat M. ille Cato Cenſorius in Originibus) duas res induſtrioſiſſime perſequitur: rem militarem, & argutiſſime loqui. Intelligendum eſt igitur, eo tum ſtatu Galliam fuiſſe, ut neque univerſa unius imperio regeretur: neque ſingulæ civitates vel in populi, vel in Optimatum poteſtate eſſent: ſed ita diviſam in Civitates Galliam univerſam fuiſſe, ut pleræque Optimatum conſilio regerentur, quæ Liberæ dicebantur: ceteræ Reges haberent: omnes quidem hoc inſtitutum tenerent, ut certo anni tempore publicum gentis concilium agerent: quo in concilio quæ ad ſummam Reipub. pertinere videbantur, conſtituerent. Civitates autem quatuor & ſexaginta Corn. Tacitus numerat lib.3. hoc eſt, ut ex Cęſare intelligitur, Regiões, quę non modò lingua, moribus, & inſtitutis, verùm etiam ijſdem magiſtratibus utebantur: quales ipſe multis locis Æduorũ, Arvernorũ, & Rhemorũ civitates præcipuè cõmẽorat. Itaq; cùm Æduũ Dumnorigẽ Cæſar interficiendũ cu-

curaret, resistere, inquit, ac se manu defendere, suorumq; fidẽ implorare cœpit: sępe clamitans, liberum se, liberæque civitatis esse. libro quinto, cap. 3. Quapropter in eandem sententiam Strabo lib. 4. ita scribit: ἀριστοκρατικαὶ δ' ἦσαν αἱ πλείους τῶν πολιτειῶν· ἕνα δ' ἡγεμόνα ᾑροῦντο κατ' ἐνιαυτὸν τὸ παλαιόν· ὡς δ' αὔτως εἰς πόλεμον εἷς ὑπὸ τοῦ πλήθους ἀπεδείκνυτο στρατηγός. Pleræque, inquit, civitates Optimatum consiliis regebantur: unum aut magistratum olim quotannis deligebant: sicut & ad bellum gerendum unus à populo imperator creabatur. Eodem pertinet quod Cæsar lib. 6. cap. 4. his scribit verbis: Quæ civitates commodius suam Remp. administrare existimantur, habent legibus sancitum, si quis quid de Reipub. à finitimis rumore aut fama acceperit, ut ad Magistratum deferat, neve cum quo alio communicet: Magistratus quæ visa sunt, occultant: quæque esse ex usu judicaverint, multitudini produnt. De Rep. nisi per concilium loqui non conceditur. De communi verò totius Gentis

concilio pauca hæc ex Cæsare testimonia proferemus. Petierunt,(inquit lib.1.cap.12.) uti sibi concilium totius Galliæ in diem certam indicere, idque Cæsaris voluntate facere liceret. Item lib.7.cap.12. Totius Galliæ concilium Bibracte indicitur. eodem conveniunt undique frequentes multitudines. Et lib.6.cap.1. Cæsar concilio Galliæ primo vere (ut instituerat) indicto, cùm reliqui præter Senones, Carnutes, Trevirosque venissent, concilium Lutetiam Parisiorum transfert. Et lib.7.cap.6. Quæ ab reliquis Galliis civitates dissentiebant, has sua diligentia (de Vercingentorige loquitur) adjuncturum, atque unum concilium totius Galliæ effecturum, cui concilio ne orbis quidem terrarum possit obsistere. Jam verò de regibus, qui civitatibus quibusdam præerant, loca sunt apud eundem auctorem propè innumera: ex quibus illud memoria dignum intelligitur, moris fuisse Romanis, ut quos Regulos ad suas rationes accommodatos, id est,
ad

ad res novas, conturbandasque civitates & inimicitias cum aliis exercendas idoneos judicabant, eos ſibi amicitia & ſocietate adjungerent: ſummique honoris ac beneficii loco, ſocios atque amicos ſuos honorificentiſſimis decretis appellarent: eumque verborum honorem reges exteri complures magnis largitionibus à civitatis Romanæ principibus comparabant. Reges autem vel Regulos potius, Galli eos nominabant, qui non ad tempus, ut civitatum magiſtratus: ſed in perpetuum, regium imperium quantumvis exiguis finibus obtinebant: quos immutata temporum conſuetudo, Duces, Comites, Marchiones appellavit. Earum porrò civitatum aliæ aliis potentiores erant: quarum ſe in fidem & clientelam, quæ minus per ſe poterant, ſtudiosè conferebant. Has Cæſar ſuperiorum ſtipendiarias, vectigales, & earum imperio ſubjectas appellat. Plerunque tamen in fide aliarum eſſe ſcribit. Regnante Romæ Priſco Tarquinio (inquit Livius lib.5.)

Celtarum penes Bituriges summa imperij fuit: ij Regem Celtis dabant. Adventu Cæsaris in Galliam, (qui fuit annus ab urbe condita DCXCV.) Galliæ totius factiones erant duæ. Harum alterius principatum tenebant Ædui: alterius, Arverni: multosque annos de potentatu inter se contenderant. Sed illa contentio ea re magnoperè augebatur, quòd Bituriges Arvernorum finitimi, in fide & imperio Æduorum erant. Sequani contrà, Æduorum finitimi, in Arvernorum fide. lib. 1. cap. 12. lib. 6. cap. 4. Cùm has Gallorum contentiones Romani ad suas rationes, id est, ad suam potentiam amplificandam aptissimas judicarent, studiosè illas alebant. Itaque Æduos in societatem asciverunt, eósque exquisito verborum honore Fratres consanguineosque suos appellarunt. In Æduorum fide & clientela reperio fuisse primùm Senones, quibus cum Parisij paulò antè suam civitatem fœdere & societate conjunxerant. lib. 6. cap. 1. tum Bellovacos, quorum tamen

men erat civitas magna, & plurimum inter Belgas & virtute, & auctoritate, & hominum multitudine valebat, lib.2.cap.4.& lib.7.cap.7. Subimperio Nerviorum Cæsar numerat Centrones, Grudios, Lævacos, Pleumosios, Gordunos. lib.5.cap.11. Trevirorum clientes idem numerat Eburones, & Condrusos. lib.4.cap.1. Venetorum autem civitatis (hi sunt in Armorica) longè amplissimam auctoritatem idem fuisse scribit omnium oræ maritimæ regionum earum omnesque ferè qui eo mari uti consueverant, illius fuisse vectigales. lib.3.ca. 2. Arvernorum autem tanta erat amplitudo, ut non modò se Æduis adæquarent, verumetiam paulò ante Cæsaris adventum magnam clientũ partem ab illis ad se traduxissent. li. 6.ca. 4. lib.7.cap.10. Itaque Strabo lib. 4. scribit, eos quadringentis hominum millibus duce Vercingentorige bellũ adversus Cæsarem gessisse. Hi ab regio imperio abhorrebant. Itaque cùm Celtillus Vercingentorigis pater

summæ potentiæ atque auctoritatis esset, eoque totius Galliæ principatum obtineret, ob eam causam quòd Regnum appetebat, ab civitate Interfectus fuerat. lib. 7. ca. 1. Sequani contrà Catamantaledem Regem habebant, quem Romani amicum ac sociũ appellarant. lib. 1. cap. 2. Suessiones quoq; qui latissimos feracissimosq; agros possidebant, oppidaq; habebant numero XII, & armatorũ L. millia conficere poterant, Divitiacũ totius Galliæ potentissimũ Regẽ paulo antè habuerant: qui non tantum magnæ partis Belgarum, verum etiam Britanniæ imperium obtinuerat, Cæsaris adventu Regem Galbam habebant. lib. 2. cap. 1. In Aquitania Pisonis cujusdam Aquitani avus regnum obtinuerat, & à Romanis amicus appellatus fuerat. libro 4. cap. 3. Senones quoque, quæ fuit civitas in primis firma, & magnæ inter Gallos auctoritatis, quodam tempore Moritasgum regem habuerant, cujus etiam majores regnum in eadem civitate obtinuerant. lib. 5. ca.
13. Item

13. Item Nitiobriges Olloviconem Regem habuerat, Amicum à Senatu Roman. appellatum, libro 7. cap. 6. In illis porrò regnis illud observatione dignum, neque leviter prætereundum videtur: primùm quòd hæreditaria non erant, sed à populo propter justitiæ opinionem deferebantur: deinde quòd Reges non infinitum, solutum & effrenatum imperium habebant: sed certis legibus ita circunscriptum, ut non minus ipsi in populi, quàm populus in ipsorum ditione ac potestate esset: ut ferè illa regna nihil aliud, nisi magistratus perpetui viderentur. Nam multos Cæsar nominat privatos, quorum tamen parentes ac majores regnum obtinuerant: in his Casticum Catamantaledis filium, cujus pater in Sequanis multos annos regnum obtinuerat, lib. 1. cap. 2. Item Pisonem Aquitanum libro 4. capite 3. Item Tasgetium, cujus majores in Carnutum civitate cum Regio imperio fuerant. lib. 5. cap. 8. De imperij verò & potestatis modo, Ambiorix

rex Eburonum apud eundem auctorem ita loquitur,(lib.5. cap.8.) Sua esse ejusmodi imperia,ut non minus haberet in se juris multitudo, quam ipse in multitudinem. Quam optimam ac prestantissimam Reipub. formam esse, propterea Plato & Aristoteles, & Polybius,& Cicero judicarunt,quòd regalis dominatus, si sine freno, ut ait Plato, relinquatur, ubi in tantam omnium rerum potestatem, tanquam in lubricum locum,venerit, facillimè in tyrannidem delabitur. qua de caussa, inquit, Optimatum & delectorum auctoritate, quibus eam potestatem populus permittit, tanquam freno coercendus est.

Quæ priscis temporibus Gallorum lingua fuisse videatur.

CAP. II.

HOC loco non prætermittenda quæstio videtur, multorum eruditorum hominum tractata disputationib⁹ Gallorum sermo fuerit. Namquæ

quæ ad religiones, & privatorum mores, ceteraque instituta pertinent, Cæsar (ut ante diximus) copiose exposuit. Primùm autem meminisse oportet, quod idem auctor initio Commentariorum scribit, cùm Gallorum alij Belgæ alij Aquitani, alij Celtæ essent, omnes non modo institutis, verumetiam lingua inter se discepasse. Quod aperte Stra. lib. 4. testatur, ubi ait eos ὁμογλώττους non fuisse, ἀλλ᾽ ἐνίους μικρὸν παραλλάττοντας γλώτταις. Idemque Ammianus Marcell. lib. 15. confirmat. Quod verò doctissimi complures, ac præsertim nostri populares, disputant, Gallos Græca lingua usos fuisse, vel ex eo solo refelli potest, quod Cæsar li. 5, cap. 12. commemorat, cùm Q. Cicero à Gallis obsessus suis in castris teneretur, epistolam ei se Græcis literis scriptam misisse, ne, si interciperetur, sua consilia à Gallis cognoscerentur. item lib. 1. cap. 4. Ubi scribit, se cum Divitiaco Dumnorigis fratre, per C. Valerium Troacillum, principem Galliæ provinciæ, familiarem suum,

ſuum;remotis quotidianis interpretibus,locutum eſſe. Nam Troacillus civis R. factus & Latinæ & Gallicæ linguæ uſum habebat. Quod ſi Divitiacus Græcæ linguæ notitiam habuiſſet, quid Cæſari ad colloquium cum eo inſtituendum interprete opus fuiſſet? Eodem etiam illud Ciceronis pertinet in Orat. pro Fontejo: Ubi de Gallis loquens: Hi vagantur, inquit, læti atque erecti, paſſim toto foro, cum quibuſdam minis, & barbaro atque immani terrore verborum. Nam Græcam linguam Ciceroni barbaram atque immanem fuiſſe, nemo, opinor, exiſtimarit. Ulpianus in l. Fideicommiſſa, 11. D. de Legat. 3. Fideicommiſſa quocunque ſermone relinqui poſſunt: non ſolum Latina vel Græca, ſed etiam Punica, vel Gallicana, vel alterius cujuſcunque generis lingua. Sed occurritur ab nonnullis, proferentibus Strabonis locum ex eodem lib. 4. ubi ſcribit, omnium optimarum artium, ac præſertim Græcarum literarum, ſtudia Maſſiliæ viguiſſe: uſque

eò

eò ut Galli eorum exemplo Græcæ linguæ ſtudio caperentur:&jam pacta conventaque Græcè ſcriberent. ὁ φιλέλληνας (inquit) κατεσκεύασε τοὺς Γαλάτας, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνιστὶ γράφειν. Verùm huic objectioni facilis & expedita reſponſio eſt. Primum enim ſi Galli Maſſilienſium exemplo Græcam linguam diſcebant, an non perſpicuum eſt vernaculam illam eorum linguam non fuiſſe? Deinde Strabo eodem loco non obſcurè oſtendit morem illum pacta & contractus Græcè ſcribendi, ſuo demum tempore initium cepiſſe, cùm jam univerſa Gallia Romanis parere didiciſſet. Præterea de ijs tantum præcisè loquitur, qui Maſſilienſibus erant finitimi: quibus in locis non modò privati complures, verumetiam civitates, inquit, doctos viros Maſſilia publico conſilio propoſitis honorarijs juadventutē ſuam inſtituendam evocabant. Cum tamen alijs pleriſque in Galliæ locis Academiæ florerent, in quibus ſermone Gallico artes ac diſciplinæ juventuti tradebantur, quod Hiero-

Hierony. ad Rusticum scribens his ostendit verbis: *Mater post studia Galliarum quæ florentissima sunt, misit te Romam, ut ubertatem, nitoremque Gallici sermonis gravitas Romana condiret*. Super est locus ille apud Cæsarem, ubi ait, Gallos in publicis privatisque rationibus Græcis literis usos fuisse. Sed videamus ne vox GRÆCIS eo loco non modò ut supervacanea, verum etiam ut importuna & adulterina tollenda sit: quippe, cùm ad Cæsaris sententiam exprimendam satis fuisset dixisse, Gallos in sola Druydum disciplina literis & scriptione usos non esse: in cæteris omnibus, & privatis & publicis rationibus, literis usos esse. Nam *Uti literis*, pro Scribere, locutio est Latinis auctoribus crebrò usitata. Fabius lib. 11. cap. 11. *Quanquam invenio apud Platonem, obstare memoriæ usum literarum*. Præterea repugnant, Gallos linguæ græcæ imperitos fuisse: (quod Cæsar illo superiore loco dixerat) & vulgo tabulas rationesq; suas publicas ac

ac privatas græcis literis conscripsisse. Quod autem plerique existimant, græcas literas eo loco nō proscriptione, sed pro formis literarum usurpari: nobis propterea minus probatur, quod locis innumeris (ut modò dicebamus) veteres scriptores Uti literis dixerūt pro Scribere: at pro, formas literarū ducere, quantū adhuc observare licuit, nusquam. Neq; enim illos adjuvat, quod idem Cōmentario primo scripserat, repertas in Helvetiorum castris tabulas, literis græcis conscriptas: quasi verò qui græcis literarum notis scribere didicerat, nō idem eadē opera græco sermone scribere didicisset: aut non esse potuerint in Helvetia vel sacerdotes, vel adolescentes nobiles, qui, ut hodie tam multi sunt qui Latinè didicerunt, ita literas græcas, quæ tum in honore & pretio erant, perdiscere potuerint. Quam opinionē vel unica Massiliensis scholæ vicinitas refellit. Itaque idem Cæsar lib. 5. ubi de illa sua ad Ciceronem

epistola

epiſtola loquitur: Hanc, inquit, Græcis conſcriptam literis mittit: ne intercepta epiſtola, noſtra ab hoſtibus conſilia cognoſcantur. Juſtin.lib.20. Facto S. C. nequis poſtea Carthaginenſis aut literas Græcas, aut ſermonem ſtuderet, ne aut loqui cum hoſte, aut ſcribere ſine interprete poſſet. Tacitus de moribus Germ. Monumenta & tumulos quoſdam Græcis literis inſcriptos in confinio Germaniæ Rhetiæque adhuc extare. Livius lib.9. Vulgò tum Romanos pueros, ſicut nunc Græcis, ita Hetruſcis literis erudiri ſolitos. Idem lib.25. Ibique aram Annibal condidit, dedicavitque cum ingenti rerum ab ſe geſtarum titulo, Punicis Græciſque literis inſculpto. Item lib.40. Literis Latinis Græciſque utraque ara inſcripta erat. Ulpianus Juriſc. tit. de inſtitor. act. Proſcribere ſic accipimus, claris literis, utrum Græcis, an Latinis? Puto ſecundum loci conditionem; ne quis cauſari poſſit ignorantiam literarum. Trebell. Pollio in Æmiliano: Fertur, enim a-

pud

pud Memphim in aurea columna Ægyptijs literis scriptum, tunc demum, &c. Denique non arbitror isto sensu dicturum Cæsarem fuisse, græcis literis scribere: sed potius Græcarum literarum forma, vel figura, vel notis. Velut apud Tacitum lib.11. Novas literarum formas addidit: comperto Græcam literaturam non simul cœptam absolutamque. Et mox: Et formæ literis Latinis quæ vetertimis Græcorum. Item apud Paulum Jurisc. sub. tit. De oblig. & actionibus. Non figura literarum, sed oratione quam exprimunt literæ, obligamur. Item apud Cicero. Tuscul. 1. Aut qui sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis literarum notis terminavit. Ac ne quis nimiopere admiretur vocem GRÆCIS apud Cæsarem irrepsisse, proferam similem casum apud Plinium lib. 8. cap. 57. ubi sic scriptum est: Gentium consensus tacitus primum omnium conspiravit, ut IONUM literis uterentur. Ex mox, Sequens gentium consensus in tonsoribus fuit.

Et mox: tertius consensus est in horarum observatione. Nam vocem JONUM tollendam esse, quis non videt? non tam quia planè supervacanea est: (nam ad Plinij institutum satisfuit dicere, primum Gentium consensum fuisse in scriptione & literatura) quàm quia falsum est, JONUM primas fuisse literas ut ipse Plin. superiore primo capite docuit, & Tacitus lib. 11. Animadverti tamen apud Gregorium Turon. lib. 5. & Aimoinum lib. 3. cap. 41. locos duos, quibus significari videtur, Gallos Græcarum literarum notis usos fuisse. nam ubi de Chilperico Rege loquuntur: Addidit (inquiunt) & literas literis nostris: id est ω, ψ, ζ, φ, & misit epistolas in universas civitates regni sui, ut sic pueri docerentur. Apud Aimoinum autem tres tantùm ponuntur χ, θ, φ. Verùm intelligendum est, Francos istos fuisse, non Gallos: vel potius Francogallos: qui Germanica lingua, id est, pàtria & nativa, non illa veterum Gallorum, quæ Romanorum dominatu obsoleverat, utebantur.

tur, deinde si Francogalli Græcis literis usi fuissent, quid ita reliquas omnes, his solis exceptis, usurpassent? Verùm hæc quidem plus satis. Superest eorum opinio, qui putant Gallos Germanica lingua usos fuisse: quos vel unus ille Cæsaris lib. 1. refellit locus, in quo scribit, Ariovistum propter longinquam in Gallia consuetudinem lingua Gallica usum esse. Eò accedat Taciti locus ille ex lib. De moribus German. Equibus Marsigni & Burij sermone cultuque Suevos referunt, Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos. Planius autem hoc confirmat Suetonius in Caligula: conversus hinc, inquit, ad curam triumphi, præter captivos & transfugas Barbaros, Galliarum quoque procerissimum quemque, & (ut ipse dicebat) ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit, ac seposuit ad pompam, coëgitque non tantum rutilare, & submittere comam, sed & ser-

monem Germanicum addiſcere, & nomina Barbarica ferre. Ubi planius contrariæ ſententiæ teſtimonium Glareanus, & alij Glareanum ſecuti protulerint, fidem illis habendam exiſtimabo. Interea duabus de cauſis mihi eorum probabilis opinio videbitur qui ſcribunt, veterum Gallorum linguam propriam, atque ab aliarum gentium, præter quàm à Britannorum ſermone diſſimilem fuiſſe: primùm, quià Cæſar ſcribit moris fuiſſe, ut qui Druydum diſciplinam diligentius cognoſcere volebant, plerumque in Britanniam proficiſcerentur. Cùm autem libris nullis uterentur, conſentaneum eſt, illos eodem quo in Gallia ſermone uſos in docendo fuiſſe. Deinde quia Corn. Tacitus in Agricolæ vita ſcribit Britannorum & Gallorum ſermonem haud multum diverſum fuiſſe. Neque mihi Beati Rhenani conjectura diſplicet, qui ſermonem eorum qui hodie Britones Britonantes appellantur, veteris noſtræ linguæ relinguæ reliquias fuiſſe arbitratur:

cum alijs de caussis, tum præcipuè quia constat Britannos ab Anglis Saxonibus patria pulsos in eam regionem profugisse. Unde illa Eduardi I. Anglorum Regis lex vetus: *Britones Armorici, cùm venerint in Regno isto, suscipi debent & protegi, sicut probi cives de corpore regni hujus. Exierunt enim quondam de sanguine Britonum regni hujus.* Atque hæc quidem de prisca Gallorum lingua dicta sint. Nostram autem qua jam utimur, non difficile intellectu est, ex varijs variarum gentium sermonibus conflatam esse. Ac, si breviter dilucideque dicendum est, is quo jam utimur sermo, quadripartitò distribuendus est: ac dimidia ejus pars Romanis accepto ferenda: quemadmodum Otto Frisingensis testatur lib. Chronic. 4, cap. pen. & quivis Latinis literis tinctus potest animadvertere. Nam præterquam quòd ita natura ferebat, ut Galli Romanis subjecti ad eorum se mores & linguam lubenter accommodarent: satis constat, Romanos
 manos

manos ferendi fermonis Latini ftudiofiffimos fuiffe: ut per omnes gentes venerabilior diffunderetur: quemadmodnm Valerius Maximus teftatur: eaque de caufa ludos literarios paffim inftituiffe: veluti Augu.toduni, Vezontione, Lugduni: quod vel ex Tacito & Aufonio cognofci licet. Hierony. ad Ruftic. Ac poft ftudia Galliarum, quæ florentiffima funt, mifit Romam, ut ubertatem Gallici nitoremque fermonis gravitate Romana condiret. Itaque tantum in Gallia Latinæ linguæ confuetudo valuit, ut non modo leges ad fummam Regni & Reipublicæ pertinentes Latinis literis confcriberentur: (cujus rei cum vetuftiffima quæque monimenta teftimonio funt, tum etiam Regum antiquorum conftitutiones, quarum quædam extant in libro infcripto Stilus curiæ parlamenti: verùm etiam Latinè & litigaretur, fententiæ pronuntiarentur: ac præfertim litigandi rabiofa quadam confuetudine atque arte ex Pontificum Roman. curia

in

in Galliam introducta: potissimum autem ubi de sacerdotijs & eorum opimis vectigalibus litigari cœptum est. quod institutum ad nostram usque ætatem servari solitum. Edictum Francisci primi documento est, qui anno 1539. florescentibus bonis in Gallia literis edixit, ut Gallico sermone judicia exercerentur. Eodem accesserat Religionis disciplina & ratio. nam cum Latinis ab initio literis tradita fuisset, cujus rei veteres ecclesiastici testimonio sunt: Irenæus, episcopus Lugdunensis: Hilarius, Pictaviensis; Sidonius, Bituricensis: Salvianus, Massiliensis: Gregor. Turonensis: postea Rom. ritibus ac ceremonijs in Christianorum ecclesias introductis, multum ea consuetudo crevit. ac præsertim posteaquam Carolus Magnus Galliæ regnum Papæ Zachariæ ope consilioque adeptus, in tanti beneficij gratiam edixit, ut Romano more ritus ecclesiæ servarentur, & cantiones haberentur. quæ lex ipsius cum in Capitulari

tum in legibus Francicis his extat verbis; Ut cantum Romanum pleniter discant; ordinaliter per nocturnalia, vel graduale officium peragatur; secundum quod beatæ memoriæ genitor noster Pipinus Rex decretavit, ut fieret, quando Gallicanum tulit; & ob unanimitatem Apostolicæ sedis, & sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam. quod idem etiam Sigebertus sub anno 774. memoriæ prodidit. quæ res dici non potest, quantam & Gallicis ecclesijs caliginem offuderit, & pontificibus R. auctoritatem in negotijs religionis tribuerit. auctoritate cum illi adversus Galliæ Reges mirandum in modum abuterentur, repertus est Rex Carolus quintus, cognomento Sapiens, qui circiter annum MCCCLXX, tyrannidi Pontificum infensus sacra Biblia in linguā Gallicam convertenda curavit. quam translationem multis etiam nunc locis in Gallia nostra videre licet, cum hac inscriptione; DE MANDATO ET JUSSU REGIS CAROLI QUINTI. eamque
memini

memini me in Regia bibliotheca Fontaneblæi, anno 1563: iterumque anno 1567. vidisse. Altera verò ejus qua nunc utimur linguæ dimidia pars ita distribuenda est, ut partem unam priscis Gallis attribuamus, alteram Francis, postremam Græcorum literis. Nam Francorum, id est (ut paulò pòst docebimus) Germanorum, innumeras in quotidiano sermone nostro voces occurrere, jam pridem à multis demonstratum est. Ex Græcorum verò lingua complura vocabula ad usum traducta nostrum fuisse, multi quoque jam dudum eruditi viri ostenderunt. cujus rei causa non Druydibus (quos græcè non loquutos docuimus) sed Massiliensium institutis ac disciplinæ, de qua superius diximus, tribuenda est. Unde sensim ea consuetudo in reliquas Galliæ regiones manavit.

De statu Galliæ à Romanis in provinciæ formam redactæ.

CAP. III.

GAlliam à Romanis diu magnis sæpe cladibus tentatam, tandemque à C. Cæsare decenni propè bello, prælijsque compluribus domitam ac subactam fuisse atque ad extremum in provinciæ formam redactam, eruditis omnibus notum est. Hoc fortissimæ & bellicosissimæ gentis fatum fuit, ut Magnæ Belluæ (quemadmodum in sanctis literis appellatur) tandem aliquando pareret. cum qua tamen ita per annos octingentos (ut Josephus testatur) de imperio certarat, ut illa nullius alterius nationis armis æque terreretur. Itaque Plutarchus in Marcello & Camillo, Appianus in lib. de civilibus bell.2. Livius libro 8. & 10, memoriæ prodiderunt, Gallos Romanis usque eò formidabiles fuisse, ut lege sancitum haberent, ne vacationes à militia, quæ sacerdotibus & senibus permittebantur tumultu Gallico valerent, quod idem & Cicero Philippi.2. commemorat. itaque Saluft. in Jugurth. scribit Romanos omnibus temporibus ita sta-

ſtatuiſſe, alia omnia virtuti ſuæ prona eſſe: cum Gallis pro ſalute, non pro gloria certaſſe. Quin etiam Cæſar lib. 6. teſtatur, atque ex ejuſdem auctoritate Tacitus in lib. de moribus German. commemorat, fuiſſe tempus cùm Germanos Galli virtute ſuperarent, & ultrò bella inferrent: ac propter hominum multitudinem trans Rhenum colonias mitterent. Tantæ autem virtutis amiſſæ jacturam, idem Tacitus amiſſæ libertati tribuit: in libro de vita Agricolæ: Nam Gallos, inquit, in bellis floruiſſe accepimus: mox ſegnitia cum otio intravit, amiſſa virtute pariter ac libertate. Et quoniam amori patriæ nonnihil indulgendum eſt, age, præclarum inſuper illud de Gallorum virtute, Juſtini teſtimonium proferamus, ex libro 24. Namque Galli, inquit, abundanti multitudine cùm eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta millia hominum ad ſedes novas quærendas velut peregrinantem miſerunt. Ex his portio in Italia conſedit, quæ & urbem

urbem Romam captam incendit, & & portio Illyricos sinus per strages barbarorũ penetravit, & in Pannonia consedit: gens aspera, audax, bellicosa, quę prima post Herculẽ, cui ea res virtutis admirationem & immortalitatis fidẽ dedit, Alpiũ invicta juga, & frigore intractabilia loca transcẽdit. ibi domitis Pannonijs per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. Hortante deinde successu, divisis agminibus alij Græciam, alij Macedoniam, omnia ferro proterentes, petivere: tantusque terror Gallici nominis erat, ut etiam Reges non lacessiti ultrò pacem ingenti pecunia mercarentur. Item lib. sequen. Quanquam Gallorum ea tempestate tantæ fœcunditatis juventus fuit, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent. denique neque Reges Orientis, sine mercenario Gallorum exercitu, ulla bella gesserint: neque pulsi Regno ad alios quàm ad Gallos confugerint. Tantus terror Gallici nominis, sive armorum invicta felicitas erat, ut aliter neque majestatem suam tutam, neque amissam

sam

ſam recuperare ſe poſſe, ſine Gallica virtute, arbitrarentur. Atque hæc quidem de Gallorum bellicis laudibus & virtute dicta ſint: quæ tamen (quemadmodum ex Tacito modò dicebamus) amiſſa libertate interijt. Nonnullas tamen civitates poſt formam provinciæ à Romanis conſtitutam libertati ſuæ relictas, teſtis eſt Plinius libro 4. capite 17. veluti Nervios, Sueſſiones, Ulbaneſſes, Leucos: nonnullos etiam fœderatos: in ijs, Lingones, Rhemos, Carnutos, Æduos. quod etiam Tranquillus in *Julio* his confirmat verbis: Omnem Galliam quæ ſaltu Pyrenæo, Alpibusque, & monte Gebenna, fluminibusque Rheno & Rhodano continetur; patetque circuitu ad bis & tricies centena millia paſſuum: præter ſocias ac bene meritas civitates, in provinciæ formam redegit: eique in ſingulos annos ſeſtertiûm quadringenties ſtipendij nomine impoſuit. Quæ verò earum civitatem, quæ in provinciæ formam redactæ fuerant, forma

ma & ratio extiterit, facilè ex Critognati Arverni verbis intelligi potest, apud Cæsarem lib. 7. Quod si ea, inquit, quæ in longinquis nationibus geruntur, ignoratis: respicite finitimam Galliam, quæ in provinciam redacta, jure & legibus commutatis, securibus subjecta, perpetua premitur servitute. Itaque Cic. pro Fontejo, Referta, inquit, Gallia negotiatorum est: plena civium R. nemo Gallorum sine cive R. quicquam negotij gerit. numus in Gallia nullus sine civium R. tabulis commovetur. Triplex autem erat servitus: primum ut imposito præsidio firmarentur. quanquam quæ pacatæ satis & sedatæ provinciæ videbantur, in eas non magnæ copiæ mittebantur. Galliam certè Josephus libro belli Jud. 2. scribit, Imp. Titi tempore mille tantùm & ducentorum militum præsidio firmatam fuisse: quanquam, inquit, annos fere octingentos de libertate cum Romanis pugnarint: & penè plures civitates, quam Romanos milites

lites præsidiarios habeant. Alterum servitutis genus fuit, ut Provinciæ Romanis stipendiariæ ac vectigales essent, eoque nomine publicanos apud se habere cogerentur: id est harpiyas & hirudines, quæ provincialium sanguinem exugebant. Suetonius autem eo quem modo protulimus loco, itemque Eutropius lib. 6. memoriæ prodiderunt, Cæsarem subactæ Galliæ tributi nomine imperasse in annos singulos HS. quadringenties: hoc est, scutatorum, ut nunc loquimur, decies centena millia. Tertia provincialium servitus erat, ut ne legibus suis patrijs uterentur: sed magistratus à populo R. cum imperio & securibus mitterentur, qui apud eos jus dicerent. Hanc triplicem servitutem cùm omnes ferè provinciales, tum verò Galli nostri ægerrimè molestissimeque tulerunt. Itaque non longo post Cæsaris victorias intervallo, imperante Tiberio, Cornel. Tacit. auctor est, Galliæ civitates ob continuationem tributorũ, sævitiam fœno-
ris

ris; & superbiam præsidentium (hæc enim lib.3. illius verba sunt) rebellionem fecisse, pòst etiam Nerone imperante, Suetonius scribit, Gallos illius imperium pertæsos, ab ipso defecisse. Talem Principem (inquit cap. 40.) paulò minus per XIII. annos perpessus terrarum orbis tandem destituit: initium facientibus Gallis. Quam majorum nostrorum laudem eximiam satis pro dignitate prædicare non possumus, quòd primi omnium in orbe terrarum tam potentis Tyranni dominatum à suis cervicibus amoliri seseque ex immanis Tyranni servitute in libertatem vindicare cœperunt. Divisæ autem sunt à Romanis Galliæ omnes in sexdecim provincias: Viennensem, Narbonensem primam, Narbonensem secundam: Aquitaniam primam, Aquitaniam secundam, Novempopulanam Alpes maritimas, Belgicam primam, Belgicam secundam, Germaniam primam, Germaniam secundam, Lugdunensem 1. Lugdunensem 2, Lugdunensem tertiam,

tiam, Maximam Sequanorum, & Alpes Græcas, quemadmodum Antoninus in Itinerario, & Sextus Ruffus tradunt. *Subtilius* autem singulas enumerat Ammianus Marcellinus lib. 15. Nunc, ut ad institutum revertamur, incredibile dictu est, quàm indignè atque acerbè Galli Romanorum latrocinia tulerint: quamque crebræ ab ijs defectiones rebellionesque numerentur. quanquam cùm per se satis virium ad depellendam Romanorum tyrannidem non haberent, vetus *institutum* tenebant, ut Germanos mercede conductos ad suum auxilium evocarent. Unde Francicarum coloniarum semina primùm exorta sunt. Nam Germani sive à Romanis victi, sive (quod probabilius videtur) pretio empti, cœpere sensim in Galliæ finibus sedes collocare. Hinc illud Suetonij in Augusto: Germanos ultra Albim fluvium summovit: ex quibus Suevos & Sicambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno

agris collocavit. Idem in Tiberio: Germanico bello quadraginta millia dedititiorum trajecit in Galliam, juxtaque ripam Rheni sedibus assignatis collocavit. Neque verò prætereundum est, quod Flavius Vopiscus de Probi Cæsaris imperio memoriæ prodidit: quo tempore universa propè Gallia, hoc est, sexaginta civitates, ab imperio Romano desciverunt, armaque communi consilio libertatis recuperandæ caussa ceperunt: His gestis, inquit, cum ingenti exercitu Gallias petit, quæ omnes occiso Postumo turbatæ fuerunt, interfecto Aureliano à Germanis possessæ. Tanta autem illic prælia feliciter gessit, ut à Barbaris sexaginta per Gallias nobilissimas reciperet civitates. Et cùm jam per omnes Gallias securi vagarentur, cæsis propè quadringentis millibus, qui Romanum occupaverant solum, reliquias ultra Nicrum fluvium & Albim removit. Quàm crudelis autem & immanis Romanorum dominatus fuerit, quàm acerba

latro-

latrocinia, quàm tetra, & obſcœna vitæ conſuetudo, quantoque illa odio atque acerbitati *Gallis* hominibus, ſed præſertim Chriſtianis fuerit, nullius opinor ex ſcriptis, melius quàm ex Salviani Maſſilienſis Epiſcopi libris de providentia, cognoſci poteſt. Itaq; incredibile dictu eſt, quãtæ Germanarum gentium copię Gallis non modò faventibus, verum etiam adjuvantibus, ſeſe in Gallias effuderint. Unde illud Latini Pacati ad Theodoſium: *Unde igitur exordiar, niſi à tuis Gallia malis, quæ ex omnibus terris, quas illa peſtis inſederat, haud injuria tibi vindicas privilegium miſeriarum?* Earum autem Germanicarum gentium partem Francos noſtros fuiſſe, cùm ex Sidonio Apollinari, tum verò præſertim ex illius Saluiani locis complurib. planiſſimè intelligitur,

De ortu Francorum, qui Gallia occupata, ejus nomen in Franciam vel Francogalliam mutarunt.

CAP. IIII.

QUare instituti nostri ratio postulat, ut hoc loco de Francorum ortu, primisque sedib. & tanquam incunabulis inquiramus. Qua in disquisitione illud summè admirandum videtur, quòd cùm Francorum nomen per tot annos magnam totius Europæ partem occuparit, eamque Germaniæ gentem fuisse constet, tamen eorum mentio neque apud Ptolemæum, neque apud Strabonem, aut Plinium, ac ne apud Cornelium quidem Tacitum ulla reperiatur: qui tamen Germanicarum omnium gentium situs & nomina mira diligentia persecutus est. Nam de Francici quidem nominis amplitudine pauca hæc ex multis testimonia proferemus. Primùm ex Hieronym. in vita Hilarionis Heremitæ: Namque, inquit,

quit, candidatus Constantij Imperatoris, rutila coma, & candore corporis, indicans provinciam: inter Saxones quippe & Alemannos gens est non tam *læta*, quàm valida, apud historicos Germania, nunc verò Francia vocatur. Et paulò pòst: Et qui Francam tantum & Latinam linguam noverat. Item ex Johan. Nauclero, Generat. 27. ubi sic loquitur: Carolus Magnus Rex Francorum dicebatur: quod idem erat ac si nominatus fuisset Rex Germaniæ & Galliæ. Nam clarum est, quòd eo tempore omnis Gallia Transalpina, & etiam Germania, à montibus Pyrenæis usque in Pannonias, Francia dicebatur: illa, id est, Germanica, Francia Orientalis, in quo veræ historiæ consentiunt omnes. Hæc ille. Itaque Abbas Urspergensis in Carolo Calvo Franciam Orientalem Ostrofranciam appellat: Occidentalem autem Neustriam appellatam fuisse, quasi Westriam, annotavit Rhenanus. Unde Sigebert. in Chron. Ebroinum, inquit,

majorem domus Neustriæ. Et mox: Pipinus sibi Neustriam subjugat. Sic etiam Aimoinus lib. 4. cap. 27. & alibi persæpe. Chronicum verò Majoris Monasterij sic habet: Neustria est quicquid à Parisijs & Aurelianis interjacet inter Ligerim & Sequanam inferius usque ad Oceanum. Sic enim Abbas Ursperg. Et hac de caussa Otto Frising. duo Francorum regna numerat. Nam lib. 4. cap. 3. de donatione Constantini sic scribit: Exhinc Romana Ecclesia Occidentalia regna tanquam sui juris à Constantino sibi tradita affirmat: in argumentumque tributum, exceptis duobus Francorum regnis usque hodie exigere non dubitat. Eguinarthus in vita Caroli Magni, Carolus, inquit, regnum Francorum quod post patrem Pipinum magnum quidem & forte susceperat, ita nobiliter ampliavit, ut pene duplum illi adjecerit. Nam cum prius non amplius quam ea pars Galliæ, quæ intra Rhenum & Ligerim, Oceanumque & mare Balearicum jacet, & pars Ger-

Germaniæ, quæ intra Saxoniam & Danubium, Rhenumque ac Salam fluvium, postea à Francis qui Orientales dicuntur, incolitur, & præter hæc Alemanni atque Bajoarij ad regni Francorum potestatem pertinerent, ipse per bella memorata primò Aquitaniam, &c. Otto Frisingen. Chronic. 5. cap. 9. Erat autem Francorum jam terminus (loquitur de Dagoberti Regno) ab Hispania usque in Pannoniam, duos nobilissimos ducatus, Aquitaniam & Bajoariam. Sed multo copiosius postea libro 6. capite 17. eumque imitatus Godefridus Viterb. Chronic. parte 17. sub anno 881. Porrò, inquit, Arnulphus totam Orientalem Franciam, quę hodie Teutonicum regnum vocatur, id est Bauariam, Sueviam, Saxoniam, Turingiam, Phrigiam, & Lotharingiam rexit. Occidentalem verò Franciam Odo tenuit. Idem sub anno 913. Mihi ex multis scriptorum auctoritatibus patuit regnum Teutonicorum, quod Imperator Fridericus nostro

tempore possidet, partem esse regni Francorum, ibi enim primi Franci fuerunt, cisçitraque Rhenum; quæ hodie Francia Orientalis usque ad terminos Bavariæ appellatur. Francia verò Occidentalis, est regnum illud, quod est cis citraque Sequanam & Ligerim fluvios. Et mox: Tempore Caroli Magni regis Francorum, tota Gallia, id est Celtica, Belgica, Lugdunensis, omnisque Germania, quæ est à Rheno usque ad Illyricum, una Francia fuit. quæ omnia ex Ottone, ut dixi, ferè descripta sunt. Vitichindus Saxo lib. I. Ultimus Carolorum apud Orientales Francos imperantium Lothovicus &c. Notandum etiam est, quod Regino in Chr. anni DLXXVI ita scribit: Mortuo Pipino Rege, Ludovicus ejus filius, qui ad patris obitum fuerat, & funeris ejus obsequia celebraverat, apud Francofurt, Orientalis regni principalem sedem, residebat. Abbas Ursperg. Carolus Magnus duas habuit filias, de Fœstrada uxore, quæ de Orientalium

Fran-

Francorum, scilicet Germanorum gente erat. Idem de orig. Sax. Theodoricus, cùm Austrasiam accepisset, cujus regni sedes apud Metensem fuit civitatem. Liutprandus Ticin. lib. 1. cap. 6. Simul ut Wido, quam Romanam dicunt Franciam, Berengarius Italiam obtineret. Et paulò post: Cumque Burgundionum regna transiens, Franciam, quam Romanam dicunt, ingredi vellet, &c. Romanam autem Franciam iccirco appellabant, primùm quia Galliam quæ Romanis paruerat, Franci occuparant. deinde quoniam Romana lingua in ea regione usitata erat: quemadmodum superiùs diximus: unde vetus nata locutio, Loqui Romanum, de ijs qui Germanicè sive Francicè non loquebantur. Indidemque factum est, ut eadem Gallia Romana diceretur. Regino lib. 2. sub anno 939. Interim Ludovicus Rex Galliæ Romanæ, filius Caroli, consilio inimicorum Regis Alsatiam invadit. Hinc illud Ottonis Frising. Chron. 4. cap. pen. Videtur
 mihi

mihi inde Francos, qui in Gallijs morantur, à Romanis linguam eorum, qua usque hodie utuntur, accommodasse. Nam alij qui circa Rhenum, ac in Germania remanserunt, Theutonica lingua utuntur. Et hunc nimium familiariter imitatus multis locis Godfridus Viterb. parte 17. cap. 1. Videntur, inquit, mihi Franci in illis temporibus linguam Romanam, qua usque hodie utuntur, ab illis Romanis, qui ibi habitaverant, didicisse. His ex locis perspicuum est, miram Francorum nominis amplitudinem atque auctoritatem fuisse: quippe, cùm magnam Europæ partem occuparet. Quinetiam videmus Germanos in Neapolitanum & Siculum regnum ab Imp. Frideric. II. traductos, ibique tanquam colonos pręsidio collocatos. Francorum nomine appellatos fuisse. Petrus de Vineis libro Epist. 6. cap. 25. Vivens jure Francorum, in eo videlicet, quòd major natu, exclusis minoribus fratribus, in castro ipso succedat. Imp. Fridericus II. Neapol.

pol.const.lib.2.tit.32. Ingerentes se casus præsentis materiæ circa Francos, qui personarum suarum, plurimarumque rerum suarum omnium fortunam in monomachiam, quæ Duellum vulgariter dicitur, reponebant. Et mox: Prædictum igitur probationis modũ, quo jure Francorum viventes utebantur. Item li. 2. tit. 33. Quod jus inter omnes tam Francos, quàm Longobardos in caussis omnibus volumus esse commune. Hæc cùm ita sint, tamen Gregorius Turon. Episcopus, qui de Francorum ortu octingentis ab hinc annis scripsit, initio historiæ suæ testatur, se, cùm accuratè de Francorum ortu quæsivisset nihil tamẽ certi comperisse: quamvis veterem quendam illorum historicum habuerit Sulpitium Alexandrum: qui neque de primis illorum sedibus, neq; de Regni primordijs quicqnam affirmarit. At nos ex ea regione Francos primùm ortos animadvertimus, quæ inter Albim & Rhenũ interjecta, Oceão allvitur: ubi ferè Chauci majores & minores collocãtur:

po-

populus (ut ait Tacitus) inter Germanos nobilissimus: quique magnitudinem suam justitia tuetur, & Batavorum regioni finitimus erat. Nam primùm omnium satis constat, Francos in ora maritima sedes habuisse, locis admodum palustribus; reique nauticæ peritissimos, & in bellis maritimis exercitatissimos fuisse. Quarum rerum documenta hæc extant. primum apud Claudianum, qui Stiliconi victorias gratulans, ita scribit:

Vt jam transfluvium non indignante Chayco, Pascat Belga pecus mediumque ingressa per Albin Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Quo loco Chaycos poeticè appellavit, quos geographi Chaucos nominarunt. De maritima verò illorum regione Panegyricus Constantino Magno dictus, testimonio est, ubi Rhetor ita loquitur: Quid loquar rursus intimas Franciæ nationes, non jam ab his locis quæ olim Romani invaserunt, sed à proprijs ex origine suis sedibus, atque ab ultimis Barbariæ lito-

litoribus avulsas: ut in desertis Galliæ regionibus collocatæ, pacem Romani imperij cultu juvarent, & arma delectu. Rursus in altero Eumenij rhetoris Panegyrico, ubi sic loquitur: *Aut hæc ipsa, quæ modo desinit esse barbaria, non magis feritate Francorum, velut hausta desederat, quàm si eam circumfusa flumina & mare alluens operuisset.* Eodemque pertinet Procopij testimonium belli Gothici lib. 1. nam ubi eum locum describit, quo Rhenus in Oceanum influit? *His, inquit, locis non mediocres sunt paludes: ubi antiquitus Germani habitabant: natio barbara nec magnæ tum existimationis homines, qui nunc Franci nominantur.* Quem Procopij locum Zonaras in suum Annal. to. 3. retulit; Zosimus autem in Gothici belli librum primum. Eodem etiam pertinet ille Flau. Vopisci locus, in vita Probi Imp. ubi scribit. Francos à Probo invijs paludibus profligatos. *Testes sunt, inquit, Franci, invijs strati paludibus.* Item illud Sidonij Apollinaris,

Fran-

Francorum & penitissimas paludes
Intrares venerantibus Sicambris. Jam verò quod de Chaucorum vicinitate diximus, ea planissimè ex collatione locorum, & utrorumque sedium descriptione perspicitur. Chaucorum quidem apud Plin. lib. 16. cap. 1. Francorum verò, apud illum Rhetorem Panegyristem. Nam Plin. quidem ita loquitur: Sunt in Septentrione visæ nobis Chaucorum gentes, qui majores minoresque appellantur, vasto ibi meatu: bis dierum noctiumque singularum intervallis effusus in immensum agitur Oceanus, æternam operiens rerum naturæ controversiam; dubiumque terræ sit, an parte in maris. At Panegyristes: Quamquam, inquit, illa regio divinis expeditionibus tuis Cæsar vindicata atque purgata, quam obliquis meatibus callidis (sic legendum, ut in libris vulgatis, non SCALDIS, ut quidam reposuit) interfluit: quamque divortio sui Rhenus amplectitur, penè, ut verbi periculo

culo loquar, terra non est. ita penitus aquis permaduit, ut non solùm quæ manifestè palustris est, cedat adnixum, & hauriat pressa vestigium: verumetiam ubi paulò videtur firmior, pedum pulsu tentata quatiatur: & sentire se procul mota pondus testetur. Patefactum igitur arbitramur esse locum, unde Francorum in Galliam natio propagata est: palustris videlicet ea regio, quæ inter Albim & Rhenum Oceanum attingit. Quod eo etiam argumento confirmari potest, quòd Franci maritimarum rerum usum maximum habebant, lateque per eam oram vagabuntur. Nam Eutrop. libro 9. ubi Gallieni Imperatoris historiam percurrit: Post hæc tempora, inquit, Carausius cum per tractum Belgicæ Armoricæ pacandum mare accepisset, quod Franci & Saxones infestabant. Qua eadem de re Paulus quoque Orosius lib. 7. cõmemorat. Eodẽ pertinet alter in illo, quẽ aliquoties jam protulimus Panegyri-

gyrico, locus, ubi Rhetor ita loquitur: Franci, inquit, præter cæteros truces quorum vis cùm ad bellum efferuesceret, ultra ipsum Oceanum æstu furoris evecta, Hispanorum etiam oras armis infestas habebat. Itaque Justinianus Imper. lib. Codic. 2. ubi Præfecti prætorio Africæ officium exponit, mentionem facit Francorum, qui in parte quadam Galliæ finitima Hispaniæ consederant. Memorabile est autem, & ad bellicæ laudis golriam insigne, quod alio Panegyrici loco narratur, exiguas Francorum copias, quos Imperator Probus bello superatos in Pontum captivos abduxerat, navibus aliquot interceptis, usque in Græciam & Asiam vagatos esse: Siciliam invasisse: Syracusas cepisse: pòst onustos præda & spoiijs per fretum Herculeum in Oceanum revertisse. Recursabat, inquit, in animos, sub diuo Probo, & paucorum ex Francis captivorum incredibilis audacia, & indigna felicitas: qui à Ponto usque correptis navibus,

vibus, Græciam, Aſiamque populati, nec impunè pleriſque Lybiæ littoribus appulſi, ipſas poſtremò navalibus quondam victorijs nobiles ceperant Syracuſas: & immenſo itinere permenſi Oceanum, qua terras rupit, intraverant: atq; ita eventu temeritatis oſtenderant, nihil eſſe clauſum piraticæ deſperationi, quò navigijs pateret acceſſus. Quam eandem hiſtoriam Zoſimus ſub finem Hiſtor. 1. his verbis commemorat: Cùm Franci ad Imperatorem acceſſiſſent, & ab eo ſedes obtinuiſſent, pars eorum quædam defectionem molita, magnamque navium copiam nacta, totam Græciam conturbavit. In Siciliam quoque delata, & urbem Syracuſas adorta, magnam in ea cædem edidit. Tandem cum & in Africam appuliſſet, ac rejecta fuiſſet, adductis Carthagine copijs, nihilominus domum redire, nullum paſſa detrimentum potuit. Hoc quoque Probo imperante contigit. Et ad hanc diſputationem ea quoque auctorum loca refe-

renda sunt, ex quibus intelligitur, Francorum sedes Batavorum finibus propinquas fuisse. Nam Rhetor ille Maximianum & Constantinum alloquens: Multa, inquit, ille Francorum millia, qui Bataviam aliasque cis Rhenum terras invaserant, interfecit, depulit, abduxit. Praeterea insignis extat locus apud Corn. Tacit. in lib. 20. ubi de Bataviae & Frisiae vicinitate cōmemorans, Caninefates quoque admiscet: quorum eam scribit consuetudinem in Rege creando fuisse, quam posterius verè Francicam fuisse ostendemus. Missi, inquit, ad Caninefates, qui consilia sociarent. Ea gens partem insulae colit, origine, lingua, virtute par Batavis: numero superantur. Et mox: Brinnio impositus scuto, more gentis, & sustinentium humeris vibratus, dux deligitur. Quae verba haud exigui esse ad nostram disputationem momenti, posterius, cùm ad eum locum ventum erit, intelligetur. Quae cùm ita se habeant, satis equidem admirari Adr. Turnebi doctissimi viri iudicium non pos-

possum, qui tam multis veterũ auctorum locis pro nihil habitis, scripsit videri sibi Francos ex Scandinavia oriundos: propterea quod apud Ptolemæum in illa insula Phirassi collocantur. Quam vocem corruptã, & FRANCI reponendum censet. Neque tamen præter meram divinationem ullam hujus opinionis suæ rationem affert, quæ tamen opinio à veterum scriptorum omnium auctoritatibus apertissimè dissidet. De cæteris verò propè omnibus, qui fabulis delectati, Francorum originẽ ad Trojanos, & Francionem nescio quem Priami filium retulerunt, tantum dicimus, Poëtis illos, non historicis scribendi argumentum præbuisse: eoque in numero primum meritò locum Guillielmo Bellayo tribuimus: qui cùm omnium optimarum artium doctrina, summaque ingenij laude præstaret, tamen in libello de Galliæ & Franciæ antiquitatibus, non Francogallicæ historiæ, sed Amadisicarum fabularum instituisse tractationem videtur.

De Francorum nomine, varijsq; excursionibus, & quo tempore, regnum sibi in Gallia constituerint.

CAP. V.

SEd ratio postulat, ut de hoc Francorum nomine paulò attentius consideremus: quod nusquam in Germaniæ descriptione reperiri superius diximus. Ne diutius teneam, necesse est vel Erancorum gentem tenuem obscuramque fuisse, à qua tamen tantarum rerum gerendarum initia nata sunt: quemadmodum in Suittis tenuissimo Heluetiorum pago usuvenit, à quo cùm recuperandæ libertatis auctores orti primùm fuissent, Suitzerorum nomen in Helvetios omnes propagatum est: vel, quod mihi verisimilius videtur, fictam ex re & occasione appellationem fuisse: cùm ij, qui se libertatis recuperandæ principes atque auctores profiterentur, FRANCOS se nominassent: qua voce liberos, & servitutis expertes, apud Ger-

Germanos intelligi, ſatis inter eruditos & literatos Germanos conſtare video. indeque Francum populari lingua, pro libero & immuni: & Franciſiam, pro aſylo uſurpamus: & Franciſare, vel affrancire pro in libertatem aſſerere. Itaque rectiſſime Johan. Aventinus lib. 4. Francorum nomen, inquit crebrum eſt in faſtis noſtris antiquis: deductum à libertate, quæ Teutonum lingua *Freyghait*, & *Freyghun* dicitur. quod cognomen adhuc Franconibus noſtris tribui ſolet. Vocitantur enim vulgo, *die freyen Francken*, hoc eſt liberi Franci. Item Hieronymus Surita de regibus Aragon. ſub anno DCCCXLIV: Carolus Calvus Francorum Rex Barcinonenſibus ſive Hiſpani, ſive Gothi eſſent, immunitatem libertatemque elargitur, qua Franci uti aſſueverant: permittitque, ut Gothicis legibus jura interſe foraque conſtituant. Immunitas ea à Francis in Hiſpania FRANKITAS dicta. Francorum enim nationem Germanicam Carolus Ma-

gnus Germanis reliquis & Frisijs commodiore immunitatis conditione antetulerat. Item sub anno MCX. Julio mense, ut oppidum frequentissime coleretur, habitareturque, civibus Exeanis Frankitatis (id est, ingenuitatis) ornamenta ab Imperatore præstantur. Item Albert. Krantz. lib. 4. metrop. cap. 13. Nam ex Theutonico vocabulo ortum est. *Franck* enim Germanica lingua liber dicitur, nulli obnoxius servitutis. Ant. Sabellicus Ennead. x. lib. III. Francos, inquit, Itali liberos appellant: quippe cùm Itali ex Germanorum eluvionibus promanarint. Ejus autē rei primum argumentum est, quòd Procopius libro Goth. bell. I. memoriæ prodidit, Francos antiquitus generali nomine Germanos appellatos fuisse, pòst verò quàm è finibus suis excesserunt, Francorum nomen obtinuisse. Alterum est, quod Corn. Tacitus lib. 20. ubi de Caninefatibus loquitur (quos Francorum finitimos, vel potius populares, atque adeò Francos ipsos nativos fuisse osten-

ſtendimus) eorumque primam adverſus Romanos victoriam deſcribit, his utitur verbis: Clara ea victoria in preſens, poſterum uſui: armaque & naves quibus indigebant adepti, magna per Germanias Galliasque fama, LIBERTATIS AUCTORES celebrabantur. Germaniæ ſtatim miſere legatos, auxilia offerentes. Valeat igitur omē, ut FRANCI verè proprieque dicantur, qui Tyrannorum ſervitute depulſa, honeſtam, etiam ſub regum auctoritate, libertatem ſibi retinendam putarunt. Non enim regi parere ſervitus eſt: neque qui regi parent, continuò ſervi habendi ſunt: ſed qui Tyranni libidini, qui latroni, qui carnifici, tanquam pecudes lanioni ſeſe ſubijciunt, ij demum viliſſimo ſervorum nomine appellandi ſunt. Itaque reges ſemper Franci habuerunt, etiam tum, cùm aſſertores ſe ac vindices libertatis profitebantur: & cùm ſibi reges conſtituerunt, non tyrannos, aut carni-

fices: sed libertatis suæ custodes, præfectos, tutores sibi constituerunt. quemadmodum ex Francogallicæ Reipublicæ forma posteriùs intelligetur. Sic Claudianus lib. 3. cecinit, *Nusquam libertas gratior ulla est, Quam sub Rege pio.* Sic Salustius: Regem primis temporibus à Romanis habitum scribit, conservandæ libertatis atque augendæ Reipubl. caussa. Vbi verò suam libertatem labefactari Regum insaniis senserunt, tum iis pulsis suam sibi tutandam libertatem judicarunt. Quæ verò Iohannes Turpinus nescio quis, monachus certè stolidus atq; imperitus, qui Caroli Magni, non vitam, sed fabulam conscripsit, de Francorū vocabulo nugatur, ut qui pecuniam ad Dionysianum templum ædificandum contulisset, *Francus*, id est, liber diceretur; quasi nomen illud Regis illius Caroli tempore demum natum sit: ne memoratu quidem dignum est; non magis quàm reliqua illius omnia, fabulis anilibus ac deliriis referta. Nostram porrò de Francorū nomine conjectu-

jecturam adjuvat, quòd Gregorius Turon. Ado Viennensis, Sigebertus, Abbas Ursperg. Godfridus Viterbiensis scribunt, Francos à libertate, & (ut illi ad vocis notionem alludentes loquuntur) à ferocitate nomen invenisse: propterea quod Valentiniani Imperatoris stipendarij esse, tributaque aliarum nationum more pendere recusarent, non quò Francorum nominis mentio non multo antiquior sit Valentiniani Imp. ætate: nam (ut superius demonstratum est) amplius centum antè annis sub Gallienis Impp. usurpata est, sed quia finitimi populi cùm Francorum exemplum virtutemque imitarentur, seseque ex Romanorum tyrannide in libertatem vindicarent, eorundem etiam nomen usurpandum putarunt. Nam quod Hunibaldus ait nominatos à Franco Antharij Sicambrorum Regis filio; idque factum addit Octaviano Augusto imperante, primum ab omnium Romanorum & Gręcorum historijs alienum est, apud quos nulla tam antiquis tem-

poribus Francorum mentio reperitur: ut superius demonstratum est. Deinde cùm illi populi Regem sibi crearent, (sicuti & jam prius dictum est, & postea dicetur) perabsurdum est, existimare populum à Rege potius, quàm Regem à populo denominatum. Multo verò absurdius est, eosdem dicere Francos & Sicambros fuisse: propter hemistichium à divo Remigio in Clodoveo baptisando usurpatum: Mitis depone colla Sicamber. Nam alios Francos, alios Sicambros fuisse, versus illi Sido. Apollinaris declarant:

Francorum & penitissimas paludes
Intrares, venerantibus Sicambris. Item illi Claudiani ad Honorium:
Ante ducem nostrum flavam sparsere Sicambri Cæsariem, pavidoque orantes murmure Franci Procubuere solo.

Quare ut illud à Remigio usurpatum hemistichium concedamus, tamen alludendi potius quàm veri nominis designandi caussa, id factum

esse probabile est. Verùm, ut ad institutum redeamus, illud verissimè dici ac prædicari potest, omen Francorum nominis, hoc est (ut Cornelius Tacitus interpretatur) auctorum libertatis ita faustum, felix, fortunatumque fuisse, ut ex eo victoriæ propè innumerabiles consecutæ sint. Nam postea quàm illo consilio Franci è suis finibus excesserunt, non modò Germaniam, patriam communem, verumetiam Galliam, ad extremum etiam Alpes transgressi, partem Italiæ non mediocrem à Romanorum tyrannide liberarunt. Prima autem & antiquissima hujus illustrissimi nominis mentio reperitur non sub Imperatore Decio, ut quosdam nimium confidenter affirmare video: sed sub Imp. Gallieno, hoc est circiter annum Christianæ salutis CCLX. Nam Trebellius Pollio in ejus vita: Cum ludibriis, inquit, & helluationi vacaret, neque aliter Rempublicam regeret, quàm cùm pueri fin-

gunt per ludibria poteſtates: Galli, quibus inſitum eſt luxurioſos principes ferre non poſſe, Poſtumum ad imperium vocarunt: qui tum Gallieni legatus Galliæ cum imperio præerat. Et paulò poſt: Contra Poſtumum igitur Gallienus bellum incepit, & cum multis auxilijs Poſtumus juvaretur, Celticis ac Francicis, in bellum cum Victorino proceſſit. Quibus ex verbis intelligitur, Gallos ad depellendam Gallieni Tyranni ſervitutem, Francorum, id eſt, auctorum libertatis, auxilijs uſos fuiſſe. Quod idem breviter Zonaras ſignificans in Gallieni vita, ἐπολέμησε δὲ inquit, Φράγγοις &c. Altera eorundem mentio rurſus occurrit apud Flau. Vopiſcum, in Aureliani vita, his verbis: Apud Moguntiacum Tribunus legionis ſextæ Gallicanæ, Francos irruentes, cum vagarentur per totam Galliam, ſic afflixit, ut trecentos ex his captos ſeptingentis interemptis, ſub corona vendiderit. Non enim Franci noſtri in illo bello, non magis quàm alij in alijs, quantumvis juſtis, ſemper ſecun-

ſecundos præliorum eventus habuerunt. Quinetiam à Conſtantino, qui poſteaMagnus dictus eſt, duo ipſorum Reges capti, & beſtijs inſpectaculo quodam objecti memorantur. quam hiſtoriam Eutrop. lib. 9. & Rhetor in Panegyrico, quem ſuperiùs aliquoties protulimus, attingunt. Et quoniam alio loco de bellis in Batavorum finibus geſtis idem Rhetor commemorat, quos à noſtris non longè abfuiſſe oſtendimus, verba ejus ſubſcribemus. Multa, inquit Rhetor, Francorum millia qui Bataviam, aliaſque cis Rhenum terras invaſerant, interfecit, depulit, abduxit. Et alio loco: Terram Batovorum ſub ipſo quondã alumno ſuo à diverſis Francorum Regum gentibus occupatam omni hoſte purgavit, nec contentus viciſſe, ipſos in Romanas tranſtulit nationes: ut non ſolum arma, ſed & feritatem ponere cogerentur. Quo ex loco non obſcurè intelligitur, Conſtantinum Francorum vi atque armis coactum, ſedes illis in Romani imperij finibus conceſ-
ſiſſe.

ſiſſe. Quinetiam Ammianus lib. 15. ſcribit, Francos exorto inter Conſtantinum & Licinium civili bello, pro Conſtantini partibus ſæpenumero fortiter decertaſſe. Sed & alio ejuſdem libri loco, imperante Conſtantino, Conſtantini filio, Francos in Regia quam plurimos fuiſſe memorat: magnaque apud Cæſarem in gratia atque auctoritate fuiſſe. Poſt hæc, inquit, Malarichus ſubitò nactus, adhibitis Francis, quorum ea tempeſtate in palatio multitudo florebat. Jam verò imperante Juliano, qui Apoſtata dictus eſt, ijdem Franci coloniam Agrippinam Romanorum ſervitute oppreſſam in libertatem vindicare conati ſunt: eamque longa obſidione preſſam, deditionem facere coegerunt: quemadmodum idem Ammianus lib. 12. commemorat. Cumque ad flumen Salam aliquot è Francis conſediſſent, ea re, Salij dicti ſunt. de quibus idem Ammianus eodem libro: Quibus paratis, inquit, petit primos omnium Francos, eos videlicet quos con-

ſuetudo Salios appellavit: auſos olim in Romano ſolo, apud Toxiandriam locum, habitacula ſibi figere prælicenter. Item Zoſimus lib. 3. Saliorum nationem, profectam à Francis, & vi Saxonum in hanc inſulam (de Batavia loquitur) ſuis ſedibus expulſam, ejecerunt. Hæc inſula, prius Romanis in univerſum ſubjecta, à Salijs hoc tempore poſſidebatur. Rurſus Ammianus libro 20. Regionem à Francis ultra Rhenum occupatam, & Franciam dictam, commemorat. Rheno, inquit, transmiſſo, regionem ſubitò pervaſit Francorum, quos Attvarios vocant, inquietorum hominum, licentius etiam tum percurſantium extima Galliarum. Et libro 30. ubi de Rege Macriano loquitur, quo cum Valentinianus Imperator ad ripam Rheni, prope Moguntiacum pacem fecerat: Perijt autem, inquit in Francia, poſtquam dum interneciné vaſtando perrumpit avidius, op-

petijt

petiit Mellobaudis bellicosi Regis insidiis circumventus. Hunc autem Francorum Regem Mellobaudem idem auctor lib. seq. fortem & bellicosum fuisse scribit, & ob virtutem militarem ab Imp. Gratiano comitem domesticorum, & Legatum cum Nannieno factum fuisse, ut exercitum adversus Lentiates Germanos educeret. Pòst verò imperante Honorio, propter pactam cum illo Imperatore societatem, Galliæ Romanæ fines adversus Stiliconem tutati sunt. Nam Orosius libro ult. Excitatæ, inquit, per Stiliconem gentes Alanorum, Suevorum, Vandalorum, multæque cum his aliæ Francos proterunt, Rhenumque transeunt, Gallias invadunt. Post Honorij Imperatoris ætatem perexigua de Francorum rebus gestis extat memoria, nam ad illa tempora referendum est, quod D. Ambrosius epistola 29. ad Imper. Theodosium scribit, Francos & in Sicilia & alijs locis compluribus Maximum Romanarum copiarum ducem superasse. Ille

igitur,

igitur, (inquit, de Maximo commemorans) ſtatim à Francis, & à Saxonum gente, in Sicilia, Siciæ, Petavione, ubique denique terrarum victus eſt. Verùm perante *Valentiniano* III, hoc eſt, circiter annum ſalutis Chriſtianæ CCCCL. illud auctorum omniũ conſenſu conſtat, Childericum Merovei Francorum Regis filium, poſt annorum amplius ducentorum contentionem, Galliam è Romanorum ſervitute in libertatem vindicaſſe: primumque in ea Regni ſui ſedem certam ſtabilemque conſtituiſſe. Nam etſi nonnulli primos Francorum Reges Faramundum & Clodiocrinitum numerant: tamen nemini dubium eſt, alios antea complures Francorum reges fuiſſe, qui etiam tranſmiſſo Rheno in Galliam irruperunt: quorum nemo pacatum in Galliȩ finibus imperium obtinuerit. Meroveus autem, quem vulgò tertium numerant, Francorum quidem Rex fuit: ſed advena, & peregrinus, nõ in Gallia factus, non denique Francogallorum,

hoc eſt, gemellæ & conſociatæ gentis judicio voluntate creatus. Francorum denique Reges illi omnes fuerunt: non Francogallorum. Primus Childericus, Merovei (ut diximus) filius, à Francis & Gallis, publico gemellæ gentis conſilio, rex Francogalliæ creatus eſt: poſteaquam Meroveus pater, Attilino prælio interfectus eſt, imperante *Valentiniano* III, perdito ac libidinoſo principe. Quo tempore Angli & Scoti, Britanniam: Burgundi Sequanorum, Æduorum, & Allobrogum fines: Gothi, Aquitaniam: Wandali Africam atque Italiam, urbemque ipſam Romam occupabant. Hunni verò, Attila duce, Galliam cædibus, atque incendijs vaſtabant. Quam rei gerendæ facultatem Meroveus Francorum rex non aſpernatus, magnis conjunctis copijs, Rhenum transmiſit, civitatibuſque compluribus ad eum recuperandæ libertatis cauſſa confugientibus, tandem interiores Celtarum urbes occupavit. Attila autem cum exercitum ha-

haberet hominum circiter quingentorum millium, latè per Galliam, Tholosam usque vagatus est. Erat tum Galliæ Præses Ætius, qui Attilæ potentiam veritus, Gothos sibi fœdere ac societate adjunxerat. Horum auxilijs instructus, prælium cum Attila commisit, cecidisseque dicuntur eo prælio non minus centum & octoginta hominum millibus. At victor Ætius, cum apud Imperatorem Valentinianum in regni appetendi suspitionem adductus esset, ipsius jussu necatus est. Aliquantò post Imperator ipse quoque opera Maximi, de quo superiùs mentionem fecimus, est interfectus. Meroveo mortuo, cùm duæ jam Gallorum & Francorum gentes, dispari genere, dissimili lingua, alio atque alio more viventes in unam civitatem coaluissent, conjunctis animis, Childericum Merovei filium regem sibi deligunt: scutoque de more impositum, atque in humeros sublatum, ter circum comitia deportant: & plausu undique

excitato, summisque omnium gratulationibus, regem Francogalliæ consalutant. Quarum rerum omnium auctores habemus Sidonium Apollinarem, Paulum Diaconum, Gregorium Turonensem, Ottonem Frisingensem, Aimoinum, & ceteros: quorum testimonia, nec ita multo pòst ubi de regis inaugurandi more dicendum erit, proferemus. De urbium quidem occupatione, *Ottonis, lib. 4. cap. pen.* verba hæc sunt: Franci Rheno transmisso, Romanos qui ibi habitabant, primò fugant. pòst captis Tornaco & Cameraco, Galliæ urbibus, ac inde paulatim progredientes, Rhemos, Suessionem, Aurelianum, Agrippinam, Treverim subjugant. Neque verò prætermittendus est insignis Hunibaldi locus, apud quem scriptum ita est: Merovei tempore Franci penè totam Galliam suo regno adjecerunt: Romanorum jam viribus imminutis, ac deficientibus: præsertim post Ætij mortem, quem Valentinianus ex invidia occiderat. Franci ergo Gallis commixti

mixti de ipsorum filiabus sibi acceperunt uxores: genuerunt filios & filias: qui omnes didicerunt linguã eorum, simul & mores: cum quibus sunt deinceps conversati usque in præsentem diem. Hæc ille. quibus consentanei sunt ij auctorum loci, in quibus per illa tempora Galli & Franci promiscuo nomine appellantur. velut apud Paul. Diaconum, *lib. de gest. Langob.* 3. *cap.* 13, Galli autem vehementer afflicti: etsi multi capti, plurimi tamen per fugam elapsi vix ad patriam revertuntur. tantaque strages facta est de Francorum exercitu, quanta nunquam alibi commemoratur. indeque nata vulgaris Francigenarum appellatio est, ijs proprie attributa, qui ex illis Francis suscepti in Gallia fuerant: velut in Syn. Triburicensi, &c. 1, ext. De sponsal. De Francia quidam nobilem mulierem de Saxonia duxit, verum quia non ijsdem utuntur legibus Saxones & Francigenæ, &c. Atque hæc quidem de primo Francogalliæ rege, summatim. quibus illud subjungendum est: Cùm hoc Francogalliæ Re-
 gnum

gnum annos ferè mille ducentos durarit, tres tantùm per id omne tempus Regum familias numerari: Merovingiorum, qui orti à Meroveo stirpem ad annos ducentos octoginta tres propagarunt: Carlovingiorum, qui orti à Carolo Magno, sobolem in annos trecentos triginta septem produxerunt; & Capevingiorum, qui ab Hugone Capeto prognati, per quingentos jam & octoginta annos Regnum obtinent.

Regnum Francogalliæ utrum hæreditate, an suffragiis deferretur, & de Regum creandorum more.

CAP. VI.

SEd hoc loco præclara quæstio exoritur, & ad majorum sapientiam cognoscendam aptissima, utrum Francogalliæ regnum hæreditario jure, an verò populi judicio & suffragiis deferretur. Germaniæ quidem Reges (quo ex genere Francos nostros fuisse, superius demonstratum est) suffragiis creari solitos, Cornelius

Ta-

Tacitus in libello de moribus Germanorum testatur. Reges, inquit, ex nobilitate, Duces ex virtute sumunt. Quod institutum etiamnunc Germani, & Dani, & Suevi, & Poloni retinent: ut Reges quidem in Concilio gentis eligant filij tamen demortuorum regum prærogativam habeant: & (ut Tacitus memoriæ prodidit) ceteris præferantur. Quo instituto, haud scio, an quicquam sapientius, aut Reipublicæ salutarius excogitari potuerit. Nam (ut Plutarchus in Sylla luculenter monet) quemadmodum venatores non quod ex generoso cane natum est, sed canem ipsum generosum quærunt: equites non quod ex equo generosissimo natum, sed equum ipsum expetunt: eodem modo qui Rempublicam constituunt, magno errore ducuntur, si, quis Princeps sibi nasciturus sit, potius, quàm qualem habituri sint, exquirant. Eò accedebat, quòd parentes successionis illius spe ad suos filios præclare instituendos adducebantur, ne

tanquam paterna ſucceſſione indigni à populo repudiarentur. Atque hanc majorum noſtrorum in Francogalliæ regno conſtituendo ſapientiam fuiſſe, documento eſt, primùm Caroli Magni teſtamentum, apud Joann. Nauclerum, & Hen. Mutium editum, in quo clauſula hæc extat: Quod ſi filius cuilibet horum trium filiorum meorum natus fuerit, quem populus eligere velit, ut patri ſuo in regni hereditate ſuccedat, volumus ut conſentiant patrui ipſius: & regnare permittant filium fratris ſui in portione Regni paterni. Quinetiam memorabile eſt, *quod Regino libro Chron.* 2. ſcribit, anno DCCCVI. cum Carolus Magnus tres filios haberet, quibus maturè in vita ſua conſulere volebat: Cum primoribus (*inquit*) & optimatibus Francorum de partitione ſui regni inter filios ſuos placitum habuit, & diviſione facta in tres partes teſtamentum de illa fecit, quod per ſacramentum interpoſitum à Francis confirmatum eſt. Sic Eguinarthus in ejuſdem Caroli

roli vita: Evocatum ad se Ludovicum Aquitaniæ regem, qui solus filiorum Hildegardis supererat, congregatis solenniter de toto Francorum regno primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni fecit. quem locum totidem verbis scriptor Chronici Besnensis de quo supra commemoravimus, in suum librum transcripsit. Sed superiores videamus. Nam Aimoinus quidem *libro* 1. *cap.* 4. de Faramundo, quem vulgò (ut dixi) primum Francorum Regem numerant, ita loquitur: Regem verò cæterarum more nationum Franci sibi eligentes, Faramundum solio sublimant regio. Sed multo copiosius Hunibaldus, scriptor vetustissimus: Anno, inquit, CCCCV. omnes Duces, proceres & nobiles Francorum in mense Martio convenerunt apud Neopagum, pro novi Regis electione facienda. *Et mox:* Hi omnes cum ceteris uno consensu Faramundum de regio genere ortum unanimiter in Regem elegerunt. Rursus *Aimoinus libro* 4. *capite* 51. Franci autem

Danielem quendam clericum cæsarie capitis crescente, in regnum stabiliunt atque Ghilpericum nuncupant. *Item lib.4.cap.67.* Mortuo rege Pipino filij ejus Carolus & Carolomannus consensu omnium Francorum Reges creati sunt. *Et alio loco*; Mortuo Pipino, Franci facto solenniter conventu, ambos sibi ejus filios reges constituunt, ea conditione præmissa, ut totum regni corpus ex æquo partirentur. *Et rursus post alterius è vita excessum* : Carolus autem frater defuncto consensu omnium Francorum Rex constituitur. Atque hæc quidem ex *Aimoino.* Similia autem apud *Gregorium Turonensem* testimonia complura extant, è quibus pauca hæc proferemus. Nam *lib.2.cap.12.* Franci, *inquit*, ejecto Childerico Eudonem sibi unanimiter Regem asciscunt. *Item lib. 4.cap.51.* Tunc Franci, qui quondam ad Childebertum aspexerunt seniorem, ad Sigebertum legationem mittunt: ut ad eos veniens, derelicto Chilperico, ipsum per se Regem stabili-

bilirent. *Et aliquanto poſt*: Collectus eſt ad eum omnis exercitus: impoſitumque ſuper clypeo ſibi Regem ſtatuunt. Item alio loco: Sigebertus Francis conſentiens, more gentis impoſitus clypeo, Rex conſtitutus eſt, Regnum fratris ſui Chilperici adeptus. *Et non ita multo poſt*: Burgundiones & Auſtraſij cum reliquis Francis pace facta, Clotharium in tribus totis Regnis ſuper ſe Regem levaverunt. Quod idem *Abbas Vrſpergenſis* confirmat: Burgundiones, *inquit*, & Auſtraſij facta pace cum Francis, Clotharium in monarchia totius Regni Regem ſublimaverunt. Et paulò pòſt: Franci alterum ejus fratrem Hildericum, qui Auſtraſiis jam imperabat, ſuper ſe Regem conſtituunt. Nuper etiam incidi in *Chronica manuſcripta monaſterii Beſnenſis in Burgundia, ubi ſub anno* DCLVIII. *hæc reperio:* Clotarius Rex immatura præventus morte, regnum ſine herede reliquit. (id eſt, ſine filio, more Feudiſtico) cujus obitum dolentes Francorum principes,

pes, geranum ejus Childericum Regem Austrasiorum, in omni sublimant Francorum regno. *Et mox*, Childericus ergo Rex paucis annis, quibus regnum Francorum obtinuit, defunctus est, & germanus ejus Theodoricus in regno fratris loco sublimatus. *Item alio loco & multò antè*: Dagobertus Metis urbem veniens cum consilio Pontificum & Procerum, sed & omnibus primatibus regni sui consentientibus Sigebertum filium suum in regnum sublimavit: sedemque Metis civitate habere permisit. *Itē sub anno* DCCLXVIII: Franci facto solemniter generali conventu, ambos sibi constituunt Reges, ea conditione præmissa, ut totum regni corpus ex æquo partirentirentur. Eodem pertinet, quod *Luitprandus Levita Ticinensis libro primo capite 6.* ita scribit: Cumque Burgundionum regna transiens, Franciam, quam Romanam dicunt, ingredi vellet, Francorum nuntij ei occurrunt, se redire nuntiantes: eo quòd longa expectatione fatigati, cum sine rege diutius

esse

esse non possent, Odonem cunctis petentibus elegerunt. Fertur autem hac occasione Francos Widonem sibi regem non assumpsisse, &c. Sed de hoc Odone memorabilis & *Reginonis* & *Sigeberti* narratio est, ex qua planius etiam de Regis filio repudiato, & alieno ascito cognoscitur. Nam *Regino quidem libro 2. sic loquitur, sub anno* 888. Interea Galliarum populi in unum congregati, Ottonem Ducem filium Rudperti, cui præ cæteris formæ pulchritudo & proceritas corporis & virium sapientiæque magnitudo inerat, Regem super se pari consilio & voluntate creant. Sed & *Annalium Rhemensium* scriptor: Quum quotidie, *inquit*, copijs Roberti crescentibus decrescerent Caroli, clam tandem secedens cum Haganone trans Mosam proficiscitur. Franci Robertum seniorem eligunt, ipsique sese committunt. Itaq; Rex Rhemis apud S. Remigium, ab Episcopis & primatibus regni rex constituitur. *Rhegino vero sub anno* DCCL: Pipinus, *inquit*, secundum morem Fran-

Francorum electus in Regem, & unctus per manum Bonifacii Mogontinensis urbis Archiepiscopi, & elevatus est à Francis in regno in Suessionis civitate. *Sigebertus sub verò anno* 890. *hoc modo:* Franci verò neglecto Carolo Ludovici Balbi puero, vix decenni, regem sibi præficiunt Odonem filium Roberti Ducis, quem à Nortmannis occisum suprà diximus. *Item Otto Frising. Chron. lib. 6. cap.* 10. Occidentales, *inquit*, Franci, Odonem Roberti filium, virum fortem, consensu Arnolphi regem creant. Quæ testimonia eo magnis notanda atque observanda sunt, quòd perspicuè ac dilucidè demonstrant, summum penes populum jus arbitriumque fuisse, non modo Regum deligendorum, verùm etiam, repulsis ac repudiatis demortuorum Regum filiis, alienorum asciscendorum: quod etiam post Caroli Simplicis mortem usu venit. Nam *Rhegino sub anno* DCCCCXXV. Carolus Rex, *inquit*, in custodia, qua tenebatur, obiit. qui fertur vir hebetis esse in-

ingenij, & minus aptus utilitatibus regni. Omnes etiã à filio ejus deficientes, quendam Rodulpum ſibi Regem eligunt. Filium autem *Aimoinus* Ludovicum appellat: qui minus commodé illud narrans, ſcribit: Carolum in cuſtodia præcepiſſe de Francerum procerum conſilio, ut Rudolphus Richardi Burgundionum Ducis filius in regem ordinaretur. Sed *Annalium Rhemenſium* ſcriptor planius id exponit. Audito, *inquit*, Franci, quòd Carolus Normannos ad ſe venire mandaſſet, ne illi conjungerentur, inter Carolum atque Normannos cum Rodulpho medii reſederunt: tumque Carolo trans Moſam refugiente, Rodulphum cunđti, Regem eligunt. *Item in Appendice Gregor. Turonen. lib. 15. cap. 30.* Poſt Dagoberti deceſſum, filius ſuus Clodoveus ſub tenera ætate regnum patris aſcivit: omneſque leudes (id eſt, ſubjecti) eum in Maſolano villa ſublimant in regnũ. *Item Sigebert. in Chronic. an. 987.* Ludo-
vico

vico Francorum rege mortuo, Francis regnum transferre volentibus ad Carolum fratrem Lotharij regis, dum ille rem ad concilium defert, regnum Francorum usurpat Hugo, &c. Multa ejusdem generis apud *Adonem* testimonia sunt, *velut anno 686*. Clodoveus rex decessit. Franci Clotarium filium ejus regem constituunt. *Et mox*: Clotarius quatuor annos regnans obijt: cujus loco Franci Theodoricum fratrem ejus eligunt. *Item anno 669*. Franci Danielem quendam clericum post abjectionem tonsuræ, in regno stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. *Et mox*: Franci Theodoricum Dagoberti filium regem super se constituunt. *Item apud Ottonem Frising. Chron. 6. cap. 13.* Ottone, *inquit*, Francorum rege mortuo, Carolus voluntate omnium rex creatur. *Item Appendix Gregor. Turon. lib. 11. cap. 101.* Mortuo Theodorico rege, Franci Clodoveum filium ejus paruulum elegerunt in regnum. *Et cap. 106.* Franci verò Chilpericum quendam regem constituerunt.

runt. *& cap.* 107. Quo mortuo Theodoricum regem statuerunt in sedem regni. *Item Godfrid. Viterbiens. Chron. parte* 17. *capit.* 4. Pipinus verò per Papam Zachariam ex electione Francorum factus est Rex Francorum: Hilderico ignavo rege per Francos in monasterium misso. His ex locis, aliisque similibus quamplurimis dilucide patere arbitror, reges Francogalliæ populi potius, hoc est ordinum, & (ut nunc loquimur) statuum judicio ac studio, quàm hereditario jure constitutos fuisse. cujus rei magno etiam argumento est ritus, quo majores in regibus inaugurandis utebantur. Quod enim paulo superiùs diximus, *Cornel. Tacitum* de Caninefatibus, Francorum popularibus, testati, ut designatum regem scuto imponerent, sublimemque humeris gestarent: idem in regibus nostris usurpatum animadvertimus. Nam qui populi suffragiis delectus fuerat, hunc scuto impositum sublevabant, humerisque sustentatum ter circum populi comitia, vel,

ſi in caſtris id acciderat, circum exercitum, plaudentibus atque acclamantibus univerſis, geſtabant. *Gregor. lib.* 2. *ubi de Clodovei Regis electione commemorat :* At illi, *inquit*, iſta audientes, plaudentes tam palmis, quàm vocibus, eum clypeo evectum, ſuper ſe regem conſtituunt. *Item libro* 7. *cap.* 10. ubi de Gondebaldo loquitur : Ibique, *inquit*, parmæ ſuperpoſitus Rex eſt levatus. ſed cum tertiò gererẽt, cecidiſſe fertur : ita ut vix manibus circumſtantium ſuſtentari poſſet. Qua de re *Aimoinus libro* 3. *cap.* 6. *ita ſcribit :* Evocatum Gondobaldum more antiquorum Francorum, regem proclamantes eſſe ſuum, elevaverunt eum clypeo. cumque tertiò totum cum eo circuiſſent exercitum, repente ruens cum rege vix à terra elevari potuit. *Item Ado Viennenſis Ætat.* 6. Sigebertus, *inquit*, Francis conſentiens, more gentis impoſitus clypeo rex conſtitutus eſt. Ac nimirum ex eo factum conſtat, ut Scriptores illi, ubi de rege creato commemorant, plerun-

que

que hanc locutionem usurpent, ut eum in regem elevatum dicant,

De summa populi potestate in Regibus caussa cognita condemnandis & abdicandis.

CAP. VII.

SEd nunc ad tertium hujus disputationis argumentum accedendum est, ut intelligatur, quantum in regibus constituendis, retinendisve, ordinum ac populi jus potestasque fuerit. siquidem ex omnibus nostris Annalibus constat, regum abdicandorum summam potestatem penes ordinum comitia fuisse. Cujus potestatis insigne documentũ is qui prim⁹ Francogalliæ rex creatus fuit, nobis præbet: quem cùm populus comperisset flagitijs ac libidini desitũ, ætatem in ganeis & scortationibus consumere, publico consilio removerunt, Galliæq; finibus excedere coëgerunt. quod anno CCCCLXIX. factum nostri te-

ſtantur. Quinetiam isquem ipſius in locum ſuffecerunt, Eudo, cùm ſua potentia ad ſuperbiam & crudelitatem abuteretur, pari ſeveritate judiciorum exauctoratus eſt. Cujus rei teſtes ſunt *Hunibaldus ſub an* 467. *Gregor. Turon. lib.* 2. *c.* 12. *Aimoin. l.* 1. *c.* 7. *Godfrid Viterbienſ. parte* 17. *cap.* 1. *Sigebert. ſub anno* 461. *&* 469. Childericus verò (*inquit Gregorius*) cum eſſet nimia in luxuria diſſolutus, & regnaret ſuper Francorum gentem, cœpit filias eorum ſtuprosè detrahere. Illique ob hoc indignantes, de regno eum ejiciunt. Comperto autem, quod etiam eum interficere vellent, Thoringiam petiit. *Hunibaldus autem:* Anno, inquit, regni ſui ſexto conſpirantes contra eum principes & proceres Francorum, propterea quòd impotenter & nimis luxuriosè vivens uxores & filias nobilium plures vitiaſſet, voluerunt eum occidere: quòd cùm ei innotuiſſet, cum paucis occultè fugit in Thoringiam. Pòſt Franci quendam Ægidium ſibi conſtituerunt in Regem:

qui

qui regnavit annis octo: quem Franci denuò nimis tyrannisantem,& proceres quosque crudeliter occidentem,tolerare diutius non valentes, ejecerunt. *Abbas autem Vrspergensis:* Quem (*inquit*) luxuriosè viventem, & cum filiabus populi fornicantem, interficere nolentes, abjecerunt. *Et Sigebertus:* Hildericum (*inquit*) insolenter & luxuriosè se agentem Franci de rego deturbant: & Ægidium Regem sibi præficiunt. Atque hoc quidē præclarum ac singulare majorum nostrorum facinus eo diligentius notandum est, quod in primordiis ac propè incunabulis regni gestum, quasi quædam testificatio fuisse videtur, ac denuntiatio, Reges in Francogallia imperio soluto, libero, & infinito constitui. Itaque cùm hoc idem institutum posteri retinerent, anno DCLXXIX. Childericū regem undecimum insolentiùs se in imperio gerentem abdicarunt: cumque nobilem quendam, nomine Bodilonem ad palum alligari, atque indicta caussa virgis cædi jus-

ſiſſet, ab eodem Bodilone paucis pôſt dieb. interfectus eſt: *auctoribus Aimoino lib. 4. cap. 44. Adone, Ætate 6. Tritenhemio anno 687. itemque Sigeberto anno 667.* Ejuſdemmodi majorum noſtrorum ſeveritas aliquanto pôſt extitit adverſus Theodoricum Regem XII. qui cùm iniquo & avaro imperio Regnum adminiſtraret, Franci (*inquit Aimoinus*) ſuper eum inſurgunt, ac eũ de regno eijciunt, crineſque capitis ejus vi abſtrahentes incidunt. *lib. 4. cap. 44. Ado Ætat. 6. anno 696. Sigebertus autem ſub anno 667.* magnam illius culpæ partem in præfectum regium Ebroinum conferunt. Theodoricus, *inquit*, Rex propter inſolentiam Ebroini à Francis repudiatur: & frater ejus Hildericus à cunctis ad regnum evocatur. *Et Ado*: Franci, *inquit*, Theodoricũ de regno abijciunt: Ebroinum Lexovio monaſterio tondent: Childericũ ſuper ſe regem levant. *Item Appendix Greg. Turon. l. 11. cap. 64.* Franci contra Theodoricum inſurgunt: eumque à regno deijciunt, crines capitis ejus ab-

abſcindentes totonderunt: Ebroinumque ipſum tondent. Sed optimè omnium *Hunibaldi Appendix:* Theodoricus (*inquit*) otio & inertiæ deditus omnia negotia regni per Comitem Palatij, quem Majorem domus nuncupabant, diſponere cœpit. Hujus major domus fuit Ebruvinus, homo ſceleratus & impius qui multa fecit mala: quibus commoti proceres Francorum, Theodoricum à regno deijciunt, & tam ipſum quàm Ebruvinum, ſeparatos ab invicē ad duo monaſteria intrudunt. *Et mox:* Hildericus duorum præcedentium frater medius, & Clodovei filius, dejecto à regno Francorum Theodorico fratre juniore, procerum electione ad regnum de Auſtragia vocatus, regnavit annis paucis: qui cum eſſet moribus aſper, & multis nobilibus Francorum odioſus, in venatione occiſus eſt. Eodem accidit *Chronologia Idalij nondum in lucem edita ſub anno Chriſti* DCCIII. Poſt Lotharium, *inquit*, Theodoricus ſubrogatur in regnum. ſed hoc poſt paucum

tempus, cum Ebroino majore domus expulso, Childericum Regem Austrasiorum fratrem ejus minorem Franci in toto sublimaverunt regno. Similis eorundem virtus extitit in Chilperico rege XVIII. quem cùm propter inertiam tanto imperio indignum censuissent, regno se abdicare coegerunt; atque ad monachatum relegarunt: *auctoribus Aimoino libro* 4.*cap.* 61. *Sigeberto & Tritemio anno* 750. *& Godfrid. Chron. part.* 17.*cap.* 4. Sextum rursus ejusdem severitatis exemplum extitit in Carolo Crasso rege XXV. qui propter similem ignaviam, & quod Nortmannis Galliæ partem concessisset, regnumque imminui passus esset, ab optimatibus regni (*ut Sigebertus loquitur*) repudiatus est anno, *ut idem scribit*, 890. *quod idem Godfridus part.* 17. *testatur: sed uberius Otto Frising. Chron.* 6. *cap.* 9. *ubi memorabile illud adscribit*: hunc cùm post Carolum Magnum inter omnes reges Francorum maximæ fuisset auctoritatis, in brevi ad tantam tenuitatem venisse, ut pa-

nis

s quoque egens, ab Arnolpho jam ge facto stipendia miserabiliter exigeret, atque ab ipso paucos fiscos gratanter susciperet: unde humanarum rerum status miserrimus cognoscitur: quod is qui tam Orientalia, quàm Occidentalia regna cum Romano susceperat Imperio, ad tantam postremò dejectionem venit, ut panis quoque egeret. Septimi etiam exempli memoria extat in Odone rege XXVI. quem cùm Franci, repudiato Ludovici Balbi filio Carolo, regem sibi delegissent, quarto post anno in Aquitaniam amandarunt, ibique considere jusserunt: ejusque in locum Carolum ejusdem Balbi filium suffecerunt. *auctoribus Sigeberto sub anno* 894. *Aimoino lib.*5. *cap.*42. *Godfrid.part.*17. *Sed & Regino lib.*2. Ottone, *inquit*, Rege in Aquitania commorante, Francorum Principes ex maxima parte ab eo deficiunt: & in Rhemorum civitate Carolus filius Ludovici in regnum elevatur. In eundem quoque numerum ascribitur Carolus rex XXVII. propter

 stupo-

ſtuporem ingenii, Simplex cognomento dictus: qui cùm ſtultitia ſua regnum peſſundaret, Lotharingiamque, quam prius recuperaverat, amiſiſſet, captus atque in carcerem conjectus eſt, ejusque in locum Rodolphus ſuffectus: *auctoribus Aimoino libro. 5. cap. 42. Sigebert. anno 926. Et de eodem Annal. Rhemenſ. auctor, anno* 920. Penè omnes, *inquit*, Franciæ Comites regem ſuum Carolum Simplicem apud urbem Sueſſionicam, quia Haganonem conſiliarium ſuum, quem de mediocribus potentem fecerat, dimittere nolebat, reliquerunt. *Item Rhegino lib. 2. Chr. anno.* 838. Ludovicus, *inquit*, à ſuis imperio privatur, regnique monarchia Lothario filio ejus per electionem Francorum datur. *Item ſub anno* 922. Et cum quotidie copiis Roberti creſcentibus, decreſcerent Caroli, clam tandem ſecedens cum Haganone trans Moſam proficiſcitur. Franci Robertum SENIOREM ELEGERUNT: ipſique ſeſe committunt. Robertus itaque rex Rhemis apud Remi-

Remigium ab Episcopis & primatibus regni constituitur. *Idem sub anno* 923. Auditoque Franci, quòd Carolus Nortmannos ad se venire mandasset, ne illi conjungerentur inter Carolum atque Nortmannos, super Isaram flumen: tumque Carolo trans Mosam refugiente, Rodolphum cuncti REGEM ELIGUNT. Rodolphus ergo frater Richardi Rex apud urbem Suessionicam constituitur. Atque hæc quidem post Francogalliæ regnum constitutum majorum nostrorum virtus fuit: cujus exemplum ipsi à suis quoque majoribus acceperant. Nam *Hunibaldus antiquissimus Francorum historicus, apud Iohannem Tritenhemium de Francis & Heleno ipsorum Rege ita scribit:* Ann. ejus regni XIIII. congregati apud Neopagum Sicambri Helenum regem inertem & inutilem communi omnium sententia deposuerunt à regno: & ad privatam redire vitam compulerunt: in cujus locũ elegerunt fratrem ejus minorẽ. Quæ cum

cum ita se habeant, perspicuum est, *Agathium, qui lib.1. scribit*, regum Francorum filios à parentibus regnum successione excipere solitos, vel eorum instituti minus peritum fuisse, utpote Græcum hominem & alienigenam; vel ita intelligendum esse, ut superius diximus; moris fuisse, ut regum filij, regaliter educati atque instituti, prærogativam in commitijs haberent; præsertim cum ea spe parentes adducti summum in filijs bene honesteque instituendis studium collocarent. Sed multo imperitius & absurdius est, *quod Theo. Nehemius in Nemore unionis tract. 6. scribit*, Carolum Magnum constituisse, ut deinceps Franci ex parentum successione reges haberent: cum superius demonstratum sit, eundem Carolum in suo testamento jus Regum constituendorum populo Francico integrum illibatumque reliquisse. *Verba Nehemij hæc sunt*: Porrò quia ipse Carolus Rex Francorum extitit, istud regnum fuit ad eum ex successione devolutum. (Hoc

(Hoc verò quid absurdius dici potiut?) & videns quod ipse factus Imperator, suos hæredes dignitate propria, scilicet regno Francorum penitus denudasset (Et hoc quoque perabsurde scriptum apparet) statuit, ut Francigenæ cum quadam regni Francorum portione regem haberent de regali semine, jure hereditario successorem: qui in temporalibus superiorem non recognosceret: videlicet ut Imp. potestati ad homagium, vel aliquod obsequium teneretur. *Hæc ille*: quæ, ut vera essent, tamen illud confirmarent, usq; ad Carolum Magnum Francogalliæ regnum non hæreditate, sed populi arbitrio delatum fuisse. Sed hæc à *Nehemio* scripta esse apparet, ad tollendam quorundam veterum Juris Doctorum disputationẽ, his verbis conceptam, *An Rex Galliæ Imperatorem aut alium superiorem recognosceret?* de qua tractatur à *Decretalistis in c. per venerabilem, Qui fil. sint legit. Bald. in consil.* 49. *vol.* 1. *Specul tit. de feud. §. Super homagiis, Guid. Pap. quæst.* 239.

Pluri-

Pluribus exstantibus Regis demortui liberis, quid juris in hæreditate observaretur.

CAP. VIII.

HÆc autem omnia eò pertinent, ut doceamus, regnum Francogalliæ antiquitus non hereditatis jure, ut privata patrimonia: sed ordinum ac populi judicio & suffragiis deferri solitum fuisse: quo minus illi relictum quæstioni videtur loci, *Si plures regis demortui liberi extarent quæ nam in cujusq; jure constituendo ratio teneretur.* Nam cùm penes populi Comitia, & publicum Gentis concilium non modò deferendi, verumetiam adimendi regni summa potestas esset, illud necessario consequitur, in ejusdem arbitrio fuisse, utrum omnibus æqualiter, an uni tantum regni successionem deferret. Quanquam hoc loco quæstio exoritur, si populus filio repudiato alium eligeret, ecquid tamen illi ad suam dignitatem tuendam relin-

linqueretur. Quare intelligendum est, jure quidem Romano earum rerum, quæ in Principis imperio ac ditione sunt, quatuor tantum esse species: aliæ namque ipsius Principis patrimoniales sunt: aliæ Fiscales: aliæ publicæ: aliæ privatæ. Patrimoniales posteriorum Imperat. Romanorum ætate appellatæ sunt, quæ propriæ ipsius Principis erant, non Principatus, sed patrimonii jure: quæ idcirco de propria Principis substantia esse dicuntur: *L.3.§.1. C.de quadr. præscriptione:* veluti, si cui è proceribus Imperium à populo delatum esset, certum est, ea bona quæ ante delatum illum honorem propria ipsius erant, in ipsius dominio mansisse: non qua Imperator erat, sed qua Valens, aut Honorius, aut Theodosius, idque in libris nostris Sacrum patrimonium passim appellatur: *L.ult.C.de vectig.L.1.C.de indiction.* pari ergo ratione, si Dagoberto, puta, vel Lothario Francogalliæ regnum ab ordinibus regni delatum erat, quod ante adeptam illam digni-



dignitatem in bonis habuerat, pleno jure ipsius manebat. Fiscus autem, sive Fiscalia bona dicuntur, quæ Principi ad tuendam dignitatem suam populi voluntate attributa sunt; sive ea in pecunia numerata, sive in prædiis, sive in jure consistant. quamvis enim Fisci nomen stricte proprieque ad thesauros pertineat: *d.L.3.C.de quadr. præscript.* (quod etiam origo appellationis ostendit) tamen etiam ad fundos & prædia productum est, quæ in fisci patrimonio esse dicuntur. *L.2.§. 2. D. ne quid in loc.pub. L.*49. *D.locat.L.* 38. §.1. *D. ad municip.* quin etiam jura vectigalia, mulctæ pecuniariæ, privilegiaque omnia Principi concessa, eo nomine continentur, uti patet ex *tot. tit.D. & C.de jur.fisc.* Magna igitur inter Patrimonium Principis & Fiscum differentia est: multisque locis inter se distinguuntur. veluti *d.L.* 3. §. 1. *C. de quadr.præscript.L.6.& L.ult.C.de vectigal.d.L.*49, *D.locat.L.6, D. de jur. fisc. L.ult.D.qui pot.in pign.hab.*

Nam rerum patrimonialium commercium

mericum non est, nisi voluntate Principis. *L. cùm servus, 39. §. ult. D. de legat.* 1. Fiscalium autem usitatum ac legitimum commercium est. *L. si procurator, 5, d. jur. Fisc. L. pacta, 72, §. ult. D. de contr. empt.* illæ ad Principis heredes transmittebantur: quamvis imperii successores non essent. *L. quod principi, 56, D. de legat. 2.* hæc verò quia magis Principatus sunt, quàm Principis, ad eum solum, cui principatus defertur, una cum principatu transferuntur. qua de caussa *Vlp.* dixit, rex Fiscales, quasi proprias & privatas ipsius Cæsaris esse. *d. L. 2, §. 2. Ne quid in loc. public.* id est, non vere, propriè ac pleno jure, quamvis interdum illud *quasi*, omittatur. ut *in L. 3, D. de his quæ pro non script. hab.*

Publicas autem res appellamus, quæ civitatis cujusque & proprietate & usu communes sunt: quales sunt, curiæ, fora, arcæ communes, agri publici, veluti compascua & sylvæ communes. *L. 1, §. 1. Quod cujusque univers.* item, (ut ex ætatis nostræ statu exemplum sumamus) tormenta muralia,

unde illa controversia, quam *And. Triaquellus* quondam loco commemorat, cùm civitas quædam Galliæ Regi sua tormenta muralia certum ad usum commodasset, ille autem inter homines esse desiisset, civitas ab ipsius successore sua tormenta repetebat. Cui assentatores aulici stolidissime respondebant, novum Regem ex sui decessoris contractibus & obligationibus non teneri: quod absurdissimum esse constat, neque in Francogallia usurpatum, ut *Paponius* testatur *lib.20, tit. de testam. art.* 14. *ubi Oldradi consilium* 94. in suam sententiam commemorat. Verum est igitur, civitates quamplurimas res proprias habere, à Fiscalibus rebus planè alienas *lib.2.§. publicæ, Ne quid in loc. publ. L.2,* ubi omnes Doctores late hoc tractant. *C. de divers. præd. urb. L. civitatibus,122, D. de legat.1. L.1, C. de vend. reb. civit. L.14.§. ult. D. de servitut. L.72, §. ult. D. de contr. empt.*

Privatæ autem res dicuntur, quæ in cujusque patrisfam. fortunias ac facultа-

cultatibus censentur: *L. 1, D. De rer. divis.* cum similibus quæ latiore interpretatione, æquè ut res publicæ, Principis esse dicuntur, sed, (ut ex *Seneca in Quæst. Illustribus* docuimus) imperio, non dominio: ditione, non proprietate: universe, non singulatim: sola juris fictione, non possessione & usu. Itaque vendi, donari, legari à privatis res suas videmus Principi, aut Imper. aut Regi: quæ si antea ipsius propriæ fuissent, iterum ipsius fieri non possent.

De Regis domanio & fratrum ipsius appannagio.

CAP. IX.

NUnc ut ad institutum, & quæstionem propositam revertamur, sciendum est, antiquitus institutum fuisse, ut Francorum Regibus non modo Fiscalia illa jura, qualia Romanis Imperatorib. concessa erant, verumetiam certa quędam fruenda prędia ad regiam suam dignitatem tuendam assignarētur, quę barbaro vocabulo DE-

MANIUM Regium appellantur: plerumque autem DOMANIUM. Eſt enim Domanium regium quaſi *dos regni*, quomodo veteres dicebant Vatem prædij, ſive (ut planius loquamur) quaſi quadam uſusfructus certarum poſſeſſionum, Regi ad tuendum dignitatis ſuæ ſplendorem attributus. Dixi QUASI uſusfructus propterea quod earum poſſeſſionum proprietas penes populum manet: neque ulla ejus pars alienari à Rege poteſt, ſine populo auctore: hoc eſt ſine Ordinum & publici Concilij conſenſu, quemadmodum poſterius commodiore loco docebimus: jus tantum utendi fruendi ei conceditur. Addidi autem particulam QUASI: quia permultis in rebus jus ilud ab uſufructu diſcrepat: veluti, ut cautio de fruendo boni viri arbitrio præſtetur: ut ne forma & ſpecies prædiorum mutetur, & quæ ſunt in eodem genere. Utcunque ſit, magnam ex illa definitione patet eſſe differentiam inter Patrimonium & Domanium Regale. Nam Patrimonium,

nium, ipsius Regis proprium est: Domanium vero, Regni, atque (ut vulgus loquitur) ipsius Coronæ. Illud pleno jure, Regis est: atque ideo plenam & summam ipsius pro sua voluntate alienandi potestatem habet. Hujus nuda proprietas est penes universitatem populi, sive Remp. ususfructus aut penes Regem: qua de causa nullam, ut jam diximus, illius alienandi potestatem habet: ac plane verissima est Doctorum hac de re sententia: Par idemque esse jus Regis in suum domanium: quod est viri, in dotem suæ uxoris. quemadmodum præter cæteros tradunt *Lucas de Penn. in L. quocunque. C. de ann. agr. desert. Paris de put. de syndicat. sub Rub. de excessibus Imper. And. Isern. in tit. Feud. quæ sunt regal.* Inter Domanium aut & Fiscum hoc interest, quod illud ad usum ipsius Regis, hoc est ad annonam, & victum cultumque Majest. Regiæ consentaneum institutum est: hic, ad statum Regni & Reipub. tuendum atque conservandum: qui si forte propter bellorum & alia-

rum ejuſmodi neceſſitatum rationem ſufficere non videatur, tum demum in ſubſidium tributa de communi ordinum ſententia in publico Concilio univerſæ genti indicuntur. Præterea domanii commercium nullum eſt: Rerum Fiſcalium uſitatum ac legitimum: ut paulo ante demonſtravimus. Illud certum ac definitum eſt; harum modus incertus, atque infinitus: quia Fiſci nomine non modò ea omnia quæ vulgo præciſe Regalia: plenè autem Jura regalia vocantur, verùm etiam alia innumera, quæ Regiæ Majeſtati ad Rempublicam tuendam conceſſa ſunt, complectitur. Ac de Domanio quidem illud accipiendum eſt, quod *Eguinarthus in eo libello*, quem ad Caroli Magni & Carlovingorum gratiam, & ad imminuendam Merovingorum exiſtimationem conſcripſit, *his verbis tradidit:* Cùm præter inutile Regis nomen & precarium vitæ ſtipendium, quod ei Præfectus aulæ exhibebat, nihil aliud proprij poſſideret, quàm unum perparui red-

ditus

ditus villam, in qua domum, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes paucæ numerositatis habebat. *Hæc ille.* Itaque postquam, recepta sensim consuetudine, Francogalliæ corona hereditaria esse cœpit, & vel filio, vel proximo agnato deferri, quamvis plures ejusdẽ gradus vel filii vel agnati essent: tamen uni tantum, seniori scilicet, ac natu maximo domanium illud attributum fuit reliquis omnibus ejusdẽ gradus vel filiis vel agnatis ab illo exclusis; quorum tamen habita ratio est diligenter. Nam ad vitæ cultum & decus familiæ pro dignitate tuendum, institutum fuit, ut iis possessiones quædam assignarentur, quæ vulgo *appannagia* dictæ sunt: ab antiquo & Francico (ut mihi persuasi) vocabulo *Abbannem*, quod Latine valet, excludere: item ut *Ausbannen* & *Forbannen*: quasi ea portione accepta exclusos se à Regni successione intelligerẽt: quemadmodum

Otto Frising. Chron.5.ca. 9. & Godfridus Viterbiensis scribunt, Dagobertum Lotharii filium, regem constitutum, fratri Heriberto urbes & pagos aliquot propè Ligerim fruendos dedisse; quod *idem Aimoinus lib.4.cap.17.* commemorans, *ita subjungit:* Pactum cum ipso pepigit, ut privato contentus habitu, nil amplius de paterno sperare deberet regno. *Et Regino lib.1*, Dagobertus, *inquit*, monarchiam totius imperii obtinuit, excepto quòd fratri suo Heriberto contra Ligerim & limitem, quò tenditur partibus Vasconiæ, pagum scilicet Tholosanum, Caturcinum, Aganensem, Petragorium, & Sanctonicum, vel quod ab his versus Pyrenæos montes excluditur, concessit. Ex quibus intelligitur, quod *Aimoinus* illo loco scribit, Heribertum consortem regni factum, non de regni jure intelligendum esse, sed de regni ditionibus. Itaque paulò pòst scribit, eundem Heribertum illa ditione non contentum, vi & armis regis nomen sibi sumpsisse; bellumque fratri contra

tra

tra pactionem intulisse. Similiter autem *idem Aimoinus eo libro quarto cap. 61. de Pipino* scribens, Grifonem fratrem, *inquit*, more Ducum XII. comitatibus donavit. Atque huc illud pertinet *quod Greg. Turonen. lib. 7. cap. 32. ita scribit:* Misit Gondobaldus duos legatos ad Regem, cum virgis consecratis iuxta ritum Francorum, ut scilicet non contingerentur ab ullo. *Et mox*, Gondobaldus dicit se filium esse patris nostri Regis Clotarii, & misit nos ut debitam portionem regni sui recipiat. Nunc ut ad propositam quæstionem redeamus, quantum ad regni successionem attinet: certum hac de re jus Francogalliæ nullum reperio; quippe, cum hereditaria, ut dixi, non esset: ceteris aut in patrimoniis nobilibus, quæ Feuda nominantur, *Otto Frising. lib. Frid. 2. cap. 29.* Mos est, *inquit*, in Burgundia, qui penè in omnibus Galliæ provinciis servatur, quòd semper seniori fratri, ejusque liberis, seu maribus, seu fœminis, paternæ hæreditatis cedat auctoritas: ceteris ad illum

tanquam ad dominum respicientibus. Quibus omnibus ex locis intelligendum est, res eas, quæ Apanagii titulo filiis natu minoribus attribuuntur, neque regni, neque regiæ hereditatis partes, non magis, quàm res certas legati aut hereditatis titulo relictas, hereditatis partes esse intelliguntur, *L. pen. C. de hered. instit. L. quoties, 9. §. heredes. D. eod. L. qui fundum, 87. §. 3, D. ad l. Falcid. L. quædam, 9. §. 1, D. de edend.* non enim hereditas pars propriè in una re intelligitur. *L. quamvis, 14, D. si quis omiss. causs. test.* Atque hoc idem juris in gente Francorum universa fuisse, multis verbis traditur à *Petro de Vineis. lib. Epistol. 25. & aliis nonnullis* locis. Sed in regni successione aliud juris fuit. Nam primùm vetus lex fuit, ut quamvis deferendi regni judicium arbitriumque summum penes Ordinum comitia, publicumque gentis totius Concilium esset, tamen si Regis defuncti filii annis XXIIII. minores

nores essent, eos creari jus non esset: atque adeò alium ætatis legitimæ creari necesse esset. Qua ex re de majorum nostrorum sapientia existimare licet: qui Reipublicæ suæ gubernacula ei ætati committenda non existimarunt, quæ alieni consilii, etiam in privatis rebus suis administrandis, indigeret. Verba autem *Hunibaldi apud Iohann. Tritenhemium* hæc sunt: Anno Christi CCCIX. cùm Rex Francorum Clogio incautius dimicaret, à Romanis interfectus & occisus est: duos relinquens filios: quorum natu major Helenus annum tunc agebat XX: minor verò natu Richimer XVIII. Lege autem Francorum erát interdictum, ne quis promoveretur in Regem, nisi XXIIII ætatis annum complesset. Hinc factũ est, quod neuter filiorum Clogionis ad regnum potuit pervenire; sed patruus eorũ Clodomer, electione principum, fuit in Regẽ coronatus. *Hæc ille*: ex quib. perspicuũ est, quod superius dicebamus,
quod

quod *Agathius scribit*. Regum filios regnum à parentibus excepisse: nequaquam simpliciter & absolutè intelligendum esse: sed ita, si causa eorum Ordinum comitijs, publicoque gentis Concilio probata esset: in cujus causæ cognitione caput hoc fuit, An XXIIII annorum majores essent. Quã ætatem si compleverant, tum memoriæ proditum est, antiquis temporibus persæpe Francogalliæ Regnnm Rege mortuo non uni filio ab Ordinum comitiis attributum, sed in viriles partes divisum, atque assignatum fuisse. Itaque defuncto Clodoveo Rege secundo, anno DXV. qui libros IIII. reliquerat, Theodoricum, Clodoveum, Childebertum, Chlotarium, satis constat, Regnum inter eos ita divisum fuisse, ut Theodoricus Metarum, Clodoveus Aureliæ, Chlotarius Suessionum, Childebertus Lutetiæ regnũ obtineret, *auctoribus Agathio libro histor.* 1. *Greg. Turon. libro* 3. *cap.* 1. *Aimoin. lib.* 2. *cap.* 1. *Reginone sub anno* 421. Rursus post Chlotarii Regis IIII. excessum,

Regnum

Regnum inter quatuor ipsius filios ita partitum fuit, ut Cherebertus Lutetiæ, Guntrannus Aureliæ, Chilpericus Suessionibus, Sigebertus Rhemis regni sui sedem arcemque collocaret: *auctoribus Gregor. libro* 4. *cap.* 22. *Aimoi. libro* 3. *cap.* 1. *Reginone sub anno* 495. Contrà verò anno circiter DCXXX. mortuo Lothario Rege VII. *Otto Frising. Chr.* 5. *cap.* 9. *& Godfrid. Viterb. ita scribunt:* Dagobertus Clotarii filius solus in Francia regnabat: sed fratri suo Heribert. circa Ligerim fluvium paucas urbes & pagos dimiserat: à Clodoveo enim usque ad id tempus regnum Francorum inter filios, filiorunque filios, multifariè diviso confusè regnatum est. Terminus autem Regni Francorum erat jam ab Hispania usque Pannoniam. Dagobertus itaque unicus Rex Francorum leges Bavaris dedit. *Hæc Godefridus:* neque, ut multi sapientes sæpe judicarunt, injuria. Nam (*ut est apud Iustinum libro* 21.) firmius est futurum regnum, si penes unum remanserit, quàm si por-

portionibus inter plures fratres dividatur. Aliquot tamen interjectis annis, cum Francorum Regnum longè lateque propagatum esset, Pipino rege mortuo, alia publico Gallorum consilio sententia placuit: quod valet ad confirmandum quod superius diximus, penes Ordinum & Concilij arbitrium, totum illud jus fuisse. Nam *Eguinarthus in vita Caroli Magni, sic loquitur:* Mortuo Pipino, Franci facto solenniter generali conventu, ambos sibi ejus filios Reges constituunt: ea conditione, ut totum Regni corpus ex æquo partirentur: & Carolus eam partem, quam pater eorum Pipinus tenuit: Carolomannus eam, cui patruus eorum præerat, regendam susciperet. *Item Abbas Vrsperg.* Mortuo Pipino, Carolus & Carolomannus filij ejus, omnium Francorum consensu ambo reges creati sunt, ea conditione, ut totum regni corpus ex æquo partirentur. Simillima post Caroli Magni excessum in partiendo regno ratio fuit: quemadmodum ex ipsius testa-

testamento apud *Iohan. Nauclerum, & Eguinarthi libello de ipsius vita*, cognosci licet: ubi tota propè Europa inter tres ipsius filios ita dividitur, ut tamen filiabus nihil dotis, aut legitimæ portionis caussa tribuatur: sed earum collocandarum, dotisque constituendæ potestas fratrum fidei, charitati & prudentiæ permittatur. Neque injuria: cùm principes, & proceres quibus illæ nuptum collocantur, non tam dotis spe, & magnitudine, quàm generis & familiæ dignitate ad earum matrimonium adducantur. Eandem in Orientali Francia partitionem post Ludovici mortem anno DCCCLXIIII. fuisse, testatur *Otto Frisingensis Chron. 6. c. 6. & Regino in Chron. anno* 877. Rursus annis aliquot interjectis, post Ludovici Balbi Regis XXIII. excessum, anno DCCCLXXX. eadem quoque partiendi ratio servata est, quam tamen non in Regum ipsorum, sed in Ordinum ac publici Concilij arbitrio fuisse, faciliè, ex his *Aimoini* verbis cognoscilicet, *libero* 5. *cap.*

capite 40. Filij, *inquit*, Ludovici quondam Francorum Regis profecti sunt Ambianos, & sicut fideles eorum invenerunt, Regnum paternum inter se diviserunt. Ex quibus ita disputatis, perspicuum est, nullum antiquitus certum hac de re jus in Francogallia fuisse: sed totam ejus rei potestatem in Ordinum & publico gentis concilio positam fuisse: postea verò Philippo tertio, Rege XLI. auctore constitutum est, ut ditio aliqua minoribus fratribus attribueretur: sed ejus quoque juris variæ interpretationes fuerunt: multæque natæ contentiones, propter filiarum rationem: ut planè nihil certi hac de re tradi à nobis possit: nisi, si res ad antiquum Majorum nostrorum institutum revocetur, totum ejus rei ius publico Gentis & Ordinum Concilio committendum esse: ut pro liberorum numero certę illis ditiones ad victum & cultum & dignitatem generis tuendam fruendæ attribuantur.

De lege Salica, & jure mulierum in Regum parentum hæreditatibus.

CAP. X.

QUoniam de Regalis hereditatis jure dicere instituimus non prætermittenda legis Salicæ commemoratio videtur: quæ cùm assiduè nostris hominibus in ore est, tum verò Majorum nostrorum memoria maximam & periculosam de regni successione contentionem sedavit. Nam cùm anno 1328, Rex Carolus Pulcher, Philippi Pulchri filius, moriens uxorem prægnantem reliquisset, paucis intermissis mensibus agnata filia, Eduardus Angliæ Rex, ex Isabella Philippi Pulchri filia Caroli Regis sorore natus, hereditatem aviti regni ad se pertinere contendit. At ex adverso Philippus Valesius exortus est, Regis Caroli Pulchri frater patruelis, qui diceret, antiquam esse legem Regiã, Salicam nominatam, qua lege mulieres à Regni hæreditate arcerentur. Hanc por-

ro legem *Gaguinus* & ejusdem generis scriptores à Faramundo scriptam tradunt: ad nostram, *inquit*, usque ætatem nominatissimam. Et in vita Philippi Valesij, Eduardo, *inquit*, obstabat lex Salica, quæ à Pharamundo Francis data in illos usque dies observantissima habebatur. Ea lege soli virilis, sexus Reges à majoribus Regibus orti regnum administrant: nec ad eam dignitatem fœminæ admittuntur: cujus legis hæc sententia est. Nulla hereditatis portio de terra Salica ad mulierem venito. Terram autem Salicam, Francorum Jureconsulti eam dicunt, quæ solius Regis est: & à lege Alodii distat, quæ subditos comprehendit: quibus datur per hanc legem rei alicujus liberum dominium, non exclausa Principis majestate. *Hæc Gaguinus.* In eandem autem sententiam Francogalli omnes non modò Historici, verumetiam Jurisconsulti & Pragmatici usque ad hoc tempus scripserunt: *teste Paponio Arest. lib. 4. cap.* 1. ut jam com-

communis error propemodum jus fecisse videatur. Verùm illud meminisse oportet, quod superiùs attigimus, Francorum duas sedes, duoque regna fuisse. Unum in Gallia, quod ad hunc usque diem permansit; alterum ultra Rhenum ad flumen Salam unde Salii & Salici Franci conjunctè, plerumque autem Salici præcisè appellati, quorum & regnum & jam prope nomen obsoletum est. De Saliis superiùs ex *Marc. Ammia. historia* dictum est, demonstratumque, illos Orientales, hos Occidentales appellatos fuisse. Quemadmodum autem duo Francorum regna fuerunt, ita duæ Francorum leges: Salica, quæ ad Salios: Francica, quæ ad Francogallos pertinebat. *Eguinarth. in Carolo Magno*: Post susceptum Imperiale nomen, cum animadverteret, multa legibus populi sui deesse (Nam Franci duas habent leges plurimis in locis valde diversas) cogitavit quæ deerant addere. *Auctor præfationis in Legem Salicam*: Gens Francorum inclita, antiquam

ad fidem catholicam converteretur, dictavit Salicam legem per Proceres ipsius gentis, qui tunc temporis apud eandem erant rectores. Sunt autem electi de pluribus viri quatuor, Wisogast, Arbogast, Salogast, & Windogast: qui per tres mallos (id est comitia) convenientes, omnes causarum origines solicitè discurrendo, tractantes de singulis, judicium decreverunt hoc modo, &c. Ac fere iisdem verbis utitur *Sigebertus in Chron. anni 422. Otto Frisin. lib. 4. c. pen.* Leges quoque Wisigastaldo & Salagasto auctorib. ex hinc habere cœpere. Ab hoc Salagasto legem, quæ ex nomine ejus Salica usque hodie vocatur, inventam dicunt. Hac nobilissimi Francorum, qui Salici dicuntur, adhuc utuntur. *Atque hæc quidem veteres Chronographi:* ex quibus eorum errorem coargui licet, qui Salicam legem vel à sale, id est, prudentia dictam, vel corruptam vocem tradiderunt, pro Gallicam: quo dici absurdius nihil potuit. Sed longe majores ex eodem fonte nati sunt errores. Primùm

mùm quod creditum eſt, Salicam legem ad jus publicum Imperij, & hereditariæ Regni ſucceſſionis pertinuiſſe. Nam illius legis Salicæ tabulæ non multis ab hinc annis repertæ, atque in lucem editæ ſunt, ex quarum inſcriptione cognoſcitur, eas primum circiter ætatem Faramundi Regis ſcriptas editaſque fuiſſe: deinde omnia & Salicæ legis & Francicæ capita non de publico Regni & Imperii jure, ſed de privato tantùm conſtituta fuiſſe. In iis autem unum hoc caput extat tit. 62. qui inſcriptus eſt DE ALODIS, h.e. de *iis* rebus, quæ non feudi, ſed patri*monii iure à privatis poſſidentur: quod* ſummè notandum eſt. DE TERRA SALICA IN MULIEREM, NULLA PORTIO HEREDITATIS TRANSIT: SED HOC VIRILIS SEXUS ACQUIRIT: hoc eſt, filij in hereditate ſuccedunt. SED UBI INTER NEPOTES AUT PRONEPOTES POST LONGUM TEMPUS DE ALODE TERRÆ CONTENTIO SUSCITATUR, NON PER STIRPES, SED PER CAPITA DIVIDATUR. Cujus le-

gis similis extat apud Ripuarios tit. 58. Itemque apud Anglos tit. 7. ubi tantum abest, ut de Regnorum hereditatibus sanciatur, ut ne ad feudorum quidem, sed tantum ad alodiorum successiones eæ leges pertineant: ut facilè illorum imperitia coarguatur, qui lege illa aut nunquam lecta, aut non intellecta affirmare ausi sunt, lege Salica cautum fuisse, ne regia potestas ad mulieres transferatur. Utcunque sit, primùm illud constat, etsi nullum nec Salicæ, nec Francicæ legis caput extet, quo mulieres à regni hereditate arceantur: tamen instituta & mores gentis tanto seculorum consensu conservatos, ac præsertim contradictoriis judiciis confirmatos, legis scriptæ vim obtinere. nam Childericus 3. rege mortuo, duabus filiabus superstitibus fratri ejus Clothario regnum, illis exclusis, delatum est. Rursus Chereberto quinto Rege mortuo, tribus filiabus superstitibus, Sigeberto ipsius fratri succes-
sio

ſio delata eſt. Item, Gontranno Burgundiæ & Aureliæ rege mortuo, non Clotildæ filiæ ipſius, ſed fratri Sigeberto regnum delatum eſt. Conſtat præterea multo conſideratius & cautius illos Philippi Valeſii conſiliarios ex feudali jure diſputaturos fuiſſe, quo jure feudorum hereditates liberis poſterisque virilis ſexus tantummodo deferuntur, neque ad eas mulieres admittuntur. Ubi autem in ea ſtirpe, in qua feudum verſatur, mares defecerunt, tum ad alteram ſtirpem feudum revocatur, ut illo caſu acciderat. Quæ verò feuda depravato jure ad mulieres deferuntur, ea non propriè feuda, ſed feudaſtra potius appellanda eſſe, aliis libris quos de illo jure ſcripſimus, abunde demonſtravimus.



De jure Regalis capillitij.

CAP. XI.

HOc loco non alienum videtur, aliud Majorum nostrorum institutum commemorare, de Regio capillitio: nam memoriæ proditum est singulare, quoddam jus capillitii apud majores nostros fuisse, ut qui Reges à populo creati, aut regio genere prognati essent, comam alerent: eamque à fronte discriminatam, unguentisque delibutam, decus atque insigne regium, regiæque stirpis haberent: reliqui cives omnes quamvis illustri loco nati tamen capillitii jus non haberent: sed propter assiduos (ut credi par est) in re militari labores, raso vel detonso capite incederent: quemadmodum de Iulio Cæsare & plerisque aliis, Romanæ historiæ commemorant. *Aimoin. lib.1. cap.4.* Regem verò ceterarum more nationum Franci sibi eligentes, Faramundum solio sublimant regio; cui filius successit Clodiocri-

diocrinitus; illo enim tempore Francorum Reges criniti habebantur. *Item lib.* 3. *cap.* 61. Hic Gundoaldus more Regum à matre sua enutritus (uti consuetudo antiquis fuit Franciæ Regibus) capitis comam gerebat profusam. Similiter *Agathius lib. de bell. Goth.* 1. ubi Regem Francorum Clodomirum à Burgundionibus in bello captũ commemorat, Ut primum, *inquit*, ex equo lapsus est, Burgundiones conspicati capillitium, quod illi à tergo propendebat, ducem esse hostium animadverterunt. Neq; n. Francorum regibus coma carere licet: sed à pueris intonsi permanent, & profusum capillitium, atque in tergum rejectum habent. Quin etiam multis ex locis licet animadvertere, majoribus nostris in more fuisse ut, si cui vel Regnum abrogarent, vel adipiscendi Regni spem adimerent, ei capillitium abscinderent. *Aimoinus illo eodem loco:* Ille intuitus in eam, incidi ejus præcepit capillos, hunc suum negans filium fuisse. *Item:* Iterum incisis crinibus Colo-

niæ in custodiam traditur: unde fuga elapsus succrescentibus capillis, ad Narsetem transiens, &c. quam histor. *Gregor. Turonen. l. 6. c.* 24. commemorat. *Item cap.* 44. ubi de Theodorico Rege loquitur: Franci, *inquit*, super eum consurgunt, ac eum de regno eijciunt, crinesque capitis ejus vi abstrahentes incidunt. *Item lib. 7. cap.* 37. Tu ne es ille, plerumque à regibus Francorum propter has præsumptiones quas profers, tonsoratus, & exilio datus es? *Et mox:* Quod me Chlotarius pater meus exosum habuerit, nulli est incognitum: quod autem ab eo, & deinceps à fratribus sim tonsoratus, manifestum est omnibus. Memorabilis autem ac potius horribilis historia extat apud *Gregor. Turonen.* de Regina matre Chrotilde, quæ duobus nepotibus caput abscindi, quàm comam maluit. Locus est *lib. 3. cap.* 18. Mater nostra (inquibat Rex fratri suo) fratris nostri filios secum retinuit, & vult eos regno donari. Communi consilio pertractare oportet, quid de his fieri debeat:

beat: utrùm incisa cæsarie, ut reliqua plebs habeantur: an his, interfectis regnum germani nostri inter nos dividatur. *Et mox:* Tunc misère Archadiū cum forcipe, atque evaginato gladio: qui veniens ostendit Reginæ utrunque, dicens: Voluntatem tuam, ô gloriosissima Regina, filij tui domini nostri expetunt, quid de pueris agendum censeas: utrum incisis crinibus eos vivere jubeas, an utrumque jugulari. Maluit autem illa interfectos videre, quàm tonsos. Quam historiam *Aimoinus lib. 2, cap. 12.* enarrans, Chrotildem ita loquentem inducit: Sed utcunq; se res habeat, nullatenus clericos fieri patiar: quasi ad clericatū tonsura puerorum quæreretur. Quod cum à Gregorii verbis alienū est, tum etiam ab illa consuetudine usitata, ut tonsura quasi abdicatio, & à regni hereditate exclusio quædam esset. Quin etiā moris fuisse animadverto, ut cùm Reges prælio decertarent, nodatū capillitiū in galeā, quasi cristā erigerent: idq; insigno in prœliis haberēt, Itaq; *Aimoinus*

moinus libro 4. *capite* 15. ubi de Dagoberti Regis, cum Bertoaldo Saxonum Duce acerrimo, prælio commemorat: Rex, *inquit*, ense percussus in caput, decisos cum parte galeæ crines patri per armigerum mittit, ut sibi in auxilium properet. Hujus autem instituti caussam cùm apud me considero, hanc ferè reperio, quòd cùm & Gallorum & Francorum nationes comatæ essent (item ut Sicambrorum, ac ferè regionum illarum institutum fuisse constat) Majoribus nostris visum est, hoc proprium Regiæ dignitati decus atque insigne tribuere. Nam de Gallis quidem (unde Comata Gallia dicta est) nemo mediocriter eruditus testimonium quærit: memor præsertim illius *Claudiani ex lib. in Ruffinum* 2.

Inde truces flavo comitantur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit,
Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

De Francis autem, quos ex Chaucis, sive Chaycis ortos demonstravimus, vel

vel unus ille ex *Lucani* primo locus, teſtimonio eſſe poteſt:

Et vos crinigeros bellis arcere Chaycos
Oppoſiti petitis Romam, &c.

Quod cùm ita eſſet, animadvertimus, exteros qui animo in noſtros inimico eſſent, reges capillatos, non modò contumelioſo nomine Setatos appellaſſe: verùm cùm ſetæ leonum, equorum, & ſuum communes eſſent, (qui omnes propterea Setoſi & Setigeri appellantur) etiam ad ſuillas ſetas nomini contumeliam produxiſſe. Unde & obſcœna conficta fabula, & ſpurcum nomen τριχοραχάτων: de quo *Georg. Cedrenus in hiſtor.* ita ſcribit: ἐλέγοντο δε οἱ ἐκ τοῦ γένους ἐκείνου καταγόμενοι κριστάτοι. ὃ ἑρμηνεύεται τριχοραχάτοι. εἶχον γὰρ κατὰ τῆς ῥάχεως αὐτῶν τρίχας ἐκφυομένας, ὡς χοῖροι: id eſt, qui regio erant prognati genere, dicebantur Criſtati: quod interpretatur, Tergiſetoſi. Habebant enim in ſpina dorſi pilos enaſcentes, quaſi porci. Quem tamen locum mendoſum, ac depravatum eſſe arbitror: ac pro ΚΡΙΣΤΑΤΟΙ vel reponendum

ΣΕΤΑ-

ΣΕΤΑΤΟΙ, vel utrunque certè conjungendum: ut à nonnullis festivè Christati, propter erectum in galeam crinium flocculum: à malevolis etiam contumeliosè Setati, vel Setigeri appellarentur. Quod si clausulam illam tam apertè Cedrenus non apposuisset, & Cristatorum nomen retinendum fuisset, dicendi potius τριχοχάρακτοι fuissent: ut cuivis perspicuum esse arbitror: pro, Crinibus insignes: quanquam totum illum Cedreni locum animadverti jam ab auctore Historiæ Miscellæ ad verbum ita conversum, lib. XXII. Dicebantur sane ex genere illo descendere Cristati: quod interpretatur Trichorachati: pilos enim habebant natos in spina, veluti porci. Utcunque sit, ne illud quidem prętermittendū videtur, circiter Caroli Magni ætatem, consuetudinem quandam increbuisse, ut regis filius ad exterum aliquem principem amicum ac fœderatum mitteretur, qui honoris caussa capillos ei præcideret: eoque facto Pater ipsius

ipſius honorarius diceretur. Nam *Paul.Diaconus lib. 6.capite* 15. de Carolo Magno ſcribens: Carolus,*inquit*,Francorum princeps filium ſuum ad Liutprandum Longobardorum Regem miſit,ut ejus, juxta morem, capillum ſuſciperet: qui ejus cæſariem incidens, ei pater effectus eſt: multiſque regiis muneribus donatum genitori remiſit: quam hiſtoriam *Regino libro* 1. ſub anno DCLV. commemorat: apud quem pro SUSCIPERET, commodius legi videretur, INCIDERET. Verùm hæc quidem de regalis capillitii jure, hactenus. Quod verò nonnulli fabulantur, regnante Ludovico VII. Petri Lombardi Pariſienſis Epiſcopi conſilio atque hortatu inſtitutum fuiſſe, ut diſcrimen inter Gallos & Francos tolleretur, cum illi comam tantum hi & comam & barbam colerent: indignũ hominib. doctis videtur: quaſi verò per annos amplius octingentos (totidẽ n. à Francogallici regni origine ad Ludovicũ VII. numerantur) diſcrimẽ ullũ inter Gallos & Francos durarit: ac nõ

ſuperius

ſuperius demonſtratum ſit,poſt Francogalliæ regnum conſtitutum, unam è duabus quaſi gemellam gentem, & unius linguæ & eorundem inſtitutorum ac morum conflatam fuiſſe.

Qualis regni Francogallici conſtituendi forma fuerit.

CAP. XII.

HIs ita breviter expoſitis, deinceps qualis regni Francogallici conſtituendi forma fuerit, exponendum videtur. Ac ſuperius quidem populum in comitiis non modò creandi, verumetiam abdicandi regis poteſtatem ſibi omnem retinuiſſe, docuimus. Quam eandem regnandi formam conſtat Gallos noſtros, priuſquam in Romanorum poteſtatem redigerentur, habuiſſe: ut populus non minus (*inquit Cæſar*) in Regem, quàm Rex in populum imperii ac poteſtatis retineret. Quanquam non à Gallis, ſed à popularibus ſuis Germanis eam Reip. con-

constituendæ formam Francos nostros sumpsisse, consentaneum est: de quibus *Tacitus in lib. de moribus Germ.* ita scribit: Regibus non est infinita aut libera potestas. Hac autem forma nullam à tyrannico dominatu remotiorem esse constat. Nam ut ait *Aristoteles lib. Polit. v. cap.* 11. quanto pauciorum rerum penes Regem potestas est, tantò diutius regnum maneat necesse est. Quinetiam è tribus tyrannidis notis, quas philosophi veteres indicarunt, nullam in regni nostri forma constituenda licet animadvertere. Primùm enim quantum ad coactum imperium attinet, hoc est, ut rex invitis dominetur, docuimus jam antea, summam ordinum publicique Concilii tum in deligendis, tum in abdicandis regibus potestatem fuisse. Quantum ad peregrinam corporis custodiam, quam secundam tyrannidis notam numerant, tantum abest, ut Francogalliæ reges peregrinis & alienigenis mercenariis ad præsidiariam cohortem uterentur, ut plerun-

que ne cives quidem & indigenas ad corporis custodiam adhiberent: quippe, cum omnem in clientum suorum fide & benevolentia præsidii sui fiduciam collocarent. Cujus rei argumento est, quod *Gregor. Turon. lib. 7. capite* 18. *&* *Aimoinus libro* 3. *cap.* 63. scribunt, Regem Gontrannum ab homine quondam tenui Lutetiæ admonitum, ut insidias sibi à Faraulpho paratas vitaret: continuò se armis & custodiis munivisse: ut nusquam, *inquit Gregorius*, ac ne ad loca quidem sacra, nisi vallatus armatis atque custodibus procederet. Quinetiam extat Ludovici cognomento Divi præclara historia, & ab illustri viro *Ioanne Ionuillæo* scripta, qui cum illo rege perfamiliariter multos annos versatus est: qua in historia nullam planè satellitum, aut stipatorum, aut præsidiariæ cohortis mentioné licet animadvertere: sed tantum Ianitorum, quos populari lingua Husserios, id est, Hostiarios, appellat. Verùm, quid hęc tenuia & minuta dilucidæ rei argumenta

con-

conquirimus? cùm perſpicuum ejus documentum extet, apud *Wilhelmum Neunbrigenſem, libro Rerũ Anglicarum* 4. *cap.* 2. quod idcirco ſubſcribemus, ne tam inſignis Majorum noſtrorum ſapientiæ memoria intercidat: & canibus aulicis, qui nobis antehac allatrarunt, ora obturemus. Scribit autem *Neunbrigenſis* de rege Philippo, Ludovici filio, qui cum Richardo Anglorum rege ad recuperandas Hieroſolymas profectus eſt: circiter annum MCXC. Sanè, *inquit*, poſtquam percrebuit apud regem Francorum, quod Marchioni acciderat, de amici quidem indigno exitu doluit: ſed mox hunc dolorem ſuſcepta cum ingenti gaudio ſuggillandi Regem Anglorum occaſio compenſavit. Cumque in propriis eſſet tam longe finibus à Syria conſtitutus, illius in Oriente conſiſtentis vel fruſtra timebat, vel poti⁹ ſe ad augendam invidiã, timere fingebat inſidias: & tanquam ab eo ſubornati imminerent ſicarii, præter morẽ Majorum ſuorum non niſi firmata val-

latus cuſtodia procedebat : adeo ut quidam familiari auſu propius accedentes, non ſine periculo hoc auſi dicantur. Mirantibus hanc novitatem regiam plurimis, ut pro ea ſatisfaceret, gentemque ſuam in regem Anglorum accenderet, Præſulum Proceruumque ſuorum Concilium Pariſios convocavit. Ubi allegans contra eundem Regem plurima, tanquam certa, atque inter cetera, quòd virum illum nobiliſſimum nequiter per diros ſatellites peremiſſet, literas quoque protulit à quibuſdam potentibus ſibi (ut dicebat) transmiſſas, quibus monebatur propenſiorem ſuimet habere cautelam: ſciens quòd Rex Anglorum inſidiaturus animæ ſuæ ab Oriente jam direxiſſet ſicarios. Quamobrem, inquit, nemo debet mirari, quod præter ſolitum diligentiorem mei ipſius curam habeam: quam tamen ſi reputatis vel indecentem, vel ſuperfluam, decernite amovendam. Adjecit etiam, cordi ſibi eſſe de manifeſto proditore proprias maturè ulciſci inju-

injurias. Adhæc plurimi adulatoriè responderunt, bonum honestumque esse, quod procautela faciebat: & quod pro ultione disponebat. Prudentes vero dixerunt, Cautelam quidem tuam, Rex, qua tibi contra incertos casus fortè abundantiùs prospicis, non culpamus: præmaturæ verò ultionis propositum minimè approbamus. Nam etsi vera sint quæ de Rege Anglorum dicuntur, non tamen est petulanter & præmature agendum: sed respectum honesti sustinendũ, quousq; ad propria revertatur, qui propter Christum peregrinari noscitur. *Hæc Neunbrigensis.* Deinceps alteram Majorum nostrorum in regno constituendo sapientiam consideremus. Nam quæ tertia tyrannidis nota numeratur, ut non ad civitatis & subjectorum, sed ad ipsius dominantis commodum atque arbitrium omnia referantur, ejus nullam in nostra Repub. maculam multas per ætates hæsisse, ex eo intelligetur, quòd paulo posterius docebimus, summam

regni Francogallici administrationem penes publicum & solenne gentis Concilium fuisse: quod posterior ætas Conventum trium Statuum appellavit. Cujus appellationis ratione *Claudius Seyssellus in libello quem Franciæ monarchiam inscripsit*, ad tres civium ordines referendam putat: quorum summum nobilitati, medium juridicis & mercatoribus, tertiũ opificib. & agricolis attribuit. *Verba illius capit. 13. hæc ferè* sunt: Est in hoc regno forma quædam Reip. magnopere & laudanda & retinenda: quoniam plurimum in ea momenti est ad ordinum omnium concordiam constabiliendam: neque dubium est, quin quandiu suum cuique ordini jus suaque dignitas servabitur, difficile sit regnum labefactari. Nam cujusque ordinis certa est prærogativa: neque: ea servata, potest alter alterum evertere: ac ne tres quidem simul in Principem & Monarcham conspirare possunt. Horum porrò in ordinum trium numerum nequaquam repono Eccle-

Ecclesiasticos: qui per illos permixti sunt: sed tres status sive ordines numero, primùm Nobilitatem: tum medium populum, qui dici Opimus potest: postremò plebem infimam. *Hæc Seyssellus.* Sed videamus, ne cùm hæc tripartita distributio non ad vitæ communis rationem, sed ad publicum gentis Concilium referatur (qua de caussa Concilium illud vulgo Trium statuum appellatur (ecquid commodius, ad illa tria genera referri possit, quibus id Concilium constat: hoc est, ad regalem, optimatum & popularem: quippe, cum hujus regni status is fuerit, quem Philosophi veteres, (in his Plato & Aristoteles, quos Polybius & Tullius imitati sunt) optimum ac præstantissimum judicarunt: nimirum qui è tribus generibus Regali, Optimatum, & Populari mixtus ac temperatus esset: quàm Reipub. formam idem Tullius in suis de Repub. libris unam ex omnibus potissimam esse duxit. Nam cùm regius &

popularis dominatus natura inter ſe diſſideant, adhiberi tertium aliquem oportet intermedium, & utriuſque communem, qui eſt Principum, ſive Optimatum: qui propter ſplendorem & antiquitatem generis, ad regiam dignitatem accedit: propter clientelam, & (ut vulgo loquimur) ſubiectionem plebeio genere minus abhorret. Unum n. eundemq; cum plebe populi univerſi Magiſtrum agnoſcunt. Hujus autem præclari Reipub. ſtatus inſignis extat Ciceronis laudatio, ex Platonis de Repub. libris expreſſa, quam propter ſingularem elegantiam ſubſcribemus: Ut in fidibus inquit, ac tibiis, atque cantu ipſo, ac vocibus concentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, quem immutatum ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt: iſque concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur, & congruens: ſic ex ſummis & mediis, & infimis & interjectis ordinibus, ut ſonis, moderata ratione civitas, conſen-

ſu

ſu diſſimillimorum concinit: & quæ harmonia à muſicis dicitur in cantu, ea eſt in civitate concordia: arctiſſimum atque optimum in Republica vinculum incolumitatis, quæ ſine juſtitia nullo pacto eſſe poteſt. Hæc Cicero, de Optimo Reip. ſtatu: quem ex tribus permixtis generibus temperatum, Majores noſtri in Francogalliæ regno conſtituendo tenuerunt, quod cum alijs argumentis demonſtrari poteſt, tum verò vel maximè ex Oratione Regis Ludovici cognomento Pij, ad omnes Francogalliæ ordines habita: & ab *Anſegiſo in lib. Franc. leg.* ſecundum relata, cujus *cap.* 3. verba hæc extant: Sed quanquam ſumma hujus miniſterii Regii noſtra perſona conſiſtere videatur: tamen & divina auctoritate, & humana ordinatione ita per partes diviſum eſſe cognoſcitur, ut unuſquiſque veſtrum in ſuo loco & ordine partem noſtri miniſterii habere cognoſcatur; unde apparet, quod nimirum veſtrum admonitor eſſe debeo: & omnes vos noſtri adju-

tores esse debetis: nec enim ignoramus, qui unicuique vestrum in sibi commissa portione conveniat. *Item cap.* 12. Et sicut diximus, unusquisque vestrum partem ministerii nostri per partes habere dignoscitur. *Item cap* 6. Monemus vestram fidelitatem, ut memores sitis fidei nobis permissæ, & in parte ministerii vestri vobis commissi. Hanc igitur mixtam à tribus generibus Reipub. temperationem Majores nostri secuti, sapientissimè constituerunt, ut quotannis publicum totius regni Concilium Kalendis Maij haberetur: quo in Concilio de summis quibusque Reip. negotiis communi ordinum omnium consilio ageretur: sic, ut vetus illa aurea lex valeret: SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO. Cujus instituti sapientia & utilitas tribus maximè rebus cernitur. primùm quòd in magno prudentium numero magnitudo consilii ac propter ea salus populi versatur: *Proverb.* 11. & 15. ut Salomoni & aliis sapientibus placuit. deinde quia liber-

tatis

tatis pars eſt,quorum periculo res geritur,ut illa eorũ conſilio atq;auctoritate adminiſtretur: &,quemadmodũ Imp. Juſtinianus dixit, quod omnes tangit, ab omnibus approbetur: poſtremò ut qui apud Regem in magna potentia ſunt, & magnis imperiis præſunt, ejus Concilii metu, in quo Civitatum poſtulata liberè audiuntur, in officio contineantur. Nam quòd regna quædam unius Regis arbitrio ac nutu gubernantur, quale hodie Turcium eſſe conſtat, rectiſſimè *Ariſtoteles lib. Polit. 3.* animadvertit, non hominum liberorum & lumine mentis ac rationis utentium,ſed pecudum potius & brutorum conſilii expertium eam gubernationem eſſe. Sic enim ſe res habet: ut pecudes, non ab uno è ſuo genere: ut pueri aut adoleſcentes, non ab uno è ſuis æqualibus, ſed à præſtantiore aliquo reguntur: ſic hominum multitudo non ab uno è ſuo numero, qui minus fortaſſe, quàm alii complures, videret: ſed à mente ex multis conflata,hoc eſt,conjunctis probatorũ virorũ cõſiliis,regẽ-

da

da & gubernanda est. Nam quòd Senatum assidunm & ordinarium plerique habent Reges, cujus consilio in administranda Repub. sese uti dicunt: primùm aliud est regni, aliud Regis consiliarium esse. Ille Reipub. universæ, & in commune consulit: hic unius hominis commodis atque utilitatibus servit. Deinde cum illi Senatores assidui vel uno in loco, vel certè in aula Principis perpetuò maneant, longinquarum civitatum nosse ac videre statum commodè non possunt. Præterea regalis & aulicæ vitæ illecebris inducti, facilè ad libidinem dominandi, ad ambitionem, & opes amplificandas depravantur: ut ad extremum non regni, & Reip. consiliarii, sed Regis unius assentatores, & ministri cupiditatum & regiarum, & suarum quoque appareant. Qua de re extat insigne Imp. Aureliani elogium apud *Fl. Vopiscum*, quod subscribemus: Ego (*inquit*) à patre meo audiui, Diocletianum principem, jam privatum dixisse, nihil esse difficilius, quàm bene

ne imperare. Colligunt se quatuor vel quinque unum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt quid probandum sit. Imperator qui domi clausus est, vera non novit: cogitur hoc tantùm scire, quod illi loquuntur. Facit judices, quos fieri non oportet. Amovet à Repub. quos debebat retinere: quid multa? ut Diocletianus ipse dicebat, Bonus, cautus, optimus venditur Imperator. *Hactenus Vopiscus* apud quem tamen haud scio, an non rectius INCAUTUS legeretur. Utcunque sit, hæc incommoda veteres Romani metuentes, Regi quidem Senatum ordinarium attribuerunt: sed, ut salus populi suprema lex esset, summam Reip. non regi, aut ejus senatui, sed ipsi populo & comitiis reservarunt. Quare sub omnibus Regibus hæc lex fuit: UT populus in comitiis magistratus crearet; leges scisceret, bella decerneret: quemadmodum *Dionysius Halic. lib. 2.* testatur. Pomponius quidem Jurisconsultus memoriæ prodidit; populum R. pri-

mis

mis temporibus in triginta partes divisum, quæ Curiæ dictæ sunt: propterea quod rex Reipublicæ curam (ut ipse ait) per sententias partium earum expediebat, unde leges Curiatæ dictæ, & antiquissima omniũ comitia, Curiata: quinetiam *Seneca l. Epistol.* 19. scribit, se ex Ciceronis de Republica libris didicisse, PROVOCATIONEM AD POPULUM ETIAM A REGIBUS FUISSE: quod etiam *Tullius initio libri Tusculanarum Disputationum* IV. his demonstrat verbis: Nam cum à primo urbis ortu regiis institutis, partim etiam legibus, auspicia, cerimoniæ, comitia, provocationes, & cetera tota res militatis divinitus esset constituta, &c. Sed & in *Oratione quam pro domo sua habuit:* Nego, *inquit*, potuisse jure publico, legibus iis quibus hæc civitas utitur, quenquam civem ulla ejusmodi calamitate affici sine judicio hoc juris in hac civitate etiam tum cum Reges essent, dico fuisse, ut nihil de capite civis, aut de bonis sine

ſine judicio ſenatus, aut populi, aut eorum qui de quaque re conſtituti judices ſunt, detrahi poſſit. Quibus ex locis perſpicuum eſt, Romanos, etiam tum cùm regibus parebant, hanc tamen ſacroſanctam legem habuiſſe, quam ſuperius commemoravimus: SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO. neque unquam regnum ullum fuiſſe arbitror, præter Turcicum, aut Turcici ſimile, in quo cives non aliquam libertatis imaginem retinerent, quæ in unico comitiorum habendorum jure poſita eſt. Itaque legem illam Majores noſtri ſumma ſapientia ſecuti decreverunt, Rempublicam communi omnium ordinum conſilio gerendam eſſe: cujus conſilii habendi cauſſa certo anni tempore Rex, & principes & delecti ex ſingulis provinciis conventum agerent. Quod idem iſtitutum, videmus etiam multis in alliis gentibus obſervatum fuiſſe. Primùm in Gallia noſtra antiqua, & libera, quam ſu-

ſuperiùs ex Cæſaris commentariis oſtendimus communi Delectorum Concilio adminiſtratam fuiſſe. Sed quoniam de Regno inſtituta commemoratio eſt, ſatis conſtat, antiquitus in Græcia Amphyctionum Concilium fuiſſe ab rege Amphyctione (*ut Suidas & alii teſtantur*) Deucalionis filio inſtitutum, ut è XII. Græciæ civitatibus certo anni tempore delecti ad Thermopylas convenirent, ibique de regni & Reip. ſummis rebus communi conſilio deliberarent. qua de cauſſa *Cicero* Commune, *Plinius* Publicum illud Græciæ Concilium appellat: *ſic Ariſtoteles lib. Ethicorum* III *ſcribit*, Homericis temporibus, quæ Reges ſuſcipiebant, de iis prius ad populi Concilium referre ſolitos fuiſſe. *Sic Herodotus* memoriæ prodidit: duodecim Joniæ civitates commune plerunque Concilium habuiſſe: quod idcirco πανιώνιον appellabant: ſicuti Ætoliæ quoque civitates ſuum παναιτώλιον habuere: quorum nominum exemplo *Budæus* noſter Francogalliæ noſtræ Conci-

Concilium πανκέλτικον appellat. Sic Populus Lacedæmonius, etsi regem habebat, tamen de summa Repub. quidnam esset utile & honestum deliberabat: ut ex *Æschine scribit Gellius lib.* 18. *cap.*3. quinetiam Regibus suis Ephoros, tanquam custodes atque observatores, imponebat, qui (quemadmodum Plato scribit) Regibus freni instat essent, quorumq; consilio atque auctoritate Reges Repub. administrarent. Quam eandē in insula Taprobane regni rationem *Plinius* cōmemorat *l.6.cap.*22. ut Regi xxx. Rectores attribuerentur à populo, quorum cōsilio in gubernanda Rep. uteretur: ne si immensa interminataque Regibus in cives potestas permitteretur, eodem loco ac numero non modò suos cives, sed etiam consanguineos, quo' vel mancipia vel pecudes, haberent: quod in Turcico imperio accidisse constat, ubi non modò privatos quosque cives quasi pecudes mactare Tyranno jus est; verùm etiam cognatos, propinquos, affines, fratres deni-

que consanguineos. Simillimam Germanorum in imperio Germanico constituendo sapientiam fuisse apparet, ubi Imperator, Monarchiæ: Principes, Aristocratiæ: civitatum verò legati, Democratiæ speciem obtinent: neque quicquam quod ad summam Rempubl. Germanicam pertineat, nisi in Ordinum convẽtu constitutum atque complacitum sit, ratum & firmum habetur. Quinetiam eandem apud Anglos Regni administrandi formam esse, testis est *Polyd. Virg. lib. Ang. Hist.* 11. ubi sic scribit: Ante hæc tempora, (Regis autem Henrici I. vitam exponit) Reges non consuerant populi conventum consultandi causa, nisi perrarò, facere: adeò ut ab Henrico institutum manasse jure dici possit, quod tam altis defixum, ut etiam nunc, radicibus semper stetit, ut deinceps quicquid ad Rempublicam bene gerendam, ejusque conservationem deliberandum foret, illud ad Concilium deferretur, & siquid aut Regis aut populi jussu decretum

tum factumque esset, jd totum pro nihilo haberetur, nisi ejusmodi Concilii auctoritate foret comprobatum. Ac ne imperitæ vulgi multitudinis, cujus proprium est nihil sapere, judicio Concilium impediretur, certa lege exceptum fuit ab initio, qui ex Sacerdotum cœtu, quive, quotve ex reliquo populo vocari deberent ad Concilium. More Gallico vulgò Parlamentum appellant, quod unusquisque Rex initio sui regni habere solet: qui & deinde, quoties res postulat, suo arbitratu illud ipsum convocat. Hæc Vergilius. Et in eandem sententiam vetus quidam scriptor Angliæ Concellarius in libello cui titulus est, *Alearned. commendation: cap.* 36. Neque Rex, *inquit*, ibidem per se aut ministros suos tallagia, subsidia, aut quævis alia onera imponit legiis suis: aut leges eorum mutat, vel novas condit, sine concessione vel assensu totius Regni sui, in Parlamento suo expresso. Sed ex his gentium ferè omnium institutis nullum æque

insigne memoratur ut illud Hispanorum, qui cùm in communi Arragoniæ Concilio Regem creant, rei memoriæque consignandæ caussa fabulam per agunt: hominemque inducunt, cui Juris Arragonici nomen imponunt: quem Rege majorem ac potentiorem esse communi populi decreto sanciunt, tandemque Regem certis legibus & conditionibus creatum his affantur verbis, quæ propter eximiam ac planè singularem gentis illius in frenando Rege fortitudinem proferemus: NOS QUI VALEMOS TANTO COME VOS, Y PODEMOS MAS QUE VOS, VOS ELEGIMOS REY: CON ESTAS Y ESTAS CONDITIONES: INTRA VOS Y NOS, VN QVEMANDA MASQUE VOS. Id est, Nos qui tanti sumus, quanti vos, & plusquam vos possumus, Regem vos eligimus, his atque his conditionibus. Inter vos & nos unus majore cum imperio est, quam vos. Eoque illud pertinet Johannis *Vassei in Chronicis Hispan. sub anno* 839.

Ermi-

Ermicus populari ſuffragio electus Rex, unctus, & coronatus, ſed certis conditionibus, nimirum, ut in eos æquis legibus uteretur, atque ut unus judex eſſet medius inter Regem & populum, ſiquid controverſiæ orietur, ISQUE ARAGONIÆ IUSTITIA appellaretur. Item *Lucius Marinæus lib.* 8. Princeps, *inquit*, eligitur, propoſitis tamen nonnullis conditionibus, ut in eos æquis legibus uteretur, à quibus etiam judex qui medius inter eos eſſet, petebatur, & ARAGONIÆ IUSTITIA vocabatur. Item *Hieronymus Surita*, ſub anno DCCCXLIX. Joannes Simenius Cerdanus, qui præfecturam, quam vocant Juſtitiæ Aragonum, plures annos avorum ætate geſſit cujus præſtantiſſimi viri magna eſt apud omnes, & in primis gravis auctoritas, prodit eundem Magiſtratum, cui noſtri ſummam rerum deferunt, initio regni conſtitutum: ut quemadmodum apud Lacedæmonios Ephori Regibus oppoſiti fuerant, ſic apud Aragonios is magiſtratus vim majo-

 rem,

rem atque impotentiam Regiæ potestatis coerceret: & quodammodo præses atque custos libertatis haberetur. Inde enim magistratum introductum ferunt, præsidia communi libertati suppeditantem: cujus vis in libertate retinenda emineat: ut nemo jus suum amittere posset, nisi qui eum gerat auctor sit factus: & in posterum certum mansisse perfugium aut intermissæ aut retentæ libertatis: adeoque integrum purumque esse voluerunt, ut ipsius IUSTITIÆ nomine insignitum produxerint, Aragonensium certè legum atque institutorum serie liquido constat, magnis interdictorum præsidiis eam præfecturam septam fuisse atque communitam: cum, regno latiùs patente de libertate retinenda majores paulatim cautum sibi decrevere: ne in posterum extraordinariis potestatibus libertas adimeretur: neve quid de ejus dignitate minueretur.

Item sub anno M CXLIV, *Petrus Simenius præfectus Iustitiæ Aragonum.* Is magi-

magiſtratus primo Major Juſtitia appellatus fuit: quod ſupremum jus ac poteſtatem à Regibus obtineret: poſtea verò legibus ita ſeptus fuit, atque munitus, ut libertatis, à ſupremo dominatu vindicandæ atque tuendæ commune perfugium atque præſidium eſſet.

Item ſub anno M CCCXLIV. Rex proventus omnes & vectigalia Athonis Foccii, militariaque beneficia notari deſcribique decernit: & Foccius Garciæ Ferdinandiæ Caſtrenſis Iuſtitiæ Aragonum pręfecti interceſſione atque interdicto notationem eam abrogandam contendit: ſummaque de juriſdictione controverſia ſuboritur. Regii n. advocati eò actionem intenderunt, ut præfectum Juſtitiæ Aragonum rejectione interpoſità, judicem aſpernentur, atq; repudient: id jus eſſe aſſeverantes, ut in generali conventu, de iis controverſiis dijudicet, atq; definiat, quę cum Rege haberentur: neq; illi jus faſq; eſſe, extra conventum Regem in judicium deducere: neq; adverſus re-

giam dignitatem, pro aliquo judicium accipere; nisi, in ingenuitatis actionibus: aut in eis litibus, quibus Rex tanquam auctor obstrictus esset: & in his quæstionibus, quæ adversus Regios magistratus, & judices constituerentur.

Item sub anno MCCCXLVIII. Ex eo magistratus & Præfectura Justitiæ Aragonum stabiliendæ communis libertatis caussa, antiquitus legibus septa, atque munita, in eo vires suas exercere cœpit, ne quis contra regiorum ministrorum extraordinariam potestatem jussa, atque imperia, auxilii egeret: aut potentiorum injuria premeretur: ac fere de omnibus controversiis publicis, privatisque ne vis inferatur, constituit. Si quis aut privatus aut publicus ejus decreto non steterit, gravissima pœna afficitur; neque petenti jus redditur, aut ullus honos communicatur; idque legibus habent sancitum. Institutum verò ejus præfecturæ interdictis talle temperamentum fuit, ut tenuiores & qui locum infimum

ſimum civitatis tenent, cum principibus viris æquari ſe arbitrentur: & eam ſciſcendarum legum rationem noſtri ſecuti videntur, in eo magiſtratu muniendo, ut regiis judicibus opponeretur: quemadmodum Lacedæmone Ephori à Theopompo Spartanis Regibus oppoſiti fuerant: & apud Romanos Conſulibus Tribuni plebis. Sed ne exiſtimatio atque auctoritas ejus magiſtratus unquam immuni poſſet, aut popularis fieret, atque omnes juſſis ſupremæ legis obtemperarent, & cum omnibus ea lex ſemper una atque eadem voce perſonaret, ut vere populi ſalus ſuprema lex eſſet, ac vinculum & firmamentum libertatis, atque omnes quod dici ſolet, quaſi ſacræ legis cathenis conſtringerentur, ea cautio adhibita eſt, ne ex infimo ordine, aut populari ſuffragio, quiſpiam eum magiſtratum adipiſceretur: ſed militari decore cohoneſtatus & à Rege aſcitus, atque ſuffectus. Moderatione quoque ea præfectura, non ad popularem auram provecta, ſed tem-

peratior à majoribus instituta est, quam Ephororum magistratus à Lacedæmoniis fertur introductus qui se adeo insolenter efferre consueverant, ut in more institutoque positum esset, ut in tribunali sedentes Regibus ne assurgerent: neve eos venerarentur: & singulis mensibus jurisjurandi religione obstringerentur: Reges se patriis legibus obtemperaturos: Ephori verò se Regum imperio obedientes fore: dum leges, ac scita institutaq; majorũ ab illis observarentur. Inde evẽit ut nõ dissensiõe ac dissidio, sed more institutoq; in uni⁹ Præfecturæ magistratu Resp. regiis magistratibus opposita non imbecilla esset: sed magnũ applausum assentiente populo consequeretur: & turbidi concitatiq; motus in posterũ comprimerẽtur: atque intestinæ dissensiones sine ullo tumultu, aut motu sedarentur. *Item anno* MCCCLXXXVI. Rex Johannem filium procuratione Regni privat: imperatque atque edicit, nequis primogenio pareat. Johan. anxius exploratis in se patris novercæque odiis, ut adversus

regiam

regiam poteſtatem juris imploraret auxilium, Dominicum Cerdanum ſummo Juſtitiæ Aragonum magiſtratui Præfectum appellat: atque ad eum provocat: eoque perfugio & legum præſidio adverſus majorem vim regiæ poteſtatis munitur. Præfectus, ut eſt conſuetudo, de vi interdicit. Tantum communi libertati tribuitur, ut Princeps de ſuo jure, & de legibus diſceptaturus ad eum potius magiſtratum venire, neceſſe habuerit: cum is magiſtratum gerat, qui à Rege creatus ſit. Ejus namque magiſtratus interdictis appoſitis, nihil Regii imperii, aut ſummæ poteſtatis fit reliqui: quoad magiſtratus ſuum de interdicti jure judicium pronunciet, & ſententiam ferat: ne dignitatis Regiæ præſtantia æquabilitatem cõmunis juris tranſeat: aut vi oppreſſos extraordinario imperio coërceat. Cerdanus in cauſſa populari maximeque plauſibili perpetua cõſtantia in propoſito, ſuſceptoq; conſilio permanſit. Eam n. vim interceſſio
num,

num, inhibitionemque Præfecturæ Justitiæ Aragonum majores esse voluerunt, ut nihil inviolabilius, sanctiusve ducant: & ad eam summam omnia referri velint, ut ij restituantur, qui vi compressi, constricti aut depulsi dejective fuerint: eaque religione observant, & in ea positum fuit semper ratione atque sententia, ut ejus magistratus ea vis sit, ut præscribat Regiis judicibus, ne quid adversus interdicta intercessionemque attentent, molianturve. Inde id perfugium, quasi præsidium communis salutis, legum, & institutorum venerantur, observant, arcte tenent, accurateque tuentur: ac primigenium regni heredem ad ea legis præsidia decurrisse, civitates omnes gloriantur. Quæ cum ita se habeant: cùm, inquam, gentium ac nationum omnium commune hoc institutum semper fuerit, quæ quidem regio ac non tyrannico imperio uterentur, ut SALUS POPULI SUPREMA LEX ESSET: perspicuum est non modò præclaram illam communis concilii habendi

habendi libertatem esse juris gentium, verumetiam Reges qui malis artibus illam sacro sanctam libertatem opprimunt, quasi juris gentium violatores, & humanæ societatis expertes, jam non pro Regibus, sed pro tyrannis habendos esse. Quanquam quid eos tyrannos appellemus, ac non etiam atrociore vocabulo utamur? cùm Fl. Constantinus tyrannus, qui juniore Honorio imperante tyrannidem in Gallia occupavit, vetus istud Galliæ nostræ institutum violare ausus non sit, sed tanquam sacrosanctum conservarit. Nam cùm Arelate regni sui sedem fixisset, eamque propterea Constantinam urbem vocari statuisset, publicum gentis Concilium quotannis ex vetere instituto haberi solutum, in ea urbe haberi statuit: hoc est, septem provinciarum conventus, Viennensis, utriusque Narbonensis, utriusque Aquitaniæ, Novempopulaniæ, & Alpium maritimarum: quod ex ipsius Constitutione nuper duorum clarissimorum viorum beneficio in lucem

cem edita, cognoscere licebit. IMP. CONSTANTINUS AD AGRICOLAM PRÆFECTUM PRÆTORIO GALLIARUM. Saluberrima magnificentiæ tuæ suggestione inter reliquas Reip. utilitates evidenter instructi, observanda provincialibus nostris: id est, per septem Provincias mansura in ævum auctoritate decernimus, quod sperari planè ab ipsis provincialibus debuisset. Nam cum propter privatas & publicas necessitates de singulis civitatibus, non solùm de singulis Provinciis vel Honoratos confluere, vel mitti legatos aut possessorum utilitas, aut publicarum ratio exigat functionum: maximè opportunum & conducibile judicavimus, ut servata posthac quotannis consuetudine, in constituto tempore, in Metropolitana, id est, in Arelatensi urbe incipiant septem Provinciæ habere concilium. In quo planè tam in singulis quam in commune consulimus: primum, ut optimorum conventus sub illustri præsentia præfecturæ, si id tamen ratio publicæ dispo-

ſpoſitionis obtulerit, ſaluberrima de ſingulis rebus poſſint eſſe conſilia. Tum quicquid tractatum fuerit, & diſcuſſum ratiociniis conſtitutum, nec latere potiores Provincias poterit, ut parem neceſſe eſt inter abſentes æquitatis formam, juſtitiæque ſervari. Hinc planè præter neceſſitates etiam humanæ converſationi non parum credimus commoditatis accedere, quod in Conſtantina urbe jubemus annis ſingulis eſſe concilium. Tanta eſt enim loci opportunitas, tanta eſt copia commerciorum, tanta illic frequentia commeantium, ut quicquid uſquam naſcitur, illic commodius diſtrahatur. Neque enim ulla Provincia fructus ſui facultate lætatur, ut non niſi hæc propria Arelatenſi ſoli credatur eſſe fœcunditas. Quicquid enim dives Oriẽs, quicquid odoratus Atalis, quicquid delicatus Aſſyrius, quod Africa fertilis, quod ſpecioſa Hiſpania, ꝗ fœcũda Gallia poteſt habere præclarũ, ita illi exhibetur affatim quaſi ſibi naſciãtur õnia
quæ

quæ ubique conſtat eſſe magnifica. Jam verò de curſu Rhodani,& Turoni recurſu, neceſſe eſt, ut vicinum faciant, & penè conterminum, vel quod iſte præterfluit, vel ille quod circuit. Cum ergo huic ſerviat civitati quicquid habet terra præcipuum: ad hanc vel navi, vel vehiculo, terra, mari, flumine deferatur quidquid in ſingulis naſcitur: quomodo non multum ſibi Galliæ noſtræ præſtitum credant, cùm in eadem civitate præcipiamus eſſe conventum, in qua divino quodam munere commoditatum & commerciorum opportunitas tanta præſtatur? Siquidem hoc rationabili planè, probatoque conſilio jam & vir illuſtris Petronius obſervari debere præceperit. Quod interpolatum vel injuria temporum, vel deſidia Tyrannorum reparari ſolita prudentiæ noſtræ auctoritate decernimus, Agricola Parens chariſſime, atque amantiſſime. Vnde & illuſtris magnificentia tua & hanc præceptionem noſtram, & priorem ſedis ſuæ diſpoſitionem per
ſeptem

ſeptem provincias in perpetuo faciet cuſtodiri: ut ab Idibus Auguſti quibuſcunque mediis diebus in Idus Septemb. in Arelatenſi urbe noverint Honorati, vel Poſſeſſores judices ſingularum Provinciarum annis ſingulis Concilium eſſe ſervandum, ita ut de Novempopuloniæ, & de ſecunda Aquitania, quæ Provinciæ longius conſtitutæ ſunt, ſi eorum Judices occupatio certa detinuerit, ſciant legatos juxta conſuetudinem eſſe mittendos. Qua proviſione plurimum & provincialibus noſtris nos intelligimus, utilitatiſque præſtare: & Arelatenſis urbis, cujus fidei ſecundum teſtimonia atque ſuffragia Patritii parentiſque noſtri multa debemus, non parvum adiicere nos conſtat ornatum. Sciat autem magnificentia tua, quinis auri libris Judicem mulctandum eſſe: ternis Honoratos, vel Curiales, qui ad conſtitutum locum intra definitum tempus venire diſtulerint.

De Regia majestate & annuo gentis Francogallicæ conventu, placito, curia, Parlamento.

CAP. XIII.

VErum ut ad institutum redeamus, cum illa, quàm superius exposuimus forma, Respub. nostra sapientissimo majorum instituto temperata è tribus generibus fuisset, constitutum est, ut quotannis, atque adeò quoties major aliqua res incideret, solenne & publicum Concilium indiceretur: quod propterea Trium statuum Parlamentum appellatum est: cùm eo vocabulo colloquium & conventus hominum intelligeretur, variis ex locis unum in locum cõmuni de re deliberandi causa coeuntium. Nam colloquia inter hostes pacis aut induciarũ causa instituta, semper in Chronicis nostris vetusto illo Parlamenti nomine appellantur. Huic porro Concilio Rex in aureo tribunali sedens, præerat cui primùm Principes Regnique magistratus, tum inferiore loco Dele-

cti ex singulis civitatibus subsidebant: quos populari lingua Deputatos appellamus. Nam ubi dies Concilii venerat, Rex in atrium constitutum, quasi in inaugustissimum & religiosissimum Justitiæ Gallicæ templum, ea pompa deducebatur, que magis ad popularem moderationem, quam ad Regalem magnificentiam accommodata videbatur. Quam etsi perditis hisce temporibus aulicis assentatoribus irrisui fore non dubitamus, tamen quoniam pietatis pars est, Majorum sapientia delectari, ex antiquis monimentis exponemus. Carpento igitur Rex in atrium ac potius in Reipub. sacrarium vehebatur bubus tracto, quos auriga stimulo agebat. Ubi verò in eum locum ventum erat, tum PrincipesRegem in aureo solio collocabant: reliquiq;(ut jam diximus) suo quisque loco atq; ordine subsidebant. Eoq; demum in statu atq; sacrario Regia Majestas dicebatur: cujus rei etiam nunc insigne monimentũ animadvertere licet in typo Regio, q; *Magnum Cancella-*

riæ sigillum vulgò nominamus,ubi Rex non equo militari insidens, aut triumphali more quadrigis invehens: sed togatus & coronatus, sedens in solio, dextraque sceptrum regale, sinistra sceptrum Justitiæ tenens, solennique concilio præsidens conspicitur. Et profectò ita est, ut ibi demum Regalis majestas verè proprieque dicatur, ubi de summa Reipub. consilium agitur: non,ut imperitum vulgus hodie usurpare solet, sive rex pila ludat sive saltet ac tripudiet, sive cum mulierculis garriat,ac nugas agat denique,ut semper Majestatem Regiam nominet. Harum autem rerum omnium testimonia è multis pauca proferemus. Primum ex historia *Eguinarthi*, qui Caroli Magni Cancellarius fuit, ejusque vitam conscripsit, & *Hunibaldi Appendice apud Iohan. Tritenhemium:* Quocunque,*inquit*, eundum erat,carpento ibat, quod bubus junctis & bubulco rustico more agente trahebatur. Sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui ad Kalendas

das Maii annuatim ob Regni utilitatem celebrabatur, ire, ſic domum redire ſolebat. Quod idem totidem propè verbis *Iohannes Nauclerus in Chronologia Generat.* 26. commemorat. *Itemque auctor magni Chronici* ſub initium vitæ Caroli Magni, fol. 177. Neque verò nimiopere admirandum id videtur: nam hunc temporum illorum morem fuiſſe, ut & Reges & Reginæ, & Regii liberi bubus veherentur, argumento eſt etiam ille *Gregorii Turon. locus lib. 3. cap. 26.* Deuteria verò (hæc Childeberti regis uxor erat) cernens filiam ſuam ex ſuperiore marito ſuſceptam, adultam valde eſſe, timens ne eam concupiſcens Rex ſibi adſumeret, in baſterna poſitam indomitis bobus conjunctis eam de ponte præcipitavit. Jam verò de Tribunali aureo *Aimoinus lib. 4. cap.* 30. ita ſcribit, ubi de Rege Dagoberto commemorat: Generale indixit PLACITUM in loco nuncupato Bigargio: ad quod properè convenientibus cunctis Franciæ Primoribus Kal. Maiis Rex ſolio

reſidens aureo, hoc apud eos habuit orationis exordium. *Item cap.* 41. ubi de Clodoveo Rege loquitur: Medius inter eos ſolio reſidens aureo hoc habuit orationis exordium. *Item Sigebertus. in Chron. anni* 662. Francorum, *inquit*, Regibus moris erat, Kal. Maii præſidere coram tota gente, & ſalutare, & ſalutari, obſequia & dona accipere. Quod *Georg. Cedrenus* totidem propè verbis ſic exponit: Κατὰ δὲ τὸν Μάϊον μῆνα προκαθέζεσθαι ἐπὶ παντὸς τοῦ ἔθνους καὶ προσκυνεῖν αὐτοῖς, καὶ αὖ τιπροσκυνεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν, δωροφορεῖσθαί τε κατὰ συνήθειαν, καὶ αὖ τιδιδόναι αὐτοῖς. Iam verò de popularium, qui ad Concilium convenerant, auctoritate, teſtimonium hoc extat apud *Aimoinum lib.* 4. *c.* 41. ubi de Clodoveo ſecundo loquitur: Quanquam (inquit Rex) Francigenæ cives, terreni nos cura principatus admoneat, publicis vos conſultores rebus advocare. *Idem eodem l. c.* 74. Æſtatis initio in Saxoniam eundem, & ibi (in Francia quotannis ſolebat) generalem conventũ quotannis habuit. *Item l.* 4. *c.* 13 ubi de

Caro-

Carolo Magno loquitur: Peracta venatione Aquisgrani, rediens generalem populi sui conventum more solenni habuit. *C.*116. Imperator autem duobus conventibus habitis, uno apud Noviomagum, altero apud Compendium, in quo & annua dona suscepit. *Item c.*17. Mense Augusto Wormaciam venit, atq; habito generali conventu, & oblata sibi annua dona more solenni suscepit, & legationes plurimas audivit. *Item lib.*5.*ca.*31. Generale PLACITUM Idibus Juniis in villa Duziaco tenuit: ubi & annua dona suscepit. Atque hæc quidem de solenni Concilio, quod Historici & Galli & Germani depravata Latini sermonis consuetudine modò Curiam modò Conventum generalem, plerunq; autem PLACITUM appellarunt. *Gregor.l.* 7.*c.*14. Igitur adveniente PLACITO directi sunt à Childeberto rege, &c. *& l.* 8.*c.*21. Sed cum ad PLACITUM Childebertus cum proceribus suis convenisset, &c. *Aimoinus lib.*4.*cap.*109. Medio mense Conventus generalis apud

Theodonis villam magna populi Francorum frequentia celebravit. *Et mox*: Eminuit in hoc PLACITO piissimi Imperatoris misericordia singularis. Nam moris fuit, ut in illo Concilio munera undique Regi mitterentur, quod & aliis multis locis traditur: quibus Concilium illud, Conventus generalis appellatur. *Aimoi. lib 4. cap 64.* ubi de Pipino Rege loquitur: Coëgit ut promitterent se omnem voluntatem illius esse facturos & annis singulis honoris causa ad generalem conventum equos trecentos pro munere daturos. *Item cap. 85.* Saxonum perfidiæ non immemor, conventum generalem trans Rhenum in villa Custensten more solenni habuit. Jam verò Concilium illud alio quoque vocabulo Curia dicebatur: unde nata popularis locutio, cùm ad aulam & Regiam itur, ut, iri ad Curiam dicatur; propterea quòd rarò ad Regem, nisi indicto publico gentis concilio & parlamento, magnisque de rebus adibatur. *Ivo Carnotens. epist. 206.*

206 Rex conceſſit,ut eum ad Curiam ſuam,quæ Aurelianis in Natali domini congreganda erat, ſecurè adduceremus: & ibi cum eo, & cum Principibus regni de hoc negotio, quantum fieri poſſet ſalua regni integritate tractaremus. Factum eſt, ut condictum erat,& convenientes in Curiam petitionem noſtram replicavimus. Sed reclamante Curia plenariam pacem impetrare nequivimus, niſi prædictus Metropolitanus per manum & ſacramentum eam fidelitatem Regi faceret, quam prædeceſſoribus ſuis Regibus Francorum antea fecerant omnes Remenſes Archiepiſcopi,& ceteri regni Francorum epiſcopi. Quod perſuadentibus omnibus Curiæ optimatibus factum e.t. *Aimoin. lib.5. cap.50.* Carolus,*inquit*, Danorum Regis filius Flandriæ Proceres quoſdam judicio Curiæ convenienter petebat. *Item c. ſequenti:* Defuncto Henrico Romanorum Rege, in ea quæ maxima & generalis eſt habita Maguntiæ Curia. Item *Otto Friſing. libro Frider.1, cap.40.*

 Poſt

Poſt hæc Princeps Bavariam ingreditur, ibique menſe Februario generalem Curiam celebravit. *Item cap.* 43. Conradus Romanorum Rex, Principes convocans in oppido Orientalis Franciæ Franconofurt generalem curiam celebrat. Poſterioribus autem ſeculis dicta eſt Franciæ Curia: interdum Curia Parlamenti trium ſtatuum: interdum curia Regis Franciæ: interdum præcisè Parlamentum ſtatuum: ut poſterius docebimus. Hinc illud *Speculatoris Iuriſconſ. ſub titulo De feriis, ad finem*: Poteſt excuſari conſuetudo CURIÆ REGIS FRANCIÆ, quæ tempore Parlamentorũ omni die jus reddit: ut venientes de longinquis partibus citius expediantur. Item illud *Ioannis Fabri in Auth. hoc niſi. C. de ſolut.* Curia Franciæ conſuevit ſtatuere, quod quando Rex monetam debilitat, recipitur pro forti: quando fortificat, habetur reſpectus ad tempus contractus. *Thomas Walſingham Hiſtoriæ Angl. ſub anno.* 1275. Sub iiſdem diebus Gaſco de Bierna à Rege Anglorum ob-

obsessus, super eo negotio quod inter Regem Eduardum & ipsum vertebatur, appellationem interponit ad curiam Regis Francorum. cui deferens Rex Eduardus, nolens Regem Francorum (quem nuper dominum suum pro terris in Francia recognoverat) contra se partem facere, ministris suis commisit, ut in curia Regis Franciæ caussam prosequerentur contra Gasconem.

De sacrosancta publici Concilii auctoritate: & quibus de rebus in eo ageretur.

CAP. XIIII.

DEinceps locus postulat, ut quibus de rebus in illo solenni Concilio ageretur, consideremus: Majorumq; nostrorum in constituenda Rep. sapientiam admiremur. Summatim autem has ferè observavimus. Primũ de creando vel abdicando Rege: tum de pace & bello: de legibus publicis: de summis honoribus, præfecturis, & procurationibus Reip. de assignanda patri-

patrimonii parte liberis defuncti Regis, vel dote filiabus constituenda: de re numaria, & monetæ rationibus: denique de iis rebus omnibus, quæ vulgus etiam nunc Negotia Statuum populari verbo appellat, quoniam summo multarum ætatum consensu de nulla (ut dixi) Reipubl. parte, nisi in Statuum sine Ordinum Concilio agi jus esset. Ac de creandis quidem aut abdicandis Regibus superius, tum ex Caroli Magni testamento tum etiam ex aliis auctoribus satis multa testimonia protulimus. Neque tamen illud prætermittemus, ex *Reginonis lib. 2. sub anno* DCCCVI. ubi de Carolo Magno scribens: Cum primoribus *inquit*, & optimatibus Francorum de pace constituenda & conservanda inter filios suos, & de partitione regni placitum habuit. Quo eodem modo *Aimoinus lib. 5. cap.* 17. ubi de rege Carolo Calvo commemorat: Generali (*inquit*) conventu in Carisiaco habito filium suum Carolum armis virilibus, id est ense, cinxit: corona Regali caput

put insignivit, & Neustriam ei attribuit: Pipino, Aquitaniam. Nam (ut superius dictum est) prærogativam quidem Regis filii magnam in illis comitiis habebant: sed tamen etiam si à parentibus in suo testamento designati heredes erant, à populo tamen eos confirmari oportebat: ex quo intelligitur, nullam Regibus de suo Regno testimenti factionem fuisse: neque ipso jure illam patris institutionem valuisse: sed à populo in communi Ordinum conventu confirmandam fuisse: quemadmodum in jure Romano dicere solemus, quia curator testamento patris inutiliter datur, iccirco datum à Prætore confirmandam esse. Hunc autem morem non modo Occidentales nostri, sed etiam Orientales Franci retinuerunt. cujus rei cùm alia pleraque apud alios testimonia extant, tum illud singulare apud *Vitichindum Sax. lib.* 2. ubi cùm paulò antè scripsisset Henricum Imp. filium suum Oddonem regni sui successorem designasse, ita infert: Defuncto

cto Henrico, omnis populus Francorum atque Saxonum jam olim designatum Regem à patre, filium ejus Oddonem, elegit sibi in principem: universalisque electionis notantes locum, jusserunt ad Aquisgrani palatium. *Et mox*, Ubi Magontini Episcopi, qui cum infulis occursum illius in pompa & processione expectabat, orationem ad populum exponit: En, *inquit*, adduco vobis à domino Henrico olim designatum, nunc verò à cunctis Principibus regem factum Oddonem. Si vobis ista electio placeat, dextris in cœlum levatis significate. Adhæc omnis populus dextras in excelsum levans, cum clamore valido imprecati sunt prospera novo Regi.

Quibus & similibus aliis ex locis facile intellectu est, idem Francorum Orientalium & Occidentalium institutum in suis Regibus deligendis fuisse: quippe, qui & unis ex sedibus patriaque olim profecti, & perquandiu sub iisdem regibus ac principibus iisdem legibus ac moribus uterentur.

Jam de regni procuratione, insigne illud testimonium apud *eundem auctorē* extat, *lib*.5.*c*.35. ubi de eodem Carolo Calvo loquitur: Carolus, *inquit*, Romam proficiscens, Compendii Placitum generale Kalend. Junii habuit: ubi per capitula, qualiter regnum Franciæ filius suus Ludovicus cum fidelib. ejus & regni primoribus regeret, usq; dum ipse Roma rediret, ordinat. *Idem eodem li.cap*.42. Cujus ætatem (de Carolo Simplice loquitur) Franciæ primores incongruā, ut erat, exercendæ dominationi arbitrati, concilium de summis ineunt rebus Franci, Burgundiones, Aquitanienseſque proceres congregati in unum, Odonem tutorē Caroli, regnique elegere gubernatorem. Iam verò de legib. & constitutionibus, vel unus ille Gaguini locus in vita Ludovici cognomento Sancti, testimonio esse potest: Cùm Parisium, *inquit*, Ludovicus venisset, conventu generali habito, Remp. reformavit statutis optimis legibus de jure à judicibus dicendo, & de officiis non emendis,

dis, &c. Porrò de summis honoribus, & præfecturis ad probatos viros deferendis, testimonium apud *Aimoinum* extat, *l.* 5. *cap.* 36. ubi de Carolo Caluo loquitur: qui cùm ante inaugurationem regni præfecturas arbitratu suo distribuisset, Proceres solenne Concilium indicere cœperunt, legatosque ad Regem mittere: neque prius Regem coronari passi sunt, quàm illorum Concilio atque auctoritate in illis mandandis magistratibus usus esset. Regi primores, *inquit*, indignati, quia quibusdam honores dederat sine illorum consensu, & ob id adversum ipsum conspirarunt, & conventum suum in villam Witmarium conduxerunt: indeque legatos suos ad Ludovicum direxerunt. sed & Ludovicus legatos suos ad illos direxit, &c. *Item Regino lib.* 2. Carolus placitum habuit in Compendio, ibique cum optimatum consilio Rodiberto Comiti ducatum inter Ligerim & Sequanam commendavit. *Item Appendix Gregor. Turon. lib.* 11. *cap.* 54. Eo anno, *inquit*, Clo-

Clotharius cum proceribus & leudibus Burgundiæ Trecassinis conjungitur: cum eos solicitasset, si vellent, mortuo jam Warnhario alium in ejus honoris gradum sublimare: sed omnes unanimiter denegantes, se nequaquam velle Majorem domus eligere, Regis gratiam obnixè petentes, cum Rege transegere. *Et cap.* 101. Mortuo Theodorico rege, Franci Clodoveum filium ejus paruulum elegerunt in Regem, quo non multos post annos mortuo, Childebertus frater ejus in regnum resedit: Grimoaldus autem cum Childeberto Rege Major domus palatii super Francos electus est. Ad eundem numerum referendæ sunt Principum contentiones, quæ Reip. perniciosæ futuræ videbantur, de quibus in eodem illo Concilio disceptabatur. Nam *Aimoinus lib.* 4. *cap.* 1. ubi de Clotario Chilperici filio commemorat, à quo Brunechildis Austrasiæ regnum postulabat, *ita loquitur:* Clotarius respondit, conventum nobilium debere eam aggregare Franco-

rum, & communi tractatu de communibus consulere rebus: se verò judicio illorum in omnibus pariturum, nec pręceptis promisit obstaturum. Quod idem *Appendix Gregor. l.* 11. commemorans: Clotarius, *inquit*, respondebat, judicio Francorum electorum quicquid procedente domino à Francis inter eosdem judicabitur, pollicitū esse implere. Eodemq; modo apud *eundem Gregorium l.* 8. *c.* 21. Boso Gunthrannus sepulchri violati in publico Francorū Concilio accusatus damnatusque dicitur. Cum ad placitum, *inquit*, Childebertus cum proceribus suis convenisset & Gunthranus de his interpellatus clam aufugisset, ablatæ sunt ei omnes res, quas in Aruerno de fisci munere promeruerat. *Itē Aimoi. l.* 5. *c.* 12. ubi de rege Ludovico Pio loquitur, quem filii odiis & contentionibus exagitabant: Cùm autem instaret Autumnalis temperies, ij qui Imperatori contraria sentiebant, alicubi in Francia conventum fieri generalem volebant. *Itē ca.* 13. In Theodonis villam convenire gene-

generaliter suum populum præcepit. Et paulò pòst: Sed post paucum tempus idem ad festum Sancti Martini populum convocavit: filiumq; Pipinum fugientem ad se quoquomodo revocare voluit: sed ille id refugiebat. Eademq; ipsa de re *Gaguinus* commemorans. At conjurati, *inquit*, cùm intelligerent absq; procerum conventu Regem se deiicere non posse, magnis viribus enituntur Concilium in Francia habere. Repugnabat tamen Ludovic⁹ quòd sciret Francos ab inimicis adversum se persuasos esse, Maguntiæ propterea conventũ indixit: mandatque neminem in Concilio cum armis admitti. At ne publico auctoramento conjurati adversus patrem filii destituerentur, coacto apud Compendium ex toto regni Episcoporũ Procerumque Concilio, Lotharius eductum de custodia patrem Compendium perduxit. Rursus *Aimoinus li.5.c.38.* ubi de rege Ludovico Balbo scribit, qui Concilium Marsuæ agebat, & de pace cum suo consobrino cõferebat: In ipso qui-

 dem

dem placito, *inquit*, hæc quæ ſequuntur inter eos conſenſu fidelium ſuorum ſervanda convenerunt. Nunc cetera videamus. Nam illud præterea reperio moris fuiſſe, ut ſiquis Princeps atque illuſtriore loco natus criminis alicujus inſimularetur, in judicium ad illud Concilium vocaretur, ibique cauſam dicere cogeretur. Itaque regis Clotarii tempore cùm Brunechildis multorum capitalium criminum accuſata & damnata eſt, Rex Concilio Francogalliæ indicto, ita cum ordinibus loquitur, apud *Aimoinum lib.4.cap. 1.* Vos dulciſſimi commilitones, & præeminentes Franciæ primores, decernite cui ſubjaceat ſupplicio tanti obnoxia ſceleris. Et *Ado Ætat.6.ſub anno* 583. In præſentia, *inquit*, Regis judicantibus Francis, indomitis equis religata diſcinditur. De regalis verò patrimonii partionib. & appannagiis, teſtimonium extat apud *Aimoin. l.5.c. 94.* ubi de Carolo Magno commemorans ita loquitur: Illis abſolutis conventum habuit Imperator cum primori-

moribus & optimatibus Francorum de pace constituenda, & conservanda inter filios suos, & divisione regni facienda in partes tres, ut unusquisque illorum suam partem tueri & regere debuisset, si superstes illi eveniret. Item eo loco ubi de partitione inter Ludovici liberos facta loquitur, *lib.5.cap.*40. Profecti Ambianos, & sicut fideles illorum invenerunt, regnum paternum inter se diviserunt: *Item cap.*41. ubi de Carolomanno scribit, qui Wormaciæ Concilium agebat. Ad quod Placitum Hugo profectus pro petitione partis regni, quam frater suus Ludovicus in locarium acceperat. Quinetiam ex aliis locis licet animaduertere, si quando Rex majores sumptus facere instituisset, velut in templis ædificandis & monasteriis fundandis, his de rebus ordinum consilium exquirebat. Nam *Aimoinus lib.* 4.*cap.*41. ubi de Clodoveo secundo loquitur, qui in tribunali pro solenni Concilio sedebat: Hoc habuit, *inquit*, sermonis exordium: Quanquam

Francigenæ cives, terreni nos cura principatus admonet, publicis vos consultores rebus advocare, Atq; hæc quidem hactenus. Ex quibus perspicuum esse arbitramur, quod initio diximus, Majores nostros, qui verè Franci ac libertatis custodes fuerunt, non Tyrannum sibi aut carnificem imposuisse, qui suos cives in pecudum loco ac numero haberet: sed ab omni tyrannica & Turcica dominandi libidine abhorruisse: divinumq; illud præceptum arcte retinuisse: SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO: quippe, qui omnem planè regni administrandi potestatem penes maximum comitiatū, & ordinum Concilium collocarunt: quod, ut ante diximus, Placitum appellabant, velut apud *scriptorem Chronici Besnensis: Anno* DCCLXIII Pipinus Rex placitum magnum habuit cum Francis apud villam Carisiacum. Hujus autem vocabuli origo hinc fluxit, quod Latina consuetudine Placitum id propriè dicitur, quod re in multorum consilio quæsita & deliberata, tan-

tandem inter ipsos convenit: unde Placita philosophorũ apud Ciceronẽ & alios auctores dicta sunt. *Gellius l.15. c.3.* Populus, *inquit*, Lacedæmonius de summa Rep. quidnam esse utile & honestum deliberabat. *Et mox*: Consiliũ quod dabat acceptum ab universis & complacitum est. Sic Romę quæ Senatus de majoris Senatorum partis sententia decreverat, his perscribebantur verbis: PLACERE SENATUI: ut cum ex aliis veteribus S.C. cuivis notum est, tum etiam ex iis quæ in libris nostris extant: velut in *l. item veniunt*, 20. *§. præter hæc. D. de hered. petit. & l.2. D. ad Vellejan.* neque quicquam in iisdem libris frequentius est, quàm Placitum appellari, quod inter aliquos convenit, velut in *l. ult. C. de pignorib.* Pro tenore communis militantium placiti unde Placitum, pro conventione in *l. 33. C. de transact. l. j. C. de pact. l. 4. D. de servitut.* & aliis sexcentis locis. Quę cùm ita se habeant, non absurda, opinor, conjectura nostra videbitur, quam aliis jam quibusdam in libris nostris

expoſuimus, vulgatam formulam, qua etiam nunc regii ſcribæ in legum & conſtitutionum clauſulis utuntur, ex illo PLACITI vocabulo, natam eſſe: QUIA TALE EST NOSTRUM PLACITUM. Nam cùm illæ Latinis litteris ſcriberentur (quod ex *Aimoino & Capitulari Caroli Magni*, & omnibus archiis, monimentiſque Gallicis ſatis conſtat) poſtea ſcribæ regii, ubi populari ſermone uti cœperunt, ita vel ignorantia, vel malitia potius converterunt: *Car tel eſt noſtre plaiſir*: Quoniam ita nobis placet. Nam de populi quoque poteſtate argumentum in Caroli Capitulari hoc extat: Ut populus interrogetur de capitulis, quæ in lege noviter addita ſunt: & poſtquam omnes conſenſerint, ſubſcriptiones & manufirmationes ſuas in ipſis capitulis faciant. Quibus ex verbis patet, populos Franciæ, iis demum olim legibus aſtringi ſolitos, quas in comitiis ſuffragiis ſuis ſanxerant, quod ei legis definitioni conſentaneum eſt, quam juris conſultus *Mar-*

cianus

cianus ex *Demosthene* protulit in *lib.* 2. *D. de Legibus* νόμος ἐστὶ πόλεως συνθήκη κοινή: lex eſt pactio & conventio civium, Reipubl. bonoque publico conſulentium. Eodemque illud pertinet in fine *Legatis Alemanicæ*: Hoc decretum eſt apud Regem, & Principes ejus, & apud cunctum populum Chriſtianum, qui infra regnum Merovingorum conſiſtunt. *Item apud Aimoin. lib.* 5. *cap.* 38. In ipſo Placito hæc quæ ſequuntur, inter eos conſenſu fidelium ſuorum ſervanda convenerunt. Conventio quæ inter glorioſos Reges &c. & ipſis & communibus fidelium ipſorum faventibus & conſentientibus facta eſt. Sed nullum certius ejus rei documentum eſt, quam quod ſuperius ex libro Legis Francicæ II. protulimus: ubi Ludovicus Pius univerſos Regni ſui Ordines ſic affatur: Quanquam ſumma miniſterii Regii in noſtra perſona conſiſtere videatur, tamen & divina auctoritate, & humana ordinatione ita per partes diviſum eſſe dignoſcitur, ut unuſquiſque ve-

ſtrum in ſuo loco &ordine partem miniſterii noſtri habere cognoſcatur. *Item cap.*12. Unuſquiſque veſtrum partem miniſterii noſtri per partes habere dignoſcitur. *Item cap.*22. In noſtro Capitulari de hac re communi conſultu fidelium noſtrorum ordinavimus. *& cap.*24. Volumus etiam, ut capitula quæ nunc & alio tempore conſultu fidelium noſtrorum à nobis conſtituta ſunt, à Cancellario noſtro Archiepiſcopi & Comites accipiant. Poſtremò ne illud quidem prætermittendum eſt, tantam hujus Concilii apud exteras gentes auctoritatem fuiſſe, ut etiam Principes exteri ſi quid controverſiæ haberent, id interdum illius Concilii judicio permitterent. *Appendix Gregor. Turon.l.*11.*c.*37. Anno XII. regni Theodorici cum Alſaciones, ubi fuerat enutritus, præcepto patris ſui Childeberti tenebat, ad Theodebertum barbarico ritu pervaditur: unde placitum inter hos duos Reges, ut Francorum judicio finiretur, Saloiſſo caſtro inſtituunt.

De

De Præfectis Regiis, qui Majores domus dicebantur.

CAP. XV.

PRiusquam de continuata Publici Concilii auctoritate plura exponamus, non prætermittenda commemoratio est de Regiis Præfectis, qui Merovingicis temporibus Majores domus, hoc est, Magistri Palatii dicebantur: qui cum regiam potestatem aliquandiu obsedissent, aliquando tandem facultatem nacti, eam pro sua occuparunt. Eorum video eandem propè apud Reges nostros dignitatem fuisse, qualis quondã apud Imperatores Romanos erat Pręfectorum Prætorio: qui etiam Aulæ præfecti dicebantur. Creari autem eodem in Concilio & conventu, quo Reges ipsi solebant: publicique postea consilii auctores ac principes erant. Itaq; passim apud Historicos nostros illa occurrũt: In principatum Majoris domus elegerunt. *Item*: Herchinoldo Majore domus de-

defuncto, Franci Ebroinum in hac dignitate, ut Major esset in Aula regia, constituunt. *Item:* Hildericum super se regem levant, Majorem domus, Wolfoldum. Quod ad superiorem proximam tractationem pertinet, ubi docuimus majores quosque magistratus non à Rege pro suo arbitrio mandari, sed in solenni Concilio fidelissimis & probatissimis viris deferri solitos fuisse. Verùm in hoc magistratu idem planè usuvenit, quod *Plutarchus* in Lysandri vita tum accidisse scribit, cùm Agesilaus à Lacedæmoniis ad exercitum Imperator missus est: Lysander autem legatus: Ut in tragœdiis, *inquit*, plerunque usuvenit histrionibus, ut qui nuncii vel famuli personam sustinent, pluris fiant, primasque partes agant: illius verò qui sceptrum & diadema gestat, ne vox quidem exaudiatur: sic penes legatum Lysandrum majestas imperii versabatur: penes Regem verò, nudum atque inane nomen manebat. Quod eodem modo in Francogallia nostra

tum

tum accidit:oblata videlicet occasione, & crescendi facultate ex Regum aliquot inertia, desidiaque: in quibus Dagobertus, Clodoveus, Clotarius, Childericus & Theodoricus numerari possunt. Nam *Paulus Diaconus libro de gestis Langobardorum 6. cap. 5.* Hoc tempore, *inquit*, apud Gallias Francorum Regibus à solita fortitudine & scientia degenerantibus, ij qui Majores domus regalis esse videbantur, administrare Regis potentiam, & quicquid Regibus agere mos est, cœperunt. Et in eandem sententiam *auctor historiæ Francorum*, quem *Venericus Vercellensis* aliquoties, sine nomine tamen, profert, ita scribit: Tempore Clotarij patris Dagoberti regnum Francorum regi cœptum est, & administrari ab his, qui Provisores aulæ regiæ, vel Majores domus esse videbantur. Quod idem *Godfridus Viterbien. parte Chronic. 16.* testatur. Itemque *scriptor Chronici Besnensis monasterii*: In illo tempore, *inquit*, deficientibus jam à pristino vigore Regibus, cura totius regni admini-
nistra-

nistrabatur per duces & Principes domus. Itaque dum illi Magistri Palatii omnia Reipub. munera obirent, & si quod gerendum esset bellum, exercitibus præessent, hi domi nudo atque inani Regum nomine contenti, propter desidiam in otio vivebant. Tandemque eò progressa res est, ut Childerico rege XVIII. regnum obtinente, Pipinus Magister Palatii, qui Regis nomine magna diuturnaque bella gesserat, Saxones devicerat, suamque in potestatem redegerat, oblatam regii nominis occupandi facultatem non repudiarit: exercitu præsertim eoque victore & glorioso instructus. Quarum rerum apud Auctores testimonia hæc extant. Primum apud *Ottonem Frisingensem Chronic.* 5. c. 12. & imitatorem ipsius *Godfridum Viterbiensem, part.* 16. ubi sic scribunt: Reges Franciæ ante tempora Pipini Magni, qui Major domus erat, expertes omnis administrationis & regiminis, sólo nomine regnabant: sed Majores domus universam regni administrationem habe-

habebant. In eandem ſententiam *Sigebertus ſub anno* 662. & Lothario Clodovei filio ita loquitur: Ab hinc Francorum Regibus à ſolita fortitudine & ſcientia degenerantibus, regni potentia diſponebatur per Majorem domus, regibus ſolo nomine regnantibus: quibus moris erat principari quidem ſecundum genus, & nil agere, vel diſponere. Quanquam in hac commemoratione cautio adhibenda eſt: nam cùm & Pipinus & ejus filij ob ereptum regi Childerico Regnum invidia (ut credi par eſt) laborarent, reperti ſunt homines ingenioſi, qui & Childerici, & ſuperiorum Regũ deſidiam verbis majorem facerent: inertiamq; gravius accuſarent. In his *Eguinarthus Caroli Magni Cancellarius*, qui ſuo Imperatori ſtrenuã in ea re operã navavit. Nam *initio ſui libri* ita ſcribit: Gens Merovingorũ, de qua Franci Reges ſibi creari ſoliti erant, uſque in Hildericum Regẽ, qui juſſu Stephani Rom. Pontificis depoſitus ac detonſus, atq; in monaſterium truſus eſt, duraſſe putatur:

tatur: quæ licet in illo finita possit videri, tamen jamdudum nullius vigoris erat, nec quicquam in se clarum, præter inane Regis vocabulum, præferebat. Nam & opes & potentia Regni penes Palatii Præfectos, qui Majores domus dicebantur, & ad quos summa imperii pertinebat, tenebantur: neque aliud Regi relinquebatur: quàm ut Regio tantùm nomine contentus, crine profuso, barba submissa, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos undecunque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quæ erat doctus, vel etiam jussus, ex sua velut potestate redderet: cùm præter inutile Regis nomen & precarium vitæ stipendium, quod ei præfectus Aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprii possideret, quàm unam præparvi reditus villam: in qua & domum, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes paucæ numerositatis habebat. His *Eguinarthi* verbis, quæ in *Appendice* quoque *Hunibaldi* apud

pud *Tritenhemium* reperio, inductus *Sigebertus sub anno* 662. eadem propè verborum contumelia superiores Reges insectatur: Quibus, *inquit*, moris erat principari quidem secundum genus, & nihil agere vel disponere, quàm irrationabiliter edere & bibere, domique morari. Quasi verò hæc eadem Regum superiorum ratio, atque inertia fuerit: ac non potius virtus ac fortitudo animi singularis, qualem scriptores omnes in Clodoveo commemorant, qui non modò innumerabiles Germanorum copias, in Galliam irrumpentes, prælio propè Tolbiacum commisso, profligavit: verùm etiam Romanorum reliquias è Galliæ finibus propulsavit. Jam verò quid de Childeberto, & Clothario dicemus, qui Wisigothos & Ostrogothos è Provincia & Aquitania, ubi sedes fixerant, exterminarunt? Quorum omnium in historiis nulla Magistri Palatii, ne minima quidem mentio fit: nisi fortè cursim atque obiter, & tanquam unius è Regii Imperii admini-

ſtris : velut apud *Gregor.lib.5.cap.*18.ubi de Gucilio loquitur : *& lib. 6. cap.9. & cap.45.& lib.7.cap.29.* itaque honos ille non tantùm in Regis, verùm etiam in Reginæ aula & comitatu verſabatur. Nam *idem Gregor. lib. 7. cap.27.* Wadonem quendam nominat Majorem domus in aula Reginæ Riguntæ : aliisque locis complúribus idem *Gregor. & Aimoinus* Magiſtros aulæ domuſque Regiæ commemorant. Tantæ autem illorum Regiorum præfectorum potentiæ initium (ut modò diximus) cœpit tempore Clotharii II. circiter annum Chriſto DLXXXVIII. ideſt, circiter CXXX. annis poſt Regnum Francogalliæ conſtitutum. Quod ex eo, quem *Venericus* aliquoties profert, hiſtorico licet cognoſcere. Sunt tamen alii duo hiſtorici, ſed nequaquam tantæ auctoritatis, *Sigebertus & Tritenhemius*, qui tantæ potentię initium ad Clotharii III. Regnũ referunt: cujus Magiſter Palatii Ebroinus nominatur, homo nequitia & crudelitate inſignis. Utcunque ſit, Hiſtorici

rici aliis quoque nominibus pręfectos illos appellabant: nimirum Magistros Regii palatii, Comites domus Regiæ, Præfectos aulæ, Comites Palatii, Duces & Principes domus: quinetiam aliquot post seculis Seneschalli Franciæ appellati sunt *Sigebertus sub anno* MCLXX. In purificatione beatæ Mariæ fuit filius Regis Anglorum Parisiis, & servivit Regi Francorum ad mensam, ut Seneschallus Franciæ. Hanc Seneschalciam, vel (ut antiquitus dicebatur) Majoratum domus Regiæ Robertus Rex Francorum dedit Gaufrido, &c.

Vtrum Pipinus Papæ, an concilii Francogallici auctoritate Rex factus fuerit.

CAP. XVI.

QUoniam superius dictum est, Pipinum ex magistro Palatii Regem esse factum, exacto Childerico Rege stupido, in eoque Childerico Merovingiorum stirpem defecisse: non

alienum eſt, hoc loco exquirere, cujuſnam auctoritate Regnum illi delatum fuerit. Nam *Gelaſius Papa in can. alius.15.quæſt.6.* Alius, *inquit*, Romanus Pontifex, Zacharias ſcilicet, Regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus, quàm pro eo quòd tantæ poteſtati erat inutilis, à regno depoſuit: & Pipinum Caroli Imperatores patrem in ejus locum ſubſtituit: omneſque Francigenas à juramento fidelitatis abſoluit. Neque ferè quiſquam eſt, qui non illud Papæ de ſemetipſo teſtimonium approbarit: *Ado, Lambertus, Regino, Sigebertus, Aimoinus Landulphus.* Quinetiam *Venericus Vercellenſis*, in eo, quem ſuperiùs protulimus libro, verba hæc ex epiſto. Gregorii Papæ VII. ad Hermannum Metenſem Epiſcopum profert. Quidam Romanus Pontifex Regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus, quam pro eo quòd tantæ poteſtati non erat utilis, à regno depoſuit, & Pipinum in ejus loco ſubſtituit, omneſque Francigenas à juramento fidelitatis, quam illi

illi fecerant, absoluit. *Hæc ille.* Quod idem *Otto Frising.* commemorans *libro Chronic.5.cap.23.* itemque *Godfrid. Chronic. parte* 17. ita exclamant: Ex hoc facto Romani Pontifices Regna mutandi auctoritatem trahunt. Sed videamus, ne hujus historiæ veritas non satis constet: nam primum omnium ex tanto Regum Francorum numero, quos vel creatos, vel abdicatos docuimus, neminem esse constat, Papæ auctoritate vel creatum, vel abdicatum: contrà verò docuimus, jus illud omne & creandorum, & abdicandorum Regum, penes solenne gentis Concilium fuisse: ut planè incredibile videatur, Francos in hoc uno jus illud suum neglexisse. Quid verbis opus est? *Venericus ille Vercellensis* testimonium profert *historici veteris, qui de gestis Francorum conscripserat*: quo tota illa narratio mendacii coarguitur: dilucideque affirmatur, & Childericum & Pipinum usitato Francorum more, veterique instituto, illum abdicatum: hunc autem in illius locum suffectum fuisse:

hoc eſt, ſolenni gentis concilio: cujus ſolius tantum fuiſſe poteſtatem ſuperius demonſtravimus. *Illius autem hiſtorici verba hæc ſunt:* Quòd unà cum conſilio & conſenſu omnium Francorum miſſa relatione ad ſedem Apoſtolicam, & auctoritate percepta, præcelſus Pipinus electione totius gentis ſublimatus ſit in ſedem Regni, cum conſecratione Epiſcoporum, & ſubjectione Principum. Quibus ex verbis ſatis patet, Pipinum non à Papa, ſed à populo ipſo & Ordinibus ac Statibus Regni delectum, inauguratumque fuiſſe. Quod etiam pauló ante dilucidius idem *Venericus* ex *eodem Hiſtorico* ſic exponit: Pipinum Majorem Palatii cùm ad illum ſpectaret ſumma Regiæ poteſtatis & officii, electum fuiſſe primùm ex præfectis palatii in Regem, atque ordinatum fuiſſe: prius ſuper hoc experto Zachariæ Papæ judicio: quia conſenſus & auctoritas Romani Pontificis neceſſaria huic videbatur negotio. *Et mox*: Quorum legatorum poſtulationem cùm æquam atque

atque utilem Zacharias Papa judicaſſet, ad ea quæ poſtulabant conſenſit, & Pipinus factus eſt Rex communi ſuffragio Principum. In eandem ſententiam *Ado Viennenſis Æt. 6. ſub. anno 727.* ita ſcribit: Miſſi legati ad Zachariam, ut interrogarent eum, ſi ita manere deberent Reges Francorum, cùm penè nullius poteſtatis eſſent, jam ſolo Regio nomine contenti. Quibus Zacharias Pontifex reſponſum dedit, Regem potius illum debere vocari, qui Remp. regeret. Reverſis legatis, abjectoque Childerico, qui tunc Regium nomen habebat, Franci per conſilium legatorum & Zachariæ Pontificis electum Pipinum Regem ſibi conſtituunt. Præter illos ſuperiores extat *Aimoini* teſtimonium in eandem ſententiam *l.4.c.61.* ubi ad extremũ ita cõcludit: Hoc anno Pipinus Rex Francorum appellatus eſt, & more Francorum elevatus in ſolium Regni, in Sueſſionum civitate. Sed & *Godfrid. Viterbien. Chr. part.17.c.4.* Pipinus, *inquit*, per Papã Zachariã ex electione Francorũ

rex factus est Francorum, Hildrico ignavo Rege per Francos in monasterium misso. Horum similia dilucidè scripserunt *Sigebertus sub anno 752. auctores historiæ Miscell. lib. 22.* *Item Otto Frising. lib. 5. cap. 21. 22. 23. & auctor libri,* cui titulus est, *Fasciculus temporum*: Ex quibus omnibus facilè intellectu est, Nam si Franci Pipinum exquisita Papæ sententia Regem crearunt, iccirco illum Papæ imperio atque auctoritate creatum fuisse. Aliud est enim Regem creare, aliud creandi consilium dare; aliud jus creandi habere, aliud jus consilii dandi: quanquam consilii in hujusmodi rebus dandi jus nemo habet, nisi is à quo petitur. Proferam etiam testimonium insigne, quod mihi ex *veteri quodam manuscripto incerti auctoris libro* missum est, in quo hæc Archiepiscopi Maguntinensis ad Pipinum oratio profertur: Galli omnium ordinum consensu hoc diadema regium cum oneris, tum honoris insigne capiti tuo mea manu inferunt; teque spoliis Childerici exornant, cujus

non familiam aut majorum memoriam, sed perditissimos mores oderunt, tuæ virtutis lucem suspiciunt & amant. Quod si tantum lumen in te extingui superbia, aut obscurari ignavia senserint, quid de te illos facturos putas, quorum beneficio stabis, qui in eum, qui suo jure, non alieno beneficio regnum obtinebat, tam severum exercuerunt judicium? Disce igitur Pipine, alieno exemplo, atque periculo, Regem agere, hoc est omnem curam & cogitationem in salute populi tui collocare. Denique nemo dilucidius totam hanc rem explicat *Marsilio Patavino*, qui imperante Ludovico Bavaro *librum de translatione imperii* conscripsit: *in quo, cap. 6. ita loquitur*: Pipinus filius Caroli Martelli, vir in rebus bellicis strenuus, legitur à Zacharia Papa in Regni Francorum excellentiam sublimatus. Sed *Aimoinus in Gestis Francorum* scribit, & verius, Pipinum per Francos legitimè in Regem electum, & per Regni Proceres levatum. Childericus verò, qui tum sub nomi-

ne Regio in deliciis marcescebat, fuit in monachum consoratus. Unde non illum Zacharias deposuit, sed deponentibus (ut quidam ajunt) consensit. Nam talis depositio Regis, & alterius institutio, propter rationabilem caussam, non ad Episcopum tantummodo, neque ad clericum aliquem, aut clericorum collegium pertinet, sed ad universitatem civium inhabitantium regionem, vel nobilium, vel ipsorum valentiorem multitudinem. *Hæc Marsilius*. Quibus consentaneum postea reperi locum in *Appendice Hunibaldi*, apud *Iohann. Tritenhemium: ubi scriptum ita est*: Eodem anno proceres totius Regni convenientes in unum super abrogatione Regis Hilderici inutilis, cœperunt habere consilium. placuit autem in commune omnibus, ut Regem Hildericum nullam regnandi vel peritiam, vel potestatem habentem deponerent: & Pipinum, penes quem totius regni summa manebat auctoritas, in regem sublimarent. Sed Pipinus in hanc rem consenti-

sentire noluit, nisi prius consilium Romani Pontificis Zachariæ inquiratur, caussas allegans se monentes. *Hæc ille.* Paparum igitur commentum impudens de jure Regum vel creandorum, vel abdicandorum, perspicuum omnibus esse arbitror. Sed præter commentum, quod improbitatis & impudentiæ documentum est certissimum, operæpretium est, insignem quandam Stephani Papæ epistolam ad hanc fabulam accommodatam proponere, ex qua de veteratoris illius stoliditate & vesania existimare liceat. Extat autem apud *Reginonem, monachum ordinis Benedictini, Abbatem Pruniacensem*, testem in hoc genere irrefragabilem: *in Chronic. anni* DCCLIII. STEPHANUS Episcopus, servus servorum Dei sicut nemo se debet jactare de suis meritis, sic non debent opera Dei, quæ in illo per suos sanctos fiunt, sine suis meritis sileri, sed prædicari: sicut angelus admonet Thobiam. Unde ego pro op-
pres-

pressione sanctæ Ecclesiæ à Rege atrocissimo & blasphemo & nec dicendo Haistolpho, ad optimum & Sancti Petri fidelem Dominum Pipinum, Christianissimum Regem, in Franciam veni: ubi ægrotavi usque ad mortem: & mansi aliquod tempus apud pagum Parisiacum, in venerabili monasterio Sancti Dionysij martyris: quem, cùm jam medici desperarent, fui sicut in oratione in Ecclesia ejusdem beati martyris subtus campanis: & vidi ante altare Dominum Petrum, & Magistrum gentium Dominum Paulum: & tota mente illos recognovi de illorum surcariis: & tunc Beatum Dominnm Dionysium ad dextram Domini Petri, subtilem & longiorem, dixitque bonus Pastor Dominus Petrus: Hic frater noster postulat sanitatem: & dixit beatus Paulus: Modò sanabitur: & appropinquans misit manum suam ad pectus Domini Dionysij amicabiliter, respexitque ad Dominum Petrum: & dixit Dominus Petrus ad Dominum Dionysium hilariter:

riter: Tua gratia eſt ſanitas ejus. Et ſtatim Dominus Dionyſius thuribulum incenſi, & palmam in manu tenens cum presbytero & diacono, qui in parte ſtabant, venit ad me, & dixit: Pax tecum frater, noli timere: non morieris donec ad ſedem tuam proſperè revertaris: Surge ſanus, & hoc altare in honorem Dei & Apoſtolorum Petri & Pauli, quos vides, dedica: miſſas gratiarum agens, moxque factus ſum ſanus: & volebam implere, quod mihi præceptum erat, & dicebant, qui ibi aderant, quod dementabam. Quapropter retuli illis & Regi, ſuisque omnibus ex ordine quæ videram, & quomodò ſanatus fuerim, & implevi quæ viſa ſunt mihi omnia. Geſta ſunt autem hæc anno ab incarnatione Domini DCCLIII. V. Id. Aug. quo Chriſti roboratus virtute, inter celebrationem conſecrationis præfati altaris, & oblationem ſacrificii unxi in Reges Francorum Regem Pipinum & duos filios ejus, Carolum & Carolomannum, Sed & Bertrandam conjugem

jugem ipſius Regis, indutam cycladibus regiis, & gratia ſpiritus ſancti ſeptiformis conſignavi in Dei nomine: atque Francorū proceres Apoſtolica benedictione ſanctificans, auctoritate S. Petri ſibi à Chriſto tradita obligavit, & obteſtatus eſt, ut nunquam de altera ſtirpe per ſuccedentium temporum curricula, ipſi vel quique ex eorum progenie orti, Regem ſuper ſe præſumant aliquo modo conſtituere niſi de eorum progenie: *Hæc Papa Stephanus:* cujus cum ridicula bonis omnibus veſania videri debet, tum etiam deteſtanda illa execratio, qua in eorum caput utitur, qui non ex Caroli Magni ſtirpe prognati regnum obtinerent: ut vel unicus ille locus inſignem ejus libelli ſtoliditatem coarguat, quem *Matharellus* neſcio quis, rabula impudens & impurus, adverſus hanc noſtram Francogalliam nuper edidit: & in quo ſtultiſſimam illam Papæ Stephani epiſtolam comprobat, digniſſimumque & illum & alterum neſcio quem *Papirium Maſſonum,* *Ieſui-*

Iesuitam Bardocucullum, & Sycophantam mercede conductum ostendat, qui in Mathurini Parisiensis fano, ubi ejusmodi fanatici curantur, flagris ad necem cedantur.

De Comestabulo, & Paribus Franciæ.

CAP. XVII.

PRæter illam Magistri Palatii dignitatem, de qua superius dixim⁹, fuit & altera, de qua iccirco dicendum hoc loco est, quia nō multis ab hinc seculis, sed prope Majorum nostrorum memoria, videtur in illius locum successisse. Erant n. Comites stabuli Regii, unde Comestabuli, ad extremum Connestablii postea, corrupto nomine, dicti sunt. Comites autē posteriorū Imperatorum Romanorū ætate vulgò dicebantur omnes, qui amplissimos quosque honores in Regia obtinebant: & Rempublicam pro parte administrabant: à qua consuetudine veteres non abhorruisse, aliis quibusdam libris nostris docuimus. Sic enim

Cice-

Cicero Callisthenem Alexandri Magni Comitem non uno loco appellat. Erat autem Comes stabuli, ferè is, qui apud Romanos Magister equitum dicebatur: hoc est, qui equitatui præerat: cui custodes regiorum equorum suberant, quos vulgo Scutieros appellamus. *Greogor. Turon. lib. 5. cap.* 39. Thesaurarius Clodovei à Cuppane Stabuli comite de Biturigo retractus, vinctus Reginæ transmissus est. *Et rursus capite* 48. ubi de Leudaste loquitur: Quæ libenter eum colligens provocat, equorumque meliorum deputat esse custodem. Hinc jam obsessus vanitate, & superbiæ deditus, Comitatum ambit stabulorum: quo accepto, cunctos despicit ac postponit. Quibus ex locis apparet, custodiam equorum prefecturā fuisse honestissimam, sed multo ampliorem Comitatum Stabulorum. Cujus rei *Aimoinus* quoque auctor est *lib. 3. cap.* 43. ubi de eodem Leudaste loquitur: Reginæ familiarissimus factus, custos equorum efficitur. Inde Comitatum super ceteros

teros nactus custodes, post mortem Reginæ Comitatum Thuronicum à Chariberto percepit. *Et rursus cap.70.* Leudegisilus Regalium præfectus equorum, quem vulgo Conestabilem vocant, quemque Rex ei præfecerat expeditioni, machinamenta deduci imperat. *Item libro quarto capite* 95. ubi de Carolo Magno loquitur: Eodemque anno Burchardum Comitem Stabuli sui cum classe misit in Corsicam. Quod *Regino l.*2.cōmemorans: Eodem anno, *inquit*, Burchardum Comitem Stabuli sui, quem corruptè Constabulum appellamus, cum classe misit in Corsicam. Hunc autem *Appendix Gregorii* Comestabulum appellat, *libro* 11. Brunechildis, *inquit*, ab Erporre Comestabulo de pago producitur. Quod cùm ita esset, *Albert. Krantzius lib. Suet.* 5. *ca.*41. ausus est Connestablium affirmare, eundem esse, quē Germani Marschallum appellant. Gubernatorem, *inquit*, appellavere ex Optimis militem, qui convocandis Regni cœtibus & omnia vice Principis gerendi habeat potestatem. Mareschalcum

nostri vocant: Galli Connestabulum. *Hæc ille*: quæ fortassis eo probabiliora videri possunt, quod Mareschallorum nullam in Francogallia nostra mentionem antiquitus animaduerto: ut verisimile sit, Regum posteriorum institutum illud fuisse, ad Germanorum consuetudinem accommodatum. Vtcunque sit, vetus hoc verbum esse patet etiam ex *Annalib. Anglicis Thomæ Walsinghamii: ubi sub anno* 1293. *ita scribit*: Moxque Rex Francorum præcepit constabulario Franciæ, ut in manu armata ducatum Aquitaniæ regis Francorum nomine occuparet. Hunc autem stabulorum Comitatum non dubito à Romanorum Imperat. instituto natum fuisse: etsi ex parvis initiis tandem moribus nostris ad præfecturæ prætoriæ dignitatem excrevit. Erat autem per illa tempora dignitas hæc tanquam militaris Tribunatus. *Ammia. lib.* 2. ubi de Imp. Valentiniano loquitur: Nicomediam itineribus certis ingressus, Kalen. Martiis Valentem fratrem stabulo suo cum Tribunatus

natus dignitate præfecit. Ejus dignitatis in *Cod. Iustiniani* mentio fit *lib. 1. C. de comitibus & tribunis schol.* ubi magni honoris loco illis tribuitur, ut Imperatoris epulis præesse, & purpuram ejus adorare possint. *Itemque in lib. 3. C. Theodos. de annon & tribut. & l. perpensa, 29. Cod. Theodos. de equor. collat. & lib. 1. C. Theo. qui à præbit. tyron.* ubi jus illis conceditur sportulas exigendi à provincialibus, qui militares equos ad usum Imperatoris conferebant. Superest, ut de iis magistratibus disseramus, qui vulgo PARES FRANCIÆ nominantur: quanquam nobis quidem non studium, sed monimentorum facultas deest. Nam ex tanto librorum numero, qui Francogalliæ Annales & Chronica dicuntur, ne unus quidem adhuc editus est, in quo probabilis aliqua illius instituti ratio proferatur. Quod n. *Guaguinus* & Italus quidã *Paulus Æmilius* non tam Regũ Gallię historicus, quam Paparum assentator mercenarius, & alij nescio qui vulgo scribũt, magistratus illos vel à Pipino, vel à

CaroloMagno institutos fuisse:id planè absurdum esse, vel hinc licet intelligatur, quòd ex tam multis Germanis Historicis, qui regum illorum ætate, aut paulò infra eorum ætatem historias scripserunt, nullus planè Magistratuum illorum mentionem vel tenuissimam interponit. Quinetiam *Aimoini de Francorum institutis & rebus gestis historia, usque ad Ludovici Pii, ejusque Appendix ad Ludovici Iunioris Regis* 37. *ætatem perducta*, nusquam horum Parium mentionem facit. Quare tantisper dum certius aliquid afferatur, institutum ad illud Hugonis Capetti regnum referendum arbitrabor: qui cùm remoto herede legitimo regnum occupasset, proceres aliquot novo quodam honore ac beneficio sibi devinciendos putavit. nam ejusmodi aliquid ab illo factum omnes consentiunt. Ejus autem instituti exemplum facilè intelligitur ex Feudali jure sumptum fuisse: quo jure Vassalli qui ab eodem Seniore ac patrono feuda receperunt, Pares inter se, hoc est quasi

ὁμότιμοι

ὁμότιμοι, appellantur, quorum triplex hæc poteſtas eſt: primum, ut qui in vaſſallorum ordinē cooptantur, pro eorum collegio cooptentur: *lib. Feud. 2. titul. 2.* tum ut rogati teſtimonium de inveſtitura dicant: *lib. 2. titulo 19.* poſtremò, ut ſi qua vel inter ipſos, vel inter Seniorē & inter ipſos controverſia exoriatur, ipſi judiciū & civile & criminale exerceant. *l. 2. tit. 46. & tit. 52. tit. & 55.* Et profectò ita eſt, ut Pares Franciæ hoc jure ſint: primum ut neq; inaugurari, niſi pro collegio, neq; abdicari, niſi cauſſa in conſilio cognita, neque ad aliud ullum niſi ad collegarum judicium, vocari poſſint: quanquam Pariſienſis Senatus hanc ſibi auctoritatem aſcivit, ut Pares cauſſam apud ſe dicere jubeat. Ac *Budæus quidem vir longè doctiſſimus*, Pares illos Patritiorum nomine appellat: ſcribitque videri ſibi ab uno aliquo Rege inſtitutos, ex eorum numero, qui Germanicum Imperium obtinuerunt: propter ea quod Juſtinianus Patres eos ab imperatore delectos eſſe ait, quaſi Rei-

publ. patronos, tutoresque. Ego vero doctissimi viri sententiam non aspernor: præsertim à Parium dignitate non alienam. Fuit enim Romanorum Imperat. posteriorum ætate Patritiatus, dignitas ab illa Parium non admodum dissimilis: partim quòd Reipublicæ quodammodo patres erant, ut *Suidas* testatur: & de summis quibusque rebus ab Imperatore consulebantur: insignibusque iisdem, quibus Consules, utebantur: ac majorem quidem Præfecto Prætorio, minorem autem Consule, honorem atque auctoritatem habebant. Quod ex *Iustiniani Novellis, & Sidonio Appollinari, & Claudiano, & Cassiodoro* præsertim cognosci potest. Sed translato in Germanos Imperii nomine usurpatum hunc honorem non arbitror: neque verisimile est, ullos ejusmodi Patritios ab aliquo Germanico Imperatore, qui idem Francogalliæ Rex esset, institutos fuisse, ut nō aliquis ex Germanis historicis ejus mentionem fecisset. Denique idem *Budæus*, eodem loco hæsitans,
com-

commemorat ejusmodi Parium dignitatem apud ceteras quoque vicinas gentes fuisse; atque in Regiis Commentariis scriptum esse, anno MCCXXIIII. Joannem quendam Nigellanum Flandrũ, cui controversia in Flandria illata esset à Comitissa Flandriæ, ad Pares Franciæ appellasse: quòd æquo judicio apud Pares Flandrię certare se non posse jurasset. cumque à Comitissa ad Parium Flandriæ judicium revocaretur, tandem certis de caussis decretum fuisse, ut ea controversia ad Pares Franciæ introduceretur. Causa autem translati judicii cujusmodi fuerit, neque *Budæus* exponit; & qui in jure feudali versatus fuisset, nunquam prætermisisset. Verùm ut jam hujus magistratus institutum paulo planius ac certius exponamus; primum omnium, ut jam antè dixi, constare inter omnes arbitror, nullam Parium nominis, neque apud Germanos, neque apud Gallos historicos ante Capevingiorum regum men-

tionem inveniri. Sed quoniam eruta quædam nuper vetustatis monimenta video, atque in lucem edita, in quibus illorum Parium jura non minima ex parte designantur, operæpretium esse arbitror, quæ ex illis commentariis observavimus, breviter exponere; idque eo lubentius, quod ab eo ipso, à quo illi commentarii nuper evulgati sunt, in aliam partem ac veritas & ratio postulat, contorquentur. Ergo eorum quidem instituendorum caussam duplicem video fuisse: primùm, ut Regis inaugurationi atque (ut tum loquebantur) investituræ præessent: hoc est, ut regem imperij sui insignibus, atque infulis, solenniter in Principum atque Optimatum conventu exornarent: deinde ut si quis è Potentium & Principum Franciæ numero fraudis capitalis reus fieret, judicium illud exercerent: nam cùm antiquitus ea judicia in publico Gentis Concilio exercerentur (ut superius copiosè demonstratum est) atque is mos Majorum paulatim Capevingio-

vingiorum instituto ad juridiciale parlamentum (de quo posterius dicemus) traduci cœpisset: neque Principes regni facilè illi parlamento suas fortunas committendas putarent, Regibus illis ad suas rationes commodissimum fore visum est, præter illius parlamenti curiam, suum hunc Parium consessum instituere, quæ Parium curia vocitata est: quorum tamen ordo ac numerus aliquandiu varius fuit. neque enim Duodecim viri semper fuerunt, ut eos ipsos à quibus hæc monimenta prolata sunt, ariolari video: sed interdum plures, interdũ pauciores erant: prout Regi, à quo in summi honoris ac beneficii loco magistratus ille deferebatur, comodum videbatur. Idquod ex infrascriptis monimentis cognoscere licebit: quorum antiquissimũ est sub anno 1216. hoc est sub Rege Ludovico Crasso: Judicatum est à Paribus Regni nostri, videlicet à Rhemensi Archiepiscopo, Wilel. Lingonen. Guillelmo Cathalaunensi, Ph. Beluacensi, Stephano Noviomensi episcopis, & Odo-

ne Duce Burgundiæ, & à multis aliis Episcopis & Baronibus nostris, videlicet Altisiod, R. Carnot. G. Siluanect. & I. Lexoviensi Episcopis, & Comite Pontivi, R. Comite Drocarum, B. Comite Britanniæ, C. Comite S. Pauli, Wil. de rupibus. Senesc. Andeg. Wil. Comite Juvigniaci, I. Comite Bellimontis, & R. Comite Alencon, nobis audientibus, & judicium adprobantibus, &c. Quibus ex verbis cognosci potest, non eosdem fuisse per id tempus Pares Francię, qui posteriorib. temporibus fuerunt: magnamque illorum partem, pro illorum temporum superstitione, Archiepis. & Episcopos fuisse. Nam cum Episcopales sedes iis in locis constituerentur, quibus opima & fructuosa prædia & tanquam satrapiæ attributę Regum liberalitate fuerant, facilè cum illis opibus superbia Sacerdotum crevit: ac tum præsertim cum sacerdotia & Episcopatus non propter muneris Ecclesiastici functionem, sed propter opum & potentiæ magnitudinem ad homines illustri familia natos deferri

deferri cœpti sunt. Hinc illud *Sigeberti sub anno* D. Collatis à Clodoveo Rege multis prædiis Ecclesię Rhemensi, Remigius multa eorum parte data Ecclesiæ Laudunensi sedem Episcopatus ibi esse constituit. Sed ad Parium institutum redeamus: nam ex aliis commentariis aliud Parium judicium adversus Petrum Mauclerum, (id est, maledoctum) Armoricæ Britanniæ Principem, his profertur verbis: Ex anno MCCXXX. Galterus Dei gratia Senonensis Archiepiscopus, Galterus eadem gratia Carnotensis & Guillemus Parisiensis Episcopi, Comes Flandriæ, Th. Comes Campaniæ, Comes Nivernensis, Comes Blesensis, Comes Carnotensis, Comes Montisfortis, Comes Vindocinensis, Comes Rociacæ, Matthæus de Montmorencio Franciæ Constabularius, Johannes Suessionensis, Stephanus de Sacrocæsare, Vicecomes Bellimontis, &c. notū facim⁹ quòd nos corā charissimo domino nostro Ludovico Rege Franciæ judicavimus unanimiter, q Petrus quondam Bri-

Britanniæ Comes, propter ea quæ eidem domino Regi fors fecerat, Baillium Britanniæ per justitiam amisit, & quod Barones Britanniæ & alii qui ei fecerunt fidelitatem vel homagium ratione illius Baillii, sunt penitus absoluti, & quicti ab illa fidelitate & homagio, &c. Sed aliud insignius profertur, ex anno MCCCXV. sub Rege Ludovico Hutino, ex quo intelligitur, primùm quàm sæpe Parium dignitas variis Principibus attributa fuerit: deinde ad illorum judicia nonnullos insuper alios è Franciæ proceribus & satrapis Episcopis adhiberi solitos: postremò in illorum numero interdum etiam Reges ac principes exteros fuisse, siquidem satrapiam aliquam ex iis, quibus Pariatus dignitas attributa fuerat, possidebant. Verba autem illius Commentarii hæc sunt: Nos Pares supradicti ad requestam & mandatum Regis venimus in suam curiam Parisiis, & fecimus & tenuimus curiam cum duodecim aliis personis, prælatis, & aliis altis hominibus,

Archi-

Archiepiſcopo Rothomagi, Epiſcopis Briocenſi & Maclovienſi, Philippo filio Regis Franciæ, Comite Pictavienſi, Ludovico Ebroicarum Comite, Carolo Comite Marchiæ, Guydone Comite S. Pauli, Gaucherio dom. Caſtellionis: & Portiani, Comeſtabili Franciæ, primogenito Comitiis Claromontis, Jo. dom. Claromontis & Caroleſij, dom. de Marcueil, & Milone dom. de Noyers, à nobis electis ad judicandum nobiſcum, tanquam curia Paribus munita Regis auctoritate: qui dixit ſe non poſſe plures Pares habere: quia Dux Aquitaniæ, nempe rex Angliæ, qui vocatus fuerat, ſe excuſavit ob bellum Scotorum: Dux Burg. quoque excuſavit ſe propter certam exoniam: Epiſc. Novioduni mortuus erat: & Cathalaunen. Epiſco. pro certis cauſſis in carceribus detinebatur, &c. His inſignibus vetuſtatis teſtimoniis accedat etiam illud, quod ex commentariis anno MCCCLX. prolatum eſt: unde intelligi poteſt, primum quod jam aliquoties

ties diximus, certum quidem ac definitum Parium numerum fuisse, sed ejus arbitrium summum penes regiam potestatem fuisse deinde honorem illum non *Patriciatus*, ut Budæus & Budæum secuti crediderunt: sed *Pariatus* nomine appellatum fuisse: quanquam posterioribus seculis Paritatis quoque & ex Gallicæ linguæ consuetudine *Perriæ* nomen illi tributum est. Verba autem illius commentarii hæc sunt: Et cum hujusmodi Ducatus dignitatis nomine, honorem superaddentes honori, Parem Franciæ ipsum fecimus, statuẽtes auctoritate prædicta ut ipse, quãdiu vixerit in humanis, & dicti ejus heredes masculi de matrimonio legitimo procreati, post ejus obitum Duces Bituricenses & Aruerniæ ac Pares Franciæ nominentur, omnique Ducatus & Pariatus honore cum nomine, jure, & quacunque alia prerogativa lætentur, &c. Ejusdemmodi ferè illud diploma est Regis Johann. sub anno 1363. ubi honos ille non *Patriciatus* sed *Pariatus* appellatur: Ducatum Burg.

Burg. in Pariatu, & quicquid juris & proprietatis habemus in eodem, nec non in Comitatu Burg. ex ſucceſſione Philippi ultimi, ducis conſanguinei noſtri, chariſſimo Philip. filio noſtro conceſſimus tenenda & poſſidenda per eum & heredes ſuos in legitimo matrimonio, ex proprio corpore procreandos perpetuò, hereditariè pacificè & quietè. Sed poſterioribus temporibus *Paritatis* & *Perriæ* verbum (ut ſuperius diximus) ex popularis linguæ conſuetudine uſurpari cœpit: ut ex commentariis anni MCCCCXIIII. cognoſci poteſt, in quibus ita ſcriptum eſt: Eundem Iohannem conſanguineũ noſtrum ampliori volentes fulgere dignitate, & Comitis titulum ſupradictum in majorem excelſioremq; mutantes, dictum Johannem conſanguineum noſtrum, in Ducem tenore præſentium ſublimamus: dictumque Comitatum Alenconii erigimus in Ducatum, volentes ut prædictus Ducatus in Perria ſeu Paritate nobis teneatur: ſub forma tamen & modis qui-

quibus antea idem Johannes sæpedictum tenebat Comitatum. Atque hæc quidem ex Commentariis Gallicis, ut dixi, prolata sunt: in quibus illud quoque notatione dignum est, quod dici & commemorari video: sed tamen sine teste: cùm Dux Armoricus læsæ majestatis reus factus esset, magnopere quæsitum, à quibus judicium illud exerceretur: ac tandem cùm Philippus Audax Burgundus idem ex Rege quæsisset, Regem de consilii sententia pronunciasse, Parem nonnisi in Parium judicium adduci posse. VI. Non. Mart. ann. MCCCXXXVI. ac rursus Regi Carolo septimo quærenti à Senatu Parisiensi, apud quos Pares rei capitalis rei fieri possent, idem responsum fuisse: XII. Kal. Maij, anno. MCCCCLVIII. quòd (ut superius diximus) juri feudali plane consentaneum est. Sed jam tempus est ad institutum nostrum redire.

De continuata Sacrosancti Concilii auctoritate sub Carlovingiorum Regno.

CAP. XVIII.

CUjusmodi regnantibus Merovingiis Reip. nostræ forma fuerit, quantaque Concilii publici auctoritas, satis jam explicatum arbitramur: nunc consequens est, ut qualis sub Carlovingiis fuerit, exponamus. Quantum enim ex omnibus & nostris, & Germanicis historiis existimare licet, eadem prorsus Ordinum, sive Statuum auctoritas conservata est: ut non penes Pipinum aut Carolum, aut Ludovicum, sed penes regiam Majestatem summum rerum omnium judicium arbitriumque esset: cujus Majestatis veram propriamque sedem ummo multarum ætatum consensu n solenni Concilio fuisse, superius emonstravimus. Hujus autem rei ocumento est, primùm, *Regino lib. hron. 2.* sub anno DCCCVI. ubi de Calo Magno loquens: Imperator, *init*, cum primoribus & optimatibus

Francorum, de pace constituenda & conservanda inter filios suos & de partitione regni placitum habuit. *Et mox:* De hac divisione testamentum interpositum fecit, quod per sacramentum à Francis confirmatum est. Ejusdemmodi est *Eguinarthi* testimonium, *in eo quem aliquoties jam laudavimus libello*: ubi cùm ea quæ post Pipini mortem acciderunt exponit, ita loquitur: Franci siquidem facto solenniter generali conventu ambos sibi Reges constituunt: ea conditione præmissa, ut totum regni corpus ex æquo partirentur: & Carolus eam partem quam pater eorum Pipinus tenuerat, Carolomanus verò eam cui patruus eorum Carolomãnus præerat, regendi gratia susciperet, &c. Quibus ex verbis perspicuum est, quam potestatem antea trecentis paulò minus annis sub Meruovingiis regni ordines habuerant, eandem post illius interitum sibi retinuisse: ut quamvis defuncti Regis filii extarent, tamen non tam hereditario jure, quàm ordinum judi-

judicio & voluntate ad regnum pervenirent. Itaq; si Regis filius impubes relictus erat, Tutor ei in populi comitiis creabatur. *Aimoin. lib. 5. c. 42*, Ludovico, *inquit*, diem suum obeunte, Carolus filius ejus, qui Simplex postea dictus est, in cunis ævum agens parte orbatus remansit. Cujus ætatem Franciæ primores incongruam (ut erat) exercendæ dominationi arbitrati, consiliũ de summis ineunt rebus. Ibi Odonem Franci, Burgundi Aquitanienseſque proceres congregati in unum, tutorẽ Caroli pueri, regnique elegere gubernatorem. Iam verò cetera quoq; majora regni negotia ad illud idem Concilium referri solita, testimonio est *Regino l. Chr. 2.* Anno, *inquit*, DCCLXIII Rex Pipinus habuit placitum suum in Nivernis. *Et mox: Anno* 864. Rex Pipinus habuit placitum suum in Wormacia. *Item anno.* 866. Rex Pipinus habuit placitum suum apud Attiniacum. *Et mox.* Habuit placitum suum in Aurelianis civitate. Sed & *Aimoinus lib. 4. cap. 71.* ubi de Saxonum bello loquitur: Rex, *inquit*, prima veris

aſpirante temperie, Noviomagum profectus eſt, & ad locum, qui Padabruno vocatur, generalem populi ſui conventum habiturus cum ingenti exercitu in Saxoniam profectus eſt. *Et rurſus cap.* 77. Tranſacta tandem hyeme publicum populi ſui conventum in loco qui Padabruno vocatur, more ſolenni habuit. *Item, cap.* 79. Et cum uxorem ſuam Wormaciæ inveniſſet, generalem populi ſui conventum ibi habere ſtatuit. Quo loco & aliis ſuperioribus perpetuò de Carolo Rege loquitur: qui cum Europæ ferè totius regnum magnis ſuis rebus geſtis adeptus eſſet, Magnique cognomentum gentium omnium conſenſu conſecutus, Francis tamen priſtinum illud ſuum jus ac libertatem eripere non potuit: ac ne conatus quidem unquam eſt, majorem ullam rem ſine populi judicio & Optimatum auctoritate ſuſcipere. Iam verò poſt Caroli Magni è vita exceſſum, non dubium eſt, quin Ludovicus ejus filius eadem conditione regnum adminiſtrarit. Nam

Ap-

*Appendix Aimoini lib.5.c.*10. Mortuo, *inquit*, Carolo Ludovicus Imperator concilium populi generale, quasi quodam indixerat præsagio, in loco Theotuadi. *Rursus cap.*38. ubi pactionem pacis commemorat factæ inter Ludovicum Regem, & Ludovicum ipsius consobrinum: Condixerunt, *inquit*, placitum, & in ipso placito hæc quæ sequuntur inter eos consensu fidelium suorum servanda convenerunt: in quo placito communi consensu inventum est, ut ipsi Reges redirent cum scara, &c. *Item cap.*41. ubi de Carolomanno Ludovici Balbi filio loquitur: Et sic, *inquit*, reversus Wormaciam placitum suum Kal. Novemb. habiturus à Nortmannis recessit. *Item auctor Annalium Rhemensium*, *sub anno* DCCCCXXXV. Hoc Rege Rudolpho Laudani degente tumultus ipso die sancti Paschæ inter Regios & Episcopi milites exoritur: ubi nonnulli non modo laici, verùm etiam clerici vulnerati, & interempti. Unde Rex placitum Suessionis cum Regni prima-

tibus habuit. Sed multo planius ſub anno DCCCCXLVI. cum de Rege in Regnum reſtituendo ageretur: Edmundus, *inquit*, Anglorum Rex legatos ad Hugonem principem pro reſtitutione Ludovici Regis dirigit: & idem princeps proinde conventus publicos cum nepotibus ſuis aliiſque regni primatibus agit. *Et paulò poſt:* Hugo Dux Francorũ aſcito ſecum Hugone filio Richardi, ceteriſque regni primatibus, Ludovicum Regem, qui ferè per annum ſub cuſtodia detinebatur in regnum reſtituit. Quin ne illud quidem prætermittendum eſt quod *eorumdem Annalium auctor* PLACITUM REGALE hoc publicum Gentis Concilium appellat: *veluti ſub anno* 961: Otto filius Hugonis quondam Principis ad Regem Lotharium in ipſis feſti paſchalis diebus Laudunum venit. ſed & à nonnullis tam Franciæ quàm Burgundiæ PLACITUM REGALE, diverſorumq; conventus principum Sueſſionis habetur: ad quod impediendum (ſi fieri poteſt) Richardus filius

Wilhel-

Wilhelmi Nortmanni accedens, à fidelibus Regis quibuſdam pervaſus, & interemptis ſorum nonnullis in fugam converſus eſt. Sed ſingula teſtimonia perſequi laboris eſſet infiniti, &, ut opinor, ſupervacanei. Nam ex iisquæ uſque adhuc protulimus patere cuivis arbitramur, judicium arbitriumque ſummæ Reipub. uſque ad Carolum Simplicem, hoc eſt, per annos amplius quingentos & quinquaginta penes populi comitia, & (ut nũc loquimur) ſtatuum ſive Ordnum conventum fuiſſe: idq; Majorum noſtrorum inſtitutum pro ſacroſancto habitum tot ſeculis fuiſſe: ut jam Scriptorum quorundam recentium ſatis admirari judicium non poſſim, quos non eſt puditum, ſuis in libellis tradere, Concilii publici inſtitutũ Pipino Regi accepto ferendum eſſe: cùm Eguinarthus, Caroli Magni Cancellarius tam dilucidè teſtetur, Merovingiorum omnium inſtitutũ fuiſſe, ut quotannis Kalend. Maij publicũ populi ſui conventum agerent, ad eumq; conventũ carpento bobus tracto veherentur.

De summa inter Regem & Regnum differentia.

CAP. XIX.

VErum ut majore in argumento operam ponamus, atque in illo instituto majorum nostrorum sapientiam, tanquam in speculo contemplemur, an non ex iis quæ hactenus dicta sunt perspicuum est, quantam illi inter Regem & regnum differentiam constituerint? Etenim sic se res habet; Rex, princeps est unicus ac singularis, ac tanquam caput Reipublicæ; Regnum verò ipsa civium ac subjectorum universitas, & quasi corpus Reipublicæ, quam distinctionem Jurisconsulti quoque observant. Nam perduellem *Vlpianus* definit, qui hostili animo adversus Rempublicam vel Principem animatus est. *Item in Instit. tit. ult.* lex Julia majestatis in eos qui contra Imperatorem vel Rempublicam aliquid moliti sunt, vigorem suum ostendit. *Paulus lib. Sent. 5.* Qui de

de ſalute Principis, vel de ſumma Reipub. vaticinatores conſulit, cum eo qui reſponderit, capite punitur. Sic in *legibus Saxonicis titulo 3.* Qui in Regnum, vel in Regem Francorum conſiliatus fuerit, capite punitur: præterea Rex eandem cum Regno rationem habet, quam Pater cum familia: Tutor, cum pupillo: Curator, cum adoleſcente: Gubernator, cum navigante & vectoribus onuſta nave: paſtor cum grege: Imperator, cum exercitu. Ut igitur non pupillus tutoris, non navis gubernatoris, non grex paſtoris, non exercitus imperatoris: ſed contrà hi cauſſa illorum inſtituti ſunt: ita non populus Regis, ſed Rex populi cauſa, quæſitus ac repertus eſt. Poteſt enim populus ſine Rege eſſe, veluti qui optimatum aut ſuo ipſius conſilio paret, itemque in interregno. At ſine populo ne fingi quidem cogitando Rex poteſt: non magis quàm paſtor ſine grege. Quamobrem (inquit apud *Xenophontem* Socrates ἀπομν. γ.) exiſtimas Homerum appellaſſe Aga-

memnonem ποιμένα λαῶν? id eſt paſtorem populorum: an non ideo, quia ſicuti paſtor curare debet, ut oves ſuæ ſint incolumes, neq; iis quicquam deſit: ita Regis officium eſt, curare ut ſui cives beati ac fortunati ſint. Agè, ceteras differentias videamus. Rex æque ut quivis privatus, mortalis eſt: Regnũ perpetuum, & certè (vel ominis cauſſa) immortale: ut *Iſocrates in Orat. de pace*, de Civitatibus locutus eſt: Iuriſconſulti autem de collegiis & univerſitatibus: Rex mentis errore, inſaniaq; affici poteſt, ut noſter Carolus VI. qui temere Regnum ſuum Anglis donavit: neq; ulli ſunt homines, qui facilius voluptatum blanditiis & mulierculарũ illecebris infatuentur, atque adeo de ſtatu mentis deturbentur. At regnum ſuam habet in ſuis Senioribus & Optimatib⁹, & uſu rerum peritis propriam certamq;, tanquam in capite civitatis, ſapientiam. Rex uno prælio, uno inquam die, vinci, capi etiam, atque in hoſtium poteſtatem cadere, & vinct⁹ in eorum fines abduci poteſt: quod in Ludo-

Ludovico Sancto, & Iohanne & Francisco primo, usuvenisse nemo ignorat. Regnum amisso Rege incolume tamẽ manet: tantoque accepto incomodo repente publicum Concilium indicitur, primores conveniunt: & comuni consilio præsentibus incommodis remedium ac subsidium quærunt: quod etiam illis casibus factum constat. Rex vel ob ætatis infirmitatem, vel ob ingenii levitatem, non modò ab uno & altero consiliario auaro, rapaci, libidinoso: non modò à lascivis aliquot adolescentibus æqualibus induci ac depravari potest: verumetiam à muliercula infatuari, sic ut omnem prope administrandi regni potestatem ei committat: cujus mali exempla quàm sæpe acciderint, pauci, ut opinor, in nostris Annalibus versati ignorant. At regnũ, Seniorum suorum consilio & sapientia, perpetuò fretum est. Salomon sapientissimus, tamen è mulierculis, etjam in summa senectute corruptus est. Roboamus ab adolescentibus: Ninus à matre Semiramide: Ptolomæus,

Au-

Auletes cognomento dictus, à tibicinibus & citharœdis, Majores nostri Regibus suis privatos suos consiliarios, qui privata ipsorum negotia curarent, reliquerunt. Seniores, qui Rempubl. administrarent, & in commune consulerent, Regique administrandi Regni rationem ostenderent, ad conventum publicum reservarunt. Anno MCCCLVI. cum Rege Johanne capto ab Anglis, & in Angliam abducto, publicum Regni Concilium Lutetiæ haberetur: eoque nonnulli ex Regis consiliariis convenissent; jussi sunt è conventu excedere; denuntiatumque illis fuit, publici Concilii delectos non amplius conventuros, nisi illi ad augustum illud Regni sacrarium adire desinerent: cujus rei testimonium extat in *Magno Chron. Gallicè scripto vol.2. sub Rege Iohanne, fol.169.* Neque verò ulla unquam ætas fuit, quæ non certam illam atque animadvertendam inter Regem & Regnum differentiam notaret. Rex Lacedæmoniorum (ut Xenophon testatur) & Ephori

qui

qui tanquam custodes & observatores ipsius erant, singulis mensibus jurejurando fidem inter se dabant: Rex, se ex legum præscripto regnaturum: Ephori, se Regium dominatum conservaturos, si modo ipse jusjurandum servasset. *Cicero in Epist. ad Brutum*, Scis mihi semper placuisse, non Rege solùm, sed regno liberari Remp. *Idem lib. De legib.* 3. Sed quoniam Regale Civitatis genus probatum quondam, postea non tam Regni quam Regis vitiis repudiatum est, nomen videbitur tantum Regis repudiatum, &c. *Idem Philipp.* 11. Si enim astuissem, non solum Regem, sed etiam regnum de Rep. sustulissem. Sed ejus differentiæ nullum nobis planius Majores nostri documentum reliquerunt, quàm in Magistratuum jure & appellatione: nam qui à Rege dignitatem aliquam in Regia obtinent, & Regis ministri appellantur, & eo vel mortuo vel abdicato, repente dignitatem amittunt, Regis denique arbitrio sua illis dignitas, quasi precariò tantum concessa,
adimi-

adimitur. Cujuſmodi ſunt, qui vulgò MagiſtriHoſpitii REGIS appellantur, & Camerarii REGIS & Magnus venator Regis & alii aulæ regiæ officiales. Atqui regni & Reipubl. univerſę magiſtratus erant, eos Majores noſtri adjecto ampliſſimo FRANCIÆ nomine deſignarunt: quem morem etiam nunc retinemus: ut cùm dicimus Coneſtabulum FRANCIÆ: Amiralium FRANCIÆ: Cancellarium FRANCIÆ & cum antiquitus non à Rege, ſed à populo eas dignitates acciperent, neque ipſius morte aut mutatione deſinebant: neque ipſius arbitrio abdicabantur: itaque ne nunc quidem magiſtratus illi ſummi, quos vulgus CORONÆ OFFICIALES appellat, Rege mortuo magiſtratus eſſe deſinunt: neque iis adimi dignitas, niſi cum vita, hoc eſt, niſi rei capitalis damnatis poteſt. Quin ne illud quidem ſummæ populi poteſtatis argumentum prætermittendum eſt, quòd quibus tribus in rebus Reip. ſumma conſiſtit, re militari, juriſdictione, & ærario, iis

rebus

rebus qui cum summo imperio præfecti sunt, non à Rege, sed à Regno & Francia denominantur: nam ut modo diximus, is ad quē rei militaris summa pertinet, Comestabulus, aut Marescallus, aut (ut Sigebertus testatur) Seneschallus FRANCIAE dicitur: qui verò classi & maritimis copiis præest, Amiralius FRANCIAE: qui jurisdictioni, Cancellarius FRANCIAE: qui tributis & ærario, Quæstor generalis FRANCIAE.

De Capevingiorum familia, & Regno Francogalliæ in illam translato.

CAP. XX.

DEmonstratum est superiùs, Regnum Francogalliæ his mille ducentis annis in tribus tantùm familiarum nominibus versatum esse: quarum prima Merovingia, altera Carolovingia, ex auctorum & capitum nominibus appellata est. Nam etsi non hæreditate (ut jam sæpe docuimus) sed Concilii judicio Regni successio defer-

deferretur, libenter tamen Franci Germanorum ſuorum inſtitutum retinebant, ut Reges ex nobilitate, (quemadmodum *Tacitus* loquitur) Duces ex virtute ſumerent: ac plerumque Reges eos ſibi deligerent, qui Regali ſanguine prognati, regaliter inſtituti, educatique fuerant: ſive illi ex liberorum, ſive ex propinquorum numero & gradu eſſent. At anno 987. mortuo Ludovico V. Rege Francogalliæ XXXI. & ex Carlovingiorum ſtirpe, XII. migratio ſceptri, regnique mutatio contigit. Nam cùm ex illa familia Carolus Lotharingiæ Dux ſupereſſet, Regis demortui patruus, ad quem inſtituto Gentis regni ſucceſſio deferenda videbatur: exortus eſt Hugo Capetus, Imper. Ottonis I. ſororis Havuidis nepos, Hugonis Comitis Pariſienſis filius: vir militari laude inſignis, qui ſe præſentem abſenti: bene de regno meritum, alieno, ut ipſe loquebatur, præferri voluit: nam cum inter Germaniæ imperium & regnum Galliæ controverſiæ aliquot exti-

extitissent, Carolus partium se imperii studiosum, & à Galliæ regno alieniorem ostenderat. Qua de caussa gallorum complurium animos acvoluntates ab se abalienaverat. Itaque Carolus comparato exercitu, in Galliam irrupit, civitatesque aliquot deditione accepit. Capetus Francorum Principum favore atque amicitia fretus, ad Laudunum oppidum, quod est in Campaniæ finibus, coactis quibus potuit copiis, progressus est: neque ita multò post prælium atrox committitur: quo Capetus superatus, in interiorem Galliam profugit bellumque novis coactis copiis, redintegrare instituit. Carolus interea in oppido Laudano cum uxore, dimisso exercitu, quiescebat. Anno insequenti circumventus à Capeto, magnisque copiis ibidem circumsessus est. Erat in oppido Anselmus quidam, ejus civitatis Episcopus. Hunc Capetus præmiis & pollicitationibus ad Regis & oppidi proditionem induxit. Ita oppido & victoria potitus, Carolum cum uxore

comprehensum Aureliam mittit: custodesque utrique attribuit. Cùm in ea custodia Rex biennium retentus esset, duo ei filii, Ludovicus, & Carolus, nati sunt, neque longo interjecto tempore omnes interierunt. Ita Capetus liberè ac sine controversia totius Galliæ regno potitus, Robertum filium regni consortem ascivit: eumq; sibi successorem designandum curavit. Atque hoc facto Carlovingiorum familię dignitas memoriaque interiit: anno ab ipsorum regni primordio ducentisimo trigesimo septimo: quam historiam *Sigebertus* in *Chron ann.* 987. commemorat. *Itemque appendix Aimoini lib.* 5. *ca.* 42. *& c.* 45. ex quibus cognosci potest, Hugonem Capetum, Hugonis magni Francorum Ducis filium, ex Roberto natum, Odonis illius filio, cui superius diximus Francos Carolo Crasso mortuo, regnum extra ordinem detulisse, pronepotem Roberti Andium Ducis fuisse, clari & magni principis. Ex quibus etiam & ex Vitichindo Saxone intelligitur, Hugonem Ca-

Capetum non sordida & obscura (ut Italici quidam scriptores tradunt) sed illustrissima familia natum fuisse: nam Roberti Andegavorum comitis abnepos fuit, quem *Aimoinus* Saxonici generis fuisse scribit. Ex eo natus Odo, sive Otto, tantæ virtutis fuit, ut cum à Rege Carolo Crasso Dux Francorum exercitus adversus Danos creatus, hostium centum millia uno prælio delevisset, Franci ei, repudiato Crassi filio, Carolo Simplice puero, regnum detulerint; quemadmodum alio loco superiùs demonstratum est. Hujus Odonis filius fuit Robertus: ex quo Hugo magnus Dux quoque Francorum natus est: cujus filius Hugo Capetus dictus, regnũ eo quem superiùs diximus modo adeptus est. Memorabile est autem quod idem *Vitichindus* scribit, cùm Odo Carolo Simplici regnum restituisset, Arnulphum Imperatorem armis Galliæ regnum occupasse: eique Odoni (sic legendum, non ODA) diadema & sceptrum & cetera regalia ornamenta obtulisse, & Odonem impe-

rium domini sui, gratia Arnulphi Imperatoris obtinuisse. Unde (*inquit Vitichin.*) usque hodie certamen est de Regno Carolorum stirpi & posteris Odonis. Nam Hugo, cujus pater Robertus filius Odonis ab exercitu Caroli occisus est, dolo eum cepit, posuitque in custodia publica, donec vitam finiret. Neque verò silentio prætereundum videtur astutum Capeti in novo regno constabiliendo consilium. Nam cùm Magistratus & dignitates regni, quos Ducatus & comitatus appellant, ita mandari antiquitus in populi comitiis, certis ac delectis viris solerent, ut in beneficii tantùm loco, & (ut Jurisconsulti loquuntur) precariò tenerentur: quemadmodum in exponenda concilii publici auctoritate demonstratum est: primus Hugo Capetus ad conciliandos retinendosque sibi Procerum animos, has, quæ temporariæ erant, dignitates, fecit perpetuas: constituitque, ut qui eas obtinebant, patrimonii jure retinerent: atque ad suos liberos posterosque,

rosque, cum reliqua hereditate, transferrent: teste *Francisco Connano Iurisconsul. Com. 2. cap. 9.* quo facinore non minimam publici concilii auctoritatem ab ipso imminutam constat: quam tamen imminui ab ipso, sine concilii ipsius consensu potuisse, temporum illorum raitonem consideranti consentaneum non videtur.

De continuata Concilii publici auctoritate in Capevingiorum familia.

CAP. XXI.

NAm quemadmodum ex *Frossardo, Monstrelletto, Guagnino, Cominio, Gillio*, & aliis historicis omnibus cognosci licet, nihilo propè minor in Capevingiorum familia, quàm in superioribus duabus, publici concilii auctoritas fuit: valuitque apud illos præceptum illud, tam sæpe & tam valde, nunquam tamen satis commemoratum: SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO: neque ullum tam tyrannicum

dominatum unquam post homines natos fuisse arbitror, præter unum Turcicum, in quo cives pro pecudibus, non pro hominibus haberentur. Neque satis eorum hominum imperitiam admirari possum, qui cum primoribus labris jus civile degustassent, & in libris nostris legissent, lata lege Regia populum Imperatori omne suum imperium & potestatem concessisse: continuò liberam quandam & infinitam Regum omnium potestatem commenti sunt, quam Absolutam barbaro & inepto nomine appellant: quasi verò non etiam Romani Reges Reipublicæ curam (*ut Pomponius Iurisc.* loquitur) per Curiata comitia expedirent: aut, si liberam Imperatores Romani potestatem habuerunt, continuò verum sit Regibus omnibus eandem à populo potestatem tributam esse: neque enim ex uno particulari rectè de universis concluditur: & hac ætate longè dissimillimam esse Regum Poloniæ, Daniæ, Sueciæ, Hispaniæ rationem, nemo nisi rerum omnium

mnium imperitus ignorat. Regibus Germanorum (*inquit Tacitus*) non est infinita, aut libera potestas. Rex Angliæ (*inquit lib. 4. Cominæus*) tributa exigendi nullam habet sine Ordinum & Statuum consensu potestatem: quod idem de ceteris omnibus affirmat *l. 5. c.* 18. denique, satis constat, nullam esse Galliæ regionem, sive (ut vulgus loquitur) provinciam, quæ Regi serva aut dedititia sit, omnemque in se (ut quondam populus Romanus Imperatoribus) potestatem ei permiserit, quinimo nulla est, quæ non jura quædam sua propria habeat, iis pactionibus & conditionibus retenta, quibus se in Regis fidem ac ditionem commisit: cujus rei insigne illud argumentum est, quod unaquæque Regio, cùm usus & publicæ utilitatis ratio postulat, sua comitia indicit, quæ ad universæ provinciæ commodum pertinent, publico consilio provideat: Itaque cum generale universi Regni ac patriæ totius Concilium indictum est, cum ex illo conventu unus

aut alter deligatur, qui cum Provinciæ suæ mandatis eò ad dicendam sententiam proficiscatur. Exemplo erimus contenti uno, quod ex celeberrimi Doctoris Theolosani verbis proferemus. *Willelmi* nimirum *Benedicti*, qui *in c. raynutius*, *ad verbum*, *& uxorem, num.* 499. ita scribit: & laudatur à *Nicol. Boerio* nobili Jurisconс. & Prætore Burdegal. *Decis.* 126. De unione, *inquit*, comitatus Tholosani, & patriæ Occitanæ cum Regno Franciæ habetur plenè in documentis inter chartas statuum dictæ patriæ repositis: in qua unione tria fuerunt, inter Regem & patriam in forma contractus passata: primo quod omnia privilegia patriæ & jus commune illibata servarentur: secundo, quod nunquam Rex gubernatorem instituet, nisi qui sit de sanguine regio: tertio quòd Rex tallias vel alia subsidia indicere patriæ non poterit SINE CONSENSU STATUUM EIUSDEM: prout nunquam fecit, neque facit: quinimo annis singulis commissarium ad partes mittit, necessitatem

tem Regni toti patriæ explicaturum, ut pro modo negotiorum Regno pro tempore emergentium subsidium præbeatur: quod obediens patria annuere consuevit, in servando per Regem privilegia patriæ, & cetera in dicta unione contenta, & pro illa vice duntaxat: ita quod non trahatur in consequentiam. Sed quoniam persequi testimonia singula nimis laboriosum, ac planè infinitum esset, pauca quædam illustriora è magno numero, quasi exempli loco, subscribemus. Primum exemplum sumi licet ex anno MCCCXXVIII. quo tempore, mortuo (ut superiùs diximus) Rege Carolo Pulchro, qui sine liberis virilis sexus, atque postuma filia relicta decesserat, Angliæ Rex Eduardus tertius natus ex Isabella Caroli sorore, Galliæ Regnum ad se hereditate redisse contendebat. Qua controversia nulla neque major, neque illustrior ad publicum Concilium deferri potuit. Quinetiam quòd ad publicum Concilium introducta est, perspicuo

argumento esse potest, majorem Concilii, quàm Regis auctoritatem esse: cùm ejus se judicio atque arbitrio ambo illi Reges subjecissent: quod non modo historici nostri omnes testantur, verumetiam *Polyd. Vergilius Angl. Histor. li. 19. & Thomas Walsimgamius in historia Anglic. sub Eduard. 3.* Eduardo & Philippo de successione contendentibus (*inquit Guaguinus*) Conventus Francorum habitus est, quem TRIUM STATUUM COMITIA vulgo vocant, ibi de contendentium jure diu multumq; disceptatum est: ad extremum ii qui communi auctoritate concilium habebant, multis rationib. edocti Philippo regnum adjudicaverunt: cui judicio nec Eduardus Rex detraxit; fide post paucos annos Philippo de Aquitaniæ feudo præstita. Quinetiam *Claudius Seyssellus, Massiliensis Archiepiscopus, in libello, quem Franciæ Monarchiam inscripsit,* affirmat, utrumque Regem in eo Concilio præsentem affuisse. Cùm res in contentionem propè adducta esset, Optimatum consilio,

filio, populi atque Ordinum comitia indicta sunt. De majoris partis sententia placuit, præferri agnatum: prægnantisque reginæ custodiam Valesio attribui. Et, si filiam pareret, eidem Valesio regnum adjudicatum est: quã historiam *Frossardus* exposuit *vol.* 1. *cap.* 22. *Paponius Arest. lib.* 4. *ca.* 1. *artic.* 2. *Guaguinus* in Philippo Valesio: sed copiosissimè omnium *Seyssellus*, in eo quem modo nominavi libello. Alterum exemplum suppeditat annus MCCCLVI. quo tempore Rex Iohannes commisso cum Anglis prope Pictavium prælio captus, atque in Angliam abductus fuit. Tanta calamitate accepta, unica in Concilii auctoritate spes erat reliqua. Itaque comitia continuò Lutetiam indicta sunt: & quanquam tres Regis filii extarent, Carolus, Ludovicus, & Iohannes quorum natu maximus justã administrandi ętatẽ haberet: tamẽ delecti alii sunt, ex unoquoq; ordine duodeni probati viri, quibus regni procuratio mandata est: decretaque in Anglam legatio de

de pace cum Anglis reconcilianda, auctoribus *Frossardo vol. 1. cap. 170. Iohanne Bucheto lib. 4. fol. 115. Nicol. Gillio in Chronicis regis Iohannis.* Tertium suppeditat annus MCCCLXXV. cum Caroli V. cognomento Sapientis testamentum prolatum est: quo testamento filiorum suorum tutorem instituerat Philippum Ducem Borbonium, uxoris suæ fratrem: Regni autem procuratorem, Ludovicum Ducem Andicum, fratrem suum: tantisper dum Carolus ipsius filius in suam tutelam veniret. Concilium enim Lutetiæ nihilominus actum est, irritoque habito testamento, decretum est, ut regni administratio Ludovico pueri patruo committeretur: ea lege, ut eam administrationem de certorum virorum in eo Concilio probatorum sententia gereret: pueri autem tutela & educatio Borbonio permitteretur: simulque lata regia lex est, ut qui regni heres annum ætatis XIIII. implesset, ei corona imponeretur, homagiaque & fidelitatum juramenta præ-

præstarentur: auctore *Froiss. vol. 2. cap. 60. Buchet. lib. 4. fol. 124. Chron. Brit. cap.* Quartum suppeditat annus MCCCXCII. cùm idem ille Rex Carolus VI. repentino mentis errore affectus, primùm Cenomanum, tum deinde Lutetiam delatus est: ibique Concilium habitum: Ordinumque auctoritate decretum, ut Bituricæ & Burgundiæ Ducibus regni administratio deferretur: auctore *Froissardo vol. 4. c.* 44. Neque vero prætermittendum est, quod *Paponius Arest. lib. 5. tit. 10. artic.* 4. nostra memoria in parlamento Parisiensi commemoratum testatur, cum Rex Franciscus primus dominii sui partem alienare vellet, omnes ejusmodi alienationes à superioribus Regibus factas eo solo nomine irritas fuisse, quòd sine Concilii & (ut ipse loquitur) trium Statuum auctoritate factæ fuissent. Sextum exemplum extitit anno MCCCCXXVI. cùm Philippus Dux Burgundiæ, & Hanfredus Dux Clocestræ capitales inimicitias magno Reipub. detrimen-

to

to perquandiu exercuissent: tandemque inter eos convenisset, ut controversiis omnibus finem duello commisso imponerent. Nam in ea contentione Concilium se interposuit: decrevitque, ut arma uterque deponeret, deque suis controversiis jure apud se potius, quàm ferro disceptarent: quam historiam copiosè exponit *Paradinus in Chron. Burgund. libro 3. anno* MCCCCXXVI. Septimum exemplum suppeditat annus MCCCCLXVIII. cum dissidio inter regem Ludovicum XI. & Carolum ipsius fratrem exorto, Concilium publicum indictum est Turones, ad Kal. Decembr. quo in Concilio decretum est, ut Rex fratri suo Apannagii nomine Ducatum aliquem cederet: cujus annui fructus non minoris essent, quam XII. millium libellarum: insuperque Rex è suo fisco LX. libellarum millia quotannis ei adnumeranda curaret: quam historiam copiose auctor Chron. Britan. Armor. commemorat, lib. 4. fol. 200. Octavum exemplum editum est

anno

anno MCCCCLXXXIIII. cùm Ludovico XI. mortuo superstite Carolo filio annorum XIII. Concilium Turonibus habitum est, decretumque ut pueri educatio Annæ sorori Regis committeretur: Regni verò procuratio certis viris in eo Concilio, probatis & delectis mandaretur: quamvis Ludovicus Dux Aurelianus proximus agnatus eam postularet. Cujus rei testimonium extat in actis ejus Concilii Lutetiæ impressis, & apud *Philipp. Cominæum lib. 5. cap. 18. itemque in Chron. Britan. lib. 4. & apud Iohan. Bucchetum lib. 4. fol. 167.*

De publici Concilii auctoritate in maximis religionis negotiis.

CAP. XXII.

HActenus demonstratum est, summam in gravissimis quibusque Reip. nostræ negotiis summo per multorum seculorum consensu Concilii publici potestatem fuisse. Deinceps videamus, ecqua ejusdē in Religionis nego-

negotiis auctoritas fuerit. Cujus rei documentum nobis præbent Annales nostri, sub anno MCCC. quo Bonifacius octavus, Papa Romanus, missis ad Regem Philippum Pulcrum legatis, ei denuntiavit, se non modò spiritualem, (verba hæc Historici sunt omnia) verumetiam temporalem omnium regnorum ac ditionum, quæ in orbe Christiano sunt, dominum esse: pro eo jure postulare, ut Rex Philippus eum pro domino ac Principe summo agnosceret: eique suum regnum acceptum ferret, ac fateretur, se illud ipsius beneficio & liberalitate obtinere: si id facere recuset, futurum, ut eum hæreticum pronunciaret, & sacris suis interdiceret. Qua legatione audita, Rex publicum Concilium Lutetiam indicit: in eo Concilio Papales literæ recitantur, his verbis: Bonifacius Episcopus, servus servorum Dei Philippo Francorum Regi: Deum time, & mandata ejus observa. Scire te volumus, quod in spiritualibus, & temporalibus nobis

subes:

ſubes: beneficiorum atque præbendarum ad te collatio nulla ſpectat: & ſi aliquorum vacantium cuſtodiam habeas, uſumfructum earum ſucceſſoribus reſerves: & ſi quas contuliſti, collationem haberi irritam decrevimus: & quatenus proceſſerit, revocamus, Aliud credentes, fatuos reputamus. Datum Laterani, IIII. Non. Decemb. pontificatus noſtri anno VI.
His literis recitatis, auditaque procerum ſententia, ac deliberata re, primum decretum eſt, ut Epiſtola Papæ in area Palatii Pariſienſis coram ipſius legatis & nuntiis cremaretur: tum ut legati mitellati, turpificati, ſordidati, & à carnifice in illam aream lutulento plauſtro advecti, plebis totius ludibrio & conviciis exponerentur: poſtremò ut Regis nomine literæ ad Papam his verbis ſcriberentur: Philippus Dei gratia Francorum Rex Bonifacio ſe gerenti pro ſummo pontifice, ſalutem FATUITAS, in temporalibus nos alicui non ſubeſſe: aliquarum Eccleſiarum & præbendarum

vacantem collationem ad nos jure regio pertinere, & percipere fructus earum contra omnes possessores utiliter nos tueri: secus autem credentes fatuos reputamus, atque dementes. Cujus historiæ testes sunt *auctor Chronic. Brittan. Armoric. lib. 4. cap. 14. & Nicol. Gillius in Chron. Gallic.* quibus adjungendus est pragmaticus *Paponius in lib. Arestorum 1. tit. 5. art. 27.* sed multo magis *Iohannes Tilianus Parisiensis Parlamenti scriba*, homo ceteroqui ab hoc historiarum genere alienissimus. Cardinalis quidam, *inquit, pag. 172.* denuntiavit inducias imperatas à Papa Bonifacio octavo inter Philippum Pulchrum, & Reges Romanorum atque Anglorum: adjecta pœna sive comminatione censuræ Philippus Pulcher anno 1297. consilio suorum Principum & consiliariorum, respondit se paratum esse, Sedi Apostolicę parere, in iis rebus quæ ad suam animam & spiritualitatem pertinerent: sed neminem præter Deum agnoscere superiorem se in iis quæ ad

res

res sui regni temporales pertinerent: neque velle se in rebus sui regni temporalibus cuiquam mortali subiicere. Quibus rebus cognitis Bonifacius bulla Regi Philippo missa, denuntiavit eum sibi subjectum esse æque in temporalibus, ut in spiritualibus: simulque pronunciavit hæreticos esse, qui aliter crederent: cui denuntiationi fortiter reclamatum est: simul bulla Lutetiæ combusta, in præsentia Regis, & Principatum atque consiliariorum. Quæ, malum, ista est hodie Principum & summorum Magistratuum, ut ita dicam, Papimania? qui cum tantam ac tam nefariam illius Tyranni superbiam atque arrogantiam videant, tamen, quasi Circæo poculo dementati, nihilominus sese ad illius exosculandos pedes provoluunt, quasi DEUM aliquem de cœlo delapsum intuerentur. Sed nemo totam hanc historiam commodius exponit, quàm *Tho. Walsinghamius, Angl. Historicus*, monachus ceteroqui papisticis superstitionibus addictissimus, & ad tuendam Papa-

rum amplitudinem præter ceteros devotiſſimus. Itaque cum is liber venalis (ut audio) in Gallia noſtra non reperiatur, operæ pretium fore arbitror, totam illam hiſtoriam ejuſdem illius monachi verbis exponere. Celeſtinus Papa, vir vitæ anachoriticæ, ſubdole à Benedicto Cajetano inductus eſt, ut ei Papatum cederet: & conſtitutionem ederet, ut Papa quilibet cedere ſuum Papatum poſſet: quam tamen conſtitutionem Benedictus ille (poſtea Bonifacius Papa factus) revocavit, de quo vere Celeſtinus prophetavit in hunc modum; Aſcendiſti ut vulpes: regnabis ut leo: morieris, ut canis. Bonifacio Papæ creato Rex Francorum Philippus in multis reſiſtebat. Papæ favebat Gallus Appamenſis Epiſcopus, qui propterea de conſpiratione contra Regem Franciæ accuſatus, & ad Regis vocatus curiam, in cuſtodia detentus eſt. Menſe verò Februario ad mandatum Domini Papæ liberatus, jubetur unà cùm nuncio domini Papæ regnum

gnum evacuare. Papa talibus novis exaſperatus, omnes gratias à ſe, vel ſuis prædeceſſoribus Francorum regibus conceſſas revocavit: & in eundem Regem cito poſt excommunicationis ſententiam fulminavit. Quam tamen Regi nemo eſt auſus nuntiare: vel in regno Franciæ publicare. Fecit etiam citari prælatos omnes de regno Franciæ, necnon & omnes magiſtros in Theologia, & in jure, tam canonico, quam civili, ut coram eo Romæ Kalend. Novemb. comparerent. Rex vero Franciæ publico prohibuit edicto, nequis aurum, vel argentum ſeu merces quaſcunque Romam aſportaret de regno ſuo: fecit etiam omnes exitus & introitus diligentiſſime cuſtodiri. Prælati Franciæ, miſſis ad Papam tribus Epiſcopis, de non veniendo ad diem citationis præfixum, ſe per eoſdem excuſarunt. Papa verò Prælatis Franciæ non comparentibus, miſit in Franciam Iohannem Monachum Cardinalem, qui convocatis prælatis Pariſiis, ſecretum conſilium

 ha-

habuit cum eisdem. Postea circa festum S. Ioann. Baptistæ milites quidam in præsentia cleri & populi Parisiis congregati, Papæ Bonifacio multa imposuerunt enormia, puta hæresim, simoniam homicidia, propter quæ per Regem Franciæ appellatum est contra eum, ad illum cujus interest: donec, convocato consilio, se à criminibus purgaret objectis. Circa festum nativitatis beatæ Virginis, videlicet in vigilia nativitatis ejusdem, venit summo manè magnus exercitus hominum armatorum missus ex parte Regis Franciæ repente ad portas civitatis Anaguinæ, in quam Papa confugerat pro tutela; quia ibidem natus fuerat. Invenientes igitur portas apertas ingressi sunt civitatem, & mox dederunt insultum Palatio domini Papæ. Communitas verò villæ comperto, quòd Willelmus de Longaretto, (legendum est Nogaretto) seneschallus Regis Franciæ advenisset, ut Papam deponeret, vel necaret; statim pulsata communi campana, & tracta-

tu

tu habito, elegerunt ſibi capitaneum quendam Adnulphum, qui quidem illis ignorantibus extitit domini Papæ capitalis inimicus. Hi omnes communibus votis tantum irruerunt in Papam, & nepotem ſuum, & tres Cardinales (qui à tergo per latrinam evaſerunt) quod diu (ut putabatur) eis reſiſtere non valerent. Ob quam cauſam Dominus Papa timēs ſibi, treugas petiit. Quibus finitis, exercitus per vim ad Papam eſt ingreſſus, quem tunc permulti verbis contumelioſis ſunt aggreſſi. Cum autem ad rationem poſitus eſſet, an vellet renuntiare Papatui, conſtanter reſpondit, Non: imò citius vellet perdere caput ſuum, dicens in ſuo vulgari: *Ecco il collo: Ecco il capo:* quod eſt dicere, ecce collum, ecce caput. Et ſtatim proteſtatus eſt coram omnibus, quod Papatui nunquam renuntiaret, quandiu poſſet habere vitam: exercitus vero poſtquam irrupit palatium, mox deſpoliavit Papam, & ejus cameram, atque theſauriam ſuam, & aſportavit veſti-

menta cum ornamentis, & aurum atque argentum, cum omnibus aliis rebus inventis ibidem. Et revera creditur, quod omnes Reges mundi non possent tantum de thesauro reddere, infra unum annum, quantum fuit de Papali palatio asportatum. Remansit autem Papa sub custodia militum & custodum usque ad diem tertiam: sed populus Anagum, facta convocatione secreta usque ad decem millia hominum concurrunt, & Papam deliberaverunt. Sed ante hæc omnia sciendum, quòd cum illi primò Papam comprehendissent, in equum posuerunt effrenem, facie ad caudam versa, & sic coegerunt discurrere, fere ad novissimum halitum, & tandem penè fame necaverunt; donec eum populus Anagum (ut præmittitur) liberasset. Tunc populus fecit Papam deportari in magnam plateam, ubi Papa lacrymando populo prædicavit; & tandem in fine sermonis dixit: Boni homines & mulieres, constat vobis, qualiter inimici mei venerũt, & abstulerunt

luerunt omnia bona mea, & non tantum mea, ſed etiam bona Eccleſiæ, & me ita pauperem, ſicut Job fuerat, dimiſerunt: propter quod dico vobis veraciter, quòd nihil habeo ad comedendum vel bibendum, & jejunus remanſi, uſque ad præſens. Et ſi ſit aliqua bona mulier, quæ me velit de ſua juvare eleemoſyna, in pane vel vino, &, ſi vinum non habuerit, de aqua permodica, dabo ei benedictionem Dei & meam, & omnes qui quicquam portaverint, quantulumcumque modicum, abſolvo eos ab omnibus peccatis ſuis. Tunc omnes hæc audientes ex ore Papæ, clamabant, VIVAS PATER SANCTE. Et mox cerneres mulieres currere certatim ad Palatium, ad offerendum ſibi panem, vinum, vel aquam: in tantum, quòd ſtatim camera Papæ victualibus repleta fuit. Et cum non invenirentur vaſa ad capiendum allata, fundebant vinum & aquam in area cameræ Papæ, in maxima quantitate. Et tunc potuit quiſque ingredi, & cum Papa loqui, ſicut cum

alio paupere, qui volebat. Tunc Papa exiens absoluit omnes existentes in civitate ab omnibus peccatis eorum. His itaque gestis, Papa subitò & inopinatè, recessit de villa Anagum, progrediens versus Romam: cum maxima multitudine armatorum. Et cum pervenisset ad sanctum Petrum, ex timore, quem conceperat, quando fuit captus, & mærore rerum inæstimabilium perditarum, cito defecit: & sic completa est prophetia prædecessoris sui, quæ dixit: Ascendisti ut vulpes: regnabis ut leo: morieris, ut canis. Hæc *Walsinghamius*, totidem verbis: primùm in *Historia sub Eduardo primo*, deinde in *Annalib.* quinetiam *sub anno* 1307. hæc adscribit: Rex Franciæ per hoc tempus petiit per suos nuntios à domino Papa Benedicto, ossa prædecessoris Bonifacii, ad comburendum, tanquam hæretici.



De

De memorabili auctoritate Concilii in Regem Ludovicum XI.

CAP. XXIII.

MAgna igitur ac planè ſacroſancta Concilii & Ordinum coactorum vis & poteſtas ex ſuperioribus teſtimoniis apparuit. Sed quoniam hoc in argumento & quaſi campo verſamur, non prætermittenda videtur ejuſdem Concilii auctoritas, patrum noſtrorum memoria interpoſita contra Regem Ludovicum XI. qui ſuperiorum regum omnium verſutiſſimus & callidiſſimus eſt habitus: ex quo intelligi facile poterit, quod jam ſæpe diximus, majores noſtros non ſibi ferum aliquem tyrannum aut carnificem impoſuiſſe, qui ſuos cives in pecudum loco ac numero haberet: ſed Regem juris ac libertatis ſuę cuſtodem aſciuiſſe, qui juſtitiæ præſes eſſet. Anno igitur MCCCCLX. cùm ita regnum ab illo Ludovico gereretur, ut multis in rebus boni Principis & patriam amantis officium deſideraretur, cœpta eſt Con-

Concilii auctoritas requiri, ut in eo Boni publici ratio haberetur. Et quoniam ei Rex minimè sese subjecturus putabatur, Proceres regni, assiduis plebis querimoniis & expostulationibus incitati, manus cogere, exercitusque comparare instituerunt: ut Bonum publicum procurare, & Regi perditam Reipub. administrationem (*verba sunt Philippi Cominii lib.* 1. *cap.*2.) vi demonstrare possent. Instructi enim & parati cum exercitu esse volebant, ut si Rex consulere Bono publico, & bonis consiliis parere detractaret, vi cogere invitum possent: qua de caussa bellum illud Bono publico susceptum dicebatur, vulgoque Bellum boni publici appellatum est. Procerum nomina idem *Cominius*, *Gillius Lamarcius* hęc prodiderunt: Dux Borbonius, Dux Biturigum Regis frater, Comites Dunensis, Nivernensis, Armeniacus, Albretius; & is ad quem summa imperii respiciebat, Dux Carolensis. Quacunque autem iter faciebant, pronuntiari jubebant, se bel-

bellum illud Bono publico instituere, tributorumque & vectigalium immunitatem indicebant (*quæ omnia Gillii verba sunt lib.4.fol.152.*) legatosque & literas Lutetiam ad Parlamentum, Ecclesiasticos & Academiæ rectorem miserunt (*verba hæc ejusdem Gillii sunt fol. eodem*) ne putarent exercitum illum in Regis perniciem comparatum fuisse: verùm ut illum ad boni Regis officium revocarent, sicuti boni publici ratio postulabat. Verba autem *Annalium*, qui *Chronica Ludovici* XI. inscripti sunt, *Lutetiæ à Gallioto impressa*, hæc ferè sunt. *fol.27.* Primum & summum Postulatorum caput hoc fuit, ut Trium ordinum conventus haberetur: quippe, quòd unicum omnibus seculis, malorum omnium remedium fuisset, vimque semper ejusmodi incommodis medendi habuisset. *Rursus pag.28.* Procerum legatis Senatus datus est Lutetiæ, die XXIIII. in Curia quæ Domus civitatis dicitur, in quo affuerunt delecti ex Academia, ex parlamento, & ex Magistratibus.

Re-

Responsum est, eorum postulatum æquissimum videri, conciliumque Trium ordinum indictum est. Hæc, inquam, Historici verba sunt, *fol. 28.* ex quibus verissimum istud M. Antonii vetus verbum esse apparet: Etsi omnes molestæ semper seditiones sunt, justas tamen esse nonnullas, & propè necessarias. Eas verò justissimas, maximeque necessarias quis non dicet, cùm populus Tyranni sævitia oppressus, auxilium à legitimo Civium conventu implorat? Quid? deteriorne Civium conditio esse debet, quàm olim servorum fuit? qui sævitia dominorum pressi ad urbis præfectum confugiebant, & de suis dominis verecundè (*ut ait Ulpianus*) expostulabant. Itaque *Guaguinus in* vita ejusdem Ludovici, ubi responsum Caroli Burgundiæ Ducis ad Regis legatos exponit: his utitur verbis, *pag. 265.* Audivit, *inquit*, Carolus legatos: verùm ad pacem nihil commodius esse respondit, quàm trium Ordinum conventum: ubi tantas animorum & belli discor-

dias

dias componi oporteret: quod postquam per nuntios Legati Ludovico retulerunt, ipse in dilatione spem reponens, concilium apud Turones ad Kal. April. anni MCCCCLXVII. indixit. Conventionis definito tempore, affuere ex toto regno, &c. Quod idẽ totidem verbis traditur in iis quæ diximus *Annalibus*, *fol.* 64. & in *Magno Chron. vol.* 4. *fol.* 242. ubi etiam illud additum est, quod memoria dignum & summoperè observandum videtur, placuisse in eo concilio, ut certi probatique viri ex singulis ordinibus deligerentur, qui Remp. constituerent, & (ut ad verbum interpretemur) juri ac justitiæ providerent. At *N. Gillius*, eo quem ostendimus loco: Post prælium, *inquit*, Montlerinum, delecti sunt complures egregiè cordati & prudentes viri, qui boni publici curatores essent: quemadmodum inter regem & supradictos Proceres convenerat: primusq; in eo numero fuit Comes Dunensis, qui primus discessiõis illius auctor fuerat. Erat autem (ut superius di-

dictum est) antiquæ consuetudinis, postquam Ecclesiasticorum opes in tantam potentiam excreverant, ut populus in tres ordines describeretur, quorum unum Ecclesiastici obtinerent: cumque Reip. curatores constituerentur, duodeni ex unoquoque ordine deligerentur. Itaque in eo Concilio constitutum fuit, ut XXXVI. Reipubl. curatores crearentur, qui communi consilio publicis incommodis mederentur. Qua de re *Monstreletus vol.4.fol.*150. ita scribit: Principio decretum est, ut ad Rempub. constituendam, plebemque tributis & detrimentis sublevandam XXXVI. viri auctoritate regia deligerentur: duodeni ex clero, totidem ex equitibus, & totidem juris & justitiæ periti: quibus potestas permitteretur videndi, quibus vitiis atque incommodis regnum laboraret iisque vitiis remedium adhibendi: fidemque Rex regali dicto promissoque dedit (ad verbum, *Et promisit Rex in verbo Regis*) ratum se habiturum, quicquid illi XXXVI. viri con-

constituerent. Hæc *Monstrelletus:* cui *Oliverius Lamarcius Belga, in historiæ suæ cap. 35.* totidem propè verbis subscribit, eundemque XXXVI. Curatorum Reipubl. numerum prodit: simulque ascribit, cùm Rex ei dicto promissoque non stetisset, fidemque publicam & publicè juratam violasset, misserimum in Francogallia bellum exarsisse, quod annos propè XIII. duravit. Ita Regis periurium cùm ipsius infamia, tum etiam populi pernicie expiatum est. Vtcunque sit, perspicuum est, nondum centesimum annum abiisse, ex quo Francogalliæ libertas, solennisque Concilii auctoritas vigebat: & vigebat adversus Regem, neque ætate, neque animo imbecillum: sed & jam annorum XL. majorem, & tanta ingenii magnitudine preditum, quantam nunquam in ullo Rege nostro fuisse constat. Ut facilè intelligatur, Remp. nostram libertate fundatam & stabilitam, annos amplius centum & mille statum illum suum liberum & sacrosanctum, etiam vi armis adver-

ſus Tyrannorum potentiam, retinuiſſe. Neque verò præclarum hac de re *Philippi Cominæi* clariſſimi viri & ornatiſſimi hiſtorici elogium prætermittendum videtur: qui *lib. Hiſt. 5. ca.* 18. in hanc ſcribit ſententiam, quam ad verbum convertemus. Quare ut in inſtituto ſermone pergamus, ecquis eſt in orbe terrarum Rex, aut Princeps, cui jus ſi tributum unius teruncii jubjectis ſuis ſine ipſorum conſenſu & voluntate imponere? niſi violentia & tyrannide uti velit. At enim (dixerit aliquis) poteſt tempus incidere, cum publicũ populi concilium expectandum non eſt: neque tantam moram res patitur. Sanè in bello ſuſcipiendo nihil tanta celeritate eſt opus. ſatis ad eam rem temporis ſuppeditat. Addo etiã illud, cùm Reges & Principes bellum civiũ ſuorum conſenſu ſuſcipiunt, multò & potentiores ſunt, & hoſtibus ſuis formidabiliores. *Et rurſus aliquantò poſt:* Regem Galliæ minimè omnium decet his uti verbis: Habeo poteſtatem exigendi à meis civibus, quantum mihi libet.

libet. Nam neque ipſe, neq; quiſquam alius eam poteſtatem habet. Qui verò his utuntur verbis, nullum ei honorem tribuunt: neq; illius auctoritatem & exiſtimationem apud exteras nationes augent, verùm ex contrario, terrorem finitimis iniiciunt: qui nulla conditione dominatum illius ſubire vellent. At ſi Rex noſter, aut ii qui potentiam ejus prædicant, ita loquerentur: Habeo ſubjectos ita manſuetos & obſequentes, ut nihil eorum quæ impero facere detrectent, neque quiſquam Princeps ſubjectos habet æque obſequentes, quique calamitatum & incommodorum ſuorum faciliùs obliviſcantur: hæc oratio magnæ illi laudi atq; ornamento eſſet. Verùm illa Regem non decet: Exigo, quantum volo: ejuſque rei poteſtatem habeo, quàm mihi conſervatam volo. Rex Carolus quintus hac oratione non utebatur. Neque ſanè Regem ullum noſtrum illis utentem verbis audivi: ſed quoſdam ipſorum comites & miniſtros: qui ſibi bonam Regibus

navare operam videbantur. Verùm meo judicio adversus illos peccabant: & tantum assentandi causa ita loquebantur: neque satis quid dicerent, considerabant. Atque ut certius mansueti Gallorum ingenii argumentum proferamus, consideremus concilium trium Ordinum Trionibus, post Regis nostri Ludovici XI. excessum, habitum: anno nimirum 1484. Existimari per id tempus poterat, bonum illum Ordinum conventum periculosum esse, dicebantque nescio qui, non magni pretii homines, sæpiusque post id tempus dixerunt, crimen esse læsæ majestatis, siquis de trium Ordinum concilio convocando verba faciat. Id enim ad minuendam Regis auctoritatem pertinere. Verùm illi ipsi sunt, qui crimen illud adversus Deum, & Regem & Remp. committunt. Neque verba ejusmodi aliis prosunt, quàm iis, qui nullo suo merito gradus honorum & dignitatum obtinent: neque ad illos obtinendos sunt idonei: sed assentari & servire auribus didicerunt,

runt, & nugatoriis de rebus verba facere: magnoſque conventus hominum reformidant, ne quales ſunt, tales agnoſcantur: eorumque opera vituperentur. Hęc ad verbum *Cominæus*: ex quibus aliiſque quæ ſuperius de retenta publici concilii in Ludovicum XI. auctoritate diximus, perſpicuè intelligitur, etiam uſque ad id tempus nobile illud præceptum, à Turcica tyrannide alienum viguiſſe: SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO. Sed hanc conventus publici libertatem palpatores aulici, Regum aſſentatores, & qui malis artibus honores adepti ſunt (ut *Cominæus* ſcribit) omni ſtudio & contentione averſantur. Qua de re *Budæus* quoque *libro de Aſſe* IIII. ſic ſcribit: Quare, ſi moribus jam noſtris, qui rerum ſummam tenent, tenebuntque in poſterum, IN DISQUISITIONEM CONVENTUUM aliquando vocentur, nonnulli ſæpe qui ſeſe naſutos videri volunt, haud dubie (quod ajunt) apprime ſimi, atque ea parte deformes ab omnibus cernerentur.

rentur. Hæc Budæus: circiter illud tempus, quo Rex Franciscus primus ex Hispania (quò captivus abductus fuerat) reversus, ut redemptionis suæ nomine pecuniam conficeret, tributum Ordinibus sui Regni non pro suo jure imperavit, sed (ut auctores omnes affirmant) ab iis bona sine gratia, sine venia impetravit: qua de re *Nic. Boerius Decis.* CXXVI. ita scribit: Anno Domini CIϽIϽXXVII. Princeps noster in mense Decemb. convocavit prælatos, nec non nobiles de ejus sanguine, & alios regni sui, & ex quolibet Parlamento unum præsidentem, & duos consiliarios: qui omnes ita REGI ANNUERUNT TALLIAM, USQUE AD SUMMAM DUORUM MILLIONUM, pro redemptione sua, imponere & levare posse.

Alterum ejusdem publici Concilii facinus insigne in Papa Benedicto XIII. damnando & repudiando.

CAP. XXIIII.

HActenus quanta publici Francogalliæ concilii auctoritas in damnanda

nanda Papæ Bonifacii VIII. insania fuerit, satis explicatum arbitramur. Nunc alterum ejusdem auctoritatis exemplum in Papa Benedicto XIII. damnando ac repudiando proponamus. Quo tempore Rex Carolus VI. Galliæ gubernacula tenebat, circiter illud tempus mirificum quoddam Antipaparum aliquot certamen extitit, quod annos amplius XXX. factionibus exitiosis, summa cum omnium rerum perturbatione & piorum animorum cruciatu, mœrore ac prope desperatione duravit: neq; ullus in orbe Christiano Princeps fuit, neque Rex neque Imperator, qui non omne suum studiũ in illa funesta & calamitosa Antiparum contentione sedanda interposuerit, quam historiam *Platina*, *Krantzius* & *Guaguinus* memorię prodiderũt: sed omnium copiosissime is, qui assiduus tragœdiarum illarum spectator fuit, *Theodor. Nyhemius*, *l. de schismate* 3. Sed quoniam hanc operam Gallis nostris potissimum navamus, cōmodius fore arbitramur, unius *Enguerrantii*

Monstreletti, qui Gallorum prope omnium manibus teritur, testimonium sequi, totamque ipsius hac de re narrationem breviter comprehendere. Sic enim fere ad verbum *sub. cap.* XLI & aliquot insequentibus scriptum reliquit: Rex Carolus VI. per legatos denuntiavit Petro de Luna, Bonifacio XIII. per papificationem nominato, nisi intra tempus illud, quod de communi Christianorum Principum sententia præstitutum erat, finem illi funesto certamini imponeret, ac de papatu cum æmulo suo transigere, fore, ut ipse, suique omnes Galliæ populi sibi consilium caperent; ac neutri Antipaparum obedientiam præstarent. Hac denuntiatione Papa Benedictus graviter indignatus, animi tamen offensionem vultu atque oratione tegens, blanda oratione legatos dimisit, confirmans se propediem responsum per certum hominem ac nuntium Regi missurum. Pauculis post diebus diploma quam Bullam appellant, Regi per emissarium quem-

quemdam misit, qua & Regem & omnes ipsius imperio subjectos excommunicabat, sacrisque omnibus tanquam impios ac profanos arcebat. Ea bulla perlecta, ejusque rei fama per universam Galliam dissseminata, Rex Concilium publicum Lutetiam Parisiorum indicit: quo in conventu de communi ordinum sententia decreta hæc fuerunt: primùm ut Benedictus Papa deinceps pro schismatico, hæretico, & Ecclesiæ Christianæ perturbatore haberetur: neve illi obedientia ulla præstaretur: utique acta illius omnia irrita essent: tum ut bulla Regi missa pronuntiaretur impia, scelerata, & in regiam Majestatem contumeliosa: atque iccirco palam inspectante populo laceraretur: postremò, ut tam atrox illata Regi & regno injuria tum adversus Papam, ipsius auctorem, tum etiam adversus omnes ipsius factionis socios vindicaretur. His decretis palam in conventu pronuntiatis confestim Rector Academiæ Parisiensis è sella exsurgens bul-

lam cepit, eamque inſpectante Rege in procerum delectorumque omnium conſpectu ſuis manibus diſcidit. Nuntius autem Papæ qui eam attulerat, atque alter quidam ejuſdem Pontificis emiſſarius talaribus amicti togis, in quibus inverſa Papæ inſignia depicta erant, mitra capitibus impoſita, in qua grandibus literis elogium hoc ſcriptum erat: HI SUNT IN ECCLESIAM ET REGEM PERFIDI: è carcere uſque ad palatii Pariſienſis aream advecti ſunt: atque in contabulato ex tempore extructo deſtituti, ſumma cum Papæ infamia ac dedecore catamidiati, omnium irriſui ac ludibrio expoſiti, ioculare Parienſibus ſpectaculum præbuerunt. Tertio denique poſt die iterum in plauſtrum impoſiti ac per urbis vias circunvecti, conviciis, ſibilis, clamoribus omnium vexati, vix è populi inſultantibus manibus effugerunt.

Re-

Regem Francogalliæ non infinitam in suo regno dominationem habere, sed certo jure certisque legibus circumscriptam.

CAP. XXV.

SAtis igitur demonstratum esse arbitramur, Regibus Francogalliæ nō immensam atque infinitam potestatem à suis civibus permissam fuisse: ut legibus omnibus soluti dici possint: sed eos certis legibus & pactionibus obligatos esse; quarū primam esse summam hanc fuisse ostendimus. Ut publici Concilii auctoritatem sanctam inviolatamque servarent: eumq; conventum, quoties utilitas Reip. postularet, sua præsentia concelebrarent. Ac leges quidem, quibus Reges astrictos esse cōstat, permultę sunt. Verùm nos eas solas de quibus nemo nisi amentissimus, nemo nisi patriæ, parentum ac liberorū suorū hostis ambigit, ut quæq; memoratu dignæ videbuntur, exponemus. Prima igitur hęc esto: Ut ne quid quod ad statū Reip. in universum pertineat, Regi sine publici Con-

Concilii auctoritate statuere liceat, cujus rei cum antea certissima testimonia protulimus, tum etiam expressissimum & evidentissimum usque ad hanc ætatem nostram vestigium illud manet, quòd senatus Parisiensis, qui veteris illius Parlamenti auctoritatem sibi magna ex parte ascivit, nullas Regis constitutiones, nulla edicta rata esse patitur, nisi quæ apud se pro consilio cognita, & consiliariorum suorum sententiis comprobata fuerint: ut non incommodè dici possit, similem hoc quidem in genere videri Senatus illius auctoritatem veterum Tribunorum plebis potestati, quos *Val. Maximus* scribit, in vestibulo Senatus expectare solitos, dum ad se decreta ejus ordinis afferrentur, quæ ipsi pro Concilio cognoscerent: ut si plebi utilia viderentur, literam T quasi assensus sui notam atque indicem subscriberent: sim minus, vetarent, atque intercederent: quanquam *Budæus*, vir doctissimus, aliunde similitudinem sumit: sicuti populo R. (inquit) sciscente

ſciente aliquid, Senatum auctorem fieri oportebat, quod nunc verbo Græco *Homologare* dicimus, ita Principum noſtrorum conſtitutionibus, ut vim ſanctionum habeant, hujusmodi actis ad Remp. pertinentibus auctorem Curiam fieri hodie neceſſe eſt, eaſque in curia promulgari. *Et paulo poſt*: In hac curia præfecti provinciarum ac juridici, quos Ballivos, Seneſchallos, & hujuſmodi nominibus vocamus, in leges jurare ſoleat. In hujus acta referri diplomata, regiaque beneficia ſolent, ut perpetua eſſe poſſint, ac nunquam antiquabilia. Hujus auctoritate rata irritave Principum acta, ne ipſis quidem recuſantibus, fiunt. una hæc curia eſt, à qua ſibi jus dari Principes (legibus ſoluti) civili animo ferunt: quam auctorem fieri ſacrandis promulgandiſque ſanctionibus ſuis volunt. Cujus concilii cenſuræ conſtitutiones ſuas eximi, edictaque ſua nolint, imò cujus decretis acta ſua conſecrari æternitati velint. *Hæc Budæus*. Ut igitur hanc ſibi poteſtatem Senatus

tus ille tyrannicè usurpavit, ut Regiis edictis atque imperiis intercederet: quod certe credibile non est: aut illud fateamur necesse est, Regibus non liberam & infinitam rerum omnium potestatem permissam antiquitus fuisse, quod etiam *Auffrerius*, *Boerius* *Montanius*, *Chassanæus* aliique summæ apud Gallias auctoritatis pragmatici, una voce, sine ulla varietate, attestantur.

Age, reliquas leges regias videamus: atque hanc in primis, Ut Regi jus non sit neque filium adoptare, neque de suo regno, vel inter vivos, vel per testamentũ disponere: sed in regni successione majorum instituta & antiqua consuetudo servetur. Nam *Ioannes de terra rubea tracta*. 1. *concil*. 9. ita scribit: Reges Franciæ non potuerunt unquã, neque posset Rex modernus facere testamentum de regno, nec primogenitum aut alterum hæredem facere in illo. Item, adeo ex vi consuetudinis in regno Franciæ succeditur, quòd sicut nec ex voluntate dispositiva, & testamentaria Regis successio defertur ejus succes-

successori, nec deferri potest: sic nec tacita voluntate, ejus ab intestato dispositiva ei succedi potest: sed solum Consuetudo succedenti defert regnũ. *Hæc Terrirubrius.* Cujus sententiã cum omnis cõprobat antiquitas, tum vero vel maxime historia hęc memorabilis, quam subiungam. Anno CIↃ CCCCXX. cùm Rex Carolus VI. Henrico Angliæ Regi suum regnũ mortis caussa donasset, eumq; sibi successorẽ designasset, repente populus ad publicum gentis concilium provocavit: in quo summa omnium consensione pronuntiatũ est, donationem illam ipso jure nullam inutilem atq; irritam fuisse: neque Regi Galliæ fas esse, ullam sui regni partem sine publico gentis suæ consensu alienare. cujus rei auctores sunt *Enguer. Monstrel. cap. hist.* 225. *& aliis inseqq. itemque Guill. Benedict. in cap. Raynut. in verb. nume.* 188. Cum Carolus sextus, *inquit*, ex matrimonio justo filium haberet, cui regnum debebatur, non potuit Regem Angliæ adoptare in filium, in præjudicium filii sui legitimi, & natu-

naturalis: nec adoptio valuit, nec tenuit: quinimo regnum dicto Carolo septimo delatum fuit. *Item in verb.* In eodem testamento: *numer.* 151. Ex quibus, *inquit*, confutatur, & penitus confunditur, ut ipso jure nihil valuerit ille tractatus pacis, quem Angli prætendunt passatum fuisse inter Carolum sextum, Francorum Regem, & Henricum quintum, Regem Angliæ, per quem dictus Carolus dominam Catharinam filiam suam nuptui dedit præfato Henrico, eumque sibi adoptavit in filium: nec non sine proceribus solus existens declaravit coronam Franciæ eidem pertinere, & post sui decessum totum Franciæ regnum ad ipsum perventurum. Sed dictus tractatus à proceribus regni reprobatus fuit, qui Carolum ejus filium ungi & coronari fecerunt. *Hæc Bened.* Secunda igitur Regni Francogalliæ illa lex esto. Deinceps tertiam videamus, quam esse constat hujusmodi: ut Rege mortuo regni hereditas filio ipsius natu maximo deferatur, neque

regi

regi vel natu minorem majori anteferre, vel alium sibi successorem instituere liceat. Cujus hæc ratio est certissima: quoniam parentes ea demum adimere suis liberis possunt, quæ ab ipsis proficiscuntur: quæ vero vel natura, vel lege atque institutis majorum iis addicta sunt, in iis parentes jus nullum habent, *lib. si arrogator. 22. D. de arrogat. lib. 3. D. de interd. & releg.* Filius autem natu maximus suitatem & spem hereditatis, non parentis sed legis communis beneficio adeptus est: neque illam suo patri acceptam ferre debet, sed legibus atque institutis majorum: itaque rectissime doctores omnes uno consensu affirmant, Regem Francorum non posse auferre primogenito jus primogenituræ, sine spe regni, & dare secundo genito, vel alteri. *Ioan. Andr. in c. licet, de voto. Bald. de prohib. feud. alien. per Frid. §. illud Panorm. cons. 3. nitar in præsenti, lib. 2. Iason. in l. nemo potest, De legat.* 1. *Bald. in c.* 1. *De feud. March. ducat.* sed præcipue *Ioan. Terrirubius tract.* 1. *concl.* 9. ubi sic scribit:

bit: Reges Franciæ nunquam consueverunt de regno testari, sed solum ex vi consuetudinis defertur successio primogenitis maribus ex linea recta eorum, quibus succeditur: & illa desinente succedunt mares transuersales iuxta gradus prærogativam. *Item, concl.* 9.10.11. & 12. ubi sic loquitur: In regno Franciæ non habetur successio hereditaria sive patrimonialis, sed simplex successio, sive subrogatio primogeniti, vel proximioris agnati, cui regnum debetur ex sola lege vel consuetudine regni, à qua sola jus accipit, & non à patre vel alio prædecessore: & sic jus primogenituræ, quantum ad tale regnum non habetur à patre, sed à lege regni: unde nec est hereditarium, nec patrimõiale, sed mero jure filiationis, vel sanguinis competit. Ita quod non posset Rex de regno testari, etiam primogenitum vel proximiorem, cui regnum debetur, instituendo: quia nullo modo posset institutus capere regnum vi testamenti, vel alterius dispositionis paternæ, quæ non valuit: sed

solum virtute legis immutabilis regni, à qua vocatur. Et in eandem sententiam *Guill. Benedict. in c. Raynutius, in verb. In eodem testamento*: *num.* 148, ita scribit: Natura regni Franciæ, *inquit*, requirit, & exigit, ne de eo fiant testamenta, legata, vel aliæ dispositiones. Unde *Ioan. de terra rub.* in quodam libro, quem intitulavit *Vinea Ecclesiæ*, *tract.* 1. *q.* 9. concludit, *dicens*, quia regnum Franciæ debetur primogenito ex sola regni consuetudine, nunquam consueverunt Reges de ipso regno testari: quod vi & medio consuetudinis defertur primogenito. Nam Reges Franciæ nunquam potuerunt, neque posset Carolus octavus Rex noster modernus testamentum facere de regno, etiam heredem instituendo dominum Delphinum ejus primogenitum, quia regnum Franciæ non debetur primogenito, ex successione testamentaria, vel ab intestato, sed solũ ex lege & consuetudine regni. Igitur Rex ipsum dare non potest primogenito, neq; auferre per alienationes inter

vivos, teſtamenta, neque debita voluntaria, legata exheredationis, ex cauſſa: quia primogenitus Franciæ non habet regnum à patre, ſed ab ipſa regni lege & conſuetudine: & ſic pater poteſtatem non habet ipſum gravare: & de tali dignitate teſtamento diſponi non poteſt, vel alius in præjudicium primogeniti, qui cùm jus illud habeat, non patris judicio, ſed legis beneficio, per eum gravari non poteſt, à quo beneficium non habet, nec commodum ſentit. Hæc ad verbum *Bened.* Sequitur quarta lex regni, de qua tamen ſuperius cap. 10. diſſeruimus. Ne virgo, neve mulier ad regni hereditatem admittatur, ſed agnatus defuncto Regi proximus, quavis gradu fœmina poſterior, ei tamen præferatur: qua de lege nobilis Pragmaticus *Iacob. Petr. in ſua Pract. cap. 63.* ita ſcribit: Carolo, qui rex Franciæ & Navarræ fuerat, mortuo, filia Ludovici, ſui quondam fratris ſucceſſit in regno Navarræ, quia illud regnum vene-

venerat per fœminam : ſed in regno Franciæ non ſucceſſit : quia non admittitur fœmina, quamdiu maſculus de genere invenitur: ſucceſſit ergo Philippus filius Caroli, qui erat ei in quarto gradu : quamvis dicta fratris filia tantum eſſet in tertio. *Item Guill. Bened. in verb. duas habens, num.* 78. unde reſtat, *inquit*, neque filias, neque maſculos ex ipſis deſcendentes in regno Franciæ ſecundum ipſius leges & conſuetudinem ſuccedere, quinimo liberis maſculis non exiſtentibus reliqui parentes & conſanguinei in regno ſuccederent, ſervata gradus prærogativa. *Hæc Bened.* quæ multo copioſius confirmat *num.* 119. *&* 120. Item *Coſm. Guim. in proœmio pragmat. ſanct.* ubi ſic ſcribit: Regnum Franciæ eſt ita nobile, & clarum, quod in eo nunquam ſuccedit fœmina, licet bene in regno Navarræ, & hujuſmodi quæſtio orta fuit poſt mortem Phillippi Pulchri, Regis Francorum, qui habuit unam filiam, nomine Iſabellam, & tres filios: dictam Iſabellam duxit in uxorem

Eduardus Rex Angliæ, ex qua habuit unum filium, qui similiter dictus est Eduardus, qui successit in regno Angliæ, defuncto dicto Philippo. Tres ejus filii fuerunt reges Franciæ sigillatim: qui tandem decesserunt sine liberis: quibus successit in regno Franciæ Philippus, filius Caroli de Valesio, fratris dicti Philippi, de consensu & approbatione XII. Parium Franciæ, qui noluerunt dare regnum dictæ Isabellę, Reginę Anglię, nec filio ejus Eduardo: unde ortæ sunt magnæ guerræ, inter Reges Angliæ & Franciæ, & injustè: quia sicut filia Regis non succedit in regno Francorum, ita nec natus ex ea. *§. hoc autem qui feud. dar. poss. De gradib. success. in feud. c. 1. §. ad filias.* Excluso enim ascendente, excluduntur descendentes ex persona ascendentis. *li. fin. C. de natur. lib. l. si viva, C. de bon. matern.* Ideo non potuit dictus Eduardus filius dictæ Isabellæ prætendere aliquod jus in regno Franciæ: dicit *Bald. in repet. l. 1. C. de summa trinit.* Sed nemo uberius hanc historiam exponit,

nit, quam *Claudius Seyssellus, archiepisc. Taurin. in l. de lege Salica*: ubi utriusque Regis Angliæ & Franciæ justa copiose exponit: & ad extremum publici concilii, sive trium statuum judicium subjungit.

Quinta lex ad Regis domanium pertinet de qua superius suo loco commemoravimus. Ne videlicet Regi jus sit, ullam domanii sui partem sine publici Concilii auctoritate alienare, quippe, quod ei ad tuendam tantum regiam dignitatem fruendum datum est ut parem in eo potestatem habeat, atque marito in uxoris dote conceditur. Itaque anno CIƆ CCCXCIX. cum Rex Carolus VI. Comiti Sampaulino particulam quadam sui domanii sive donasset, sive alia ex caussa cessisset, Senatus Parisiensis pro vetere veteris Parlamenti jure intercessit: ac pronuntiavit alienationem regii dominii nullius esse momenti, nisi cujus author Senatus ille Parisiensis fuisset, quod decretum *Paponius* inter Aresta sua retulit. *l.* 5. *tit.* 10. ubi alia complura

generis ejusdem senatusconsulta commemorat: quibus omnibus definitum hoc jus est, alienationem dominii à Rege, sine caussa in illo Senatu cognita & probata, factam, ipso jure nullam esse: qua in cognitione hæc potissimum exquiruntur. At non aliunde confici pecunia possit? ecqua necessitas urgeat? an pretium sit idoneum? & auctione constituta summũ illud ac postremum oblatum. Sed operæpretium est *Claudii Seyssellii* testimonium in hanc rem exponere: cujus verba ex *lib. de monarch. Franc.* 1. *cap.* 10. sic convertimus. Tertium frenum, quo Reges Franciæ coercentur, est politia, hoc est instituta & mores regni multas per ætates comprobati, & longinqua consuetudine retenti: quorum abrogationem non suscipiunt: & si forte susciperent, frustra id tentarent: quoniam eorum imperio non pareretur: quod vel ex dominio & patrimonio regali cognosci licet, cujus alienandi jus, sine caussis magnis & necessariis, non habent, quas caussas cogno-

cognoſci & probari oportet in conſilio & curia parlamenti & Rationalium : qua in cognitione ita caute & diligenter, tantaque cum diſquiſitione proceditur, ut pauci admodum reperiantur, qui ejuſmodi alienationes expetant. Etſi autem Reges jus habent diſponendi de fructibus & reditibus regni pro ſui arbitrio, quandiu regni adminiſtrationem obtinent: tamen ratio ſumptuum tum ordinariorum tum extraordinariorum ad Rationalium curiam & notionem revocatur. Hi rationales ſumptus illos regios, ſi inconſultè facti videntur, coercent. Quæ ſanè lex Reipub. perquam utilis eſt, ad Regii dominii conſervationem; quia tum demum ad tributa & indictiones extraordinarias, quibus plebs oneratur, decurri tanquam ad ſubſidium ſolet, cùm illud dominium regium exhauſtum eſt: ut omittam, quod hac præclara Regni lege nimia Principis liberalitas quæ ad prodigalitatem accedit, coercetur. *Hæc Seyſſellus.* ſed *lib.* 11. *cap.* 11. inſuper

hæc addit: Iterum dico: Regem non poſſe gratius obſequium Deo præſtare, aut ſuorum civium utilitati, aut ſuæ dignitati atque exiſtimationi melius conſulere, quam illas Regni leges obſervando. Tum enim boni & Chriſtianiſſimi Regis & Patris patriæ cognomentum acquirit: ceteraque omnia nomina, quæ ſibi magnus aliquis & glorioſus Princeps poteſt acquirere. Ex contrario verò ſimulatque limites & fines illos ſibi præſcriptos egreditur, & voluntate pro ratione uti inſtituit, habetur ac numeratur improbus, tyrannus, crudelis, & intolerandus, quibus de cauſſis in Dei & civium ſuorum odium incurrit. Hactenus *Seyſſellus Taurinenſis Archiepiſcopus*, & Regis Ludovici XII. intimus conſiliarius. In eandemque ſententiam, de Rege Franciæ, cui non licet urbes Regni ſui alienare, ſcribunt *Hoſti. & Io. Andr. in c. dilecti. De major. & obed. Martin. Laud. in trac. de confæd. q. 13.*

Sexta Regni lex numerari hæc poteſt, ut Regi abolendi criminis & capita-

pitalis pœnæ, ſine parlamenti auctoritate, remittendæ jus non ſit in hoc regno, *inquit Boerius*, criminoſus deferens literas remiſſionis aut abolitionis, ſive pardonii, debet incarcerari, & ſuas literas offerre Parlamento, &c. *Hæc ille Deciſ. Burdegal.* 65.

Septima eſt, ut Regi non liceat magiſtratum aliquem Regni, ſive Reip. Franciæ, niſi cauſſa in Parium conſilio cognita & probata, exauctorare. Quæ lex ita paſſim tota Gallia nota & decantata eſt, ut teſtimonii non egeat.

Octava Regni lex numerari hæc poteſt, Ne Regi ſine publici concilii auctoritate monetæ mutandæ jus ſit. Nam *Guill. Budæus l. de Aſſe* 3. *&* 5. teſtatur ex antiquis omnibus quæ viderat monimentis conſtare rei nummariæ jus, hoc eſt poteſtatis nummorum vel augendæ vel imminuendę ſemper penes populum fuiſſe. Quinetiam *Carol. Molin.* diligentiſſimus monetalium ratiociniorum inveſtigator, *extremo commentario de contract. & uſur.* ſcribit, ſe in archivis parlamenti & mo-

monetalium præfectorum quamplurimas leges Francicas reperisse, quibus sancitum erat, ne qua rei nummariæ mutatio sine populi consensu fieret: semperque in ejusmodi mutationibus populi consensum (quippe cujus plurimi intererat) intervenisse. quemadmodum à Jurisconsultis dici solet. Quorum quid fieri interest, eorum in eo negotio gerendo requiritur assensus: vel hoc modo, quod aliquos tangit, debet ab iis approbari. Quinetiam *Hostiensis* Canonista celebris & magnæ inter suos auctoritatis, *in summa de censibus*, ita scribit. Quæritur, nunquid Rex Franciæ habeat priviligium concedendi pedagia, vel mutandi novam monetam. Respondeo, sicut Papa in simili quæstione, sic videretur aliquibus. *c. per venerabilem, qui fil. sint legit.* Mihi verò non videtur, nisi populus ei potestatem illam dederit: quæ & Imperatori data est *argu. l. 2. §. deinde, D. de orig. jur.*

An

An mulieres, non ut ab hereditate Regni, sic ab ejus procuratione, Francogallico jure, arceantur.

CAP. XXVI.

SEd quoniam de regni procuratione & summa Reip. administrandæ instituta disputatio est, non prætereunda quæstio videtur, An mulieres non ut ab hereditate Regni, sic etiam ab ejus procuratione arceantur. Primùm autem illud apertè testatum volumus, nos neque de Romanorum, neque de aliarum gentium jure, sed tantùm de hujus nostræ Francogalliæ institutis disserere. Nam, ut notum omnibus est, Romanorum institutis mulieres propter infirmitatem consilii in perpetua tutorum potestate fuisse, atque ab omnibus non modò publicis, verùm etiam civilibus negotiis exclusas esse: ita nonnullis aliis in gentibus mulieres summam imperii vetustis moribus obtinent. Britanni sexum in imperiis non discernunt: *inquit Tacitus in Agric.*

Agric. vita. Hoc igitur constituto, & testificatione nostra planè ac dilucidè proposita, deinceps ad quæstionem accedamus. Nam ei caussam præbuisse superiorum aliquot temporum exempla videntur: quibus constat, Regnum Francogalliæ à Reginis, præsertim viduis, & Regum vel puerorum vel absentium matribus administratum fuisse. In quibus haud scio an ullum ad muliebrem audaciam insignius commemorari possit, quàm illud reginæ Blancæ, Ludovici Transmarini matris, de qua posterius dicemus: quæ Rege filio in Africam ad bellum gerendum profecto, summam sibi potestatem non modò in Reip. sed etiam in Ecclesiarum & Episcopatuum administratione ascivit: quemadmodum ex veteribus quibusdam monimentis nuper in lucem editis cognosci potest: *Nos charissimæ Dominæ nostræ & matri Reginæ concessimus, & voluimus, quòd ipsa in hac nostræ peregrinationis absentia plenariam habeat potestatem recipiendi & attrahendi*

hendi ad regni nostri negotia, quos sibi placuerit, & amovendi quos viderit amovendos: Baillivos etiam instituere valeat, castellanos, forestarios, & alios in servitium nostrum & regni nostri ministros ponere & amovere: dignitates etiam & beneficia ecclesiastica vacantia conferre, fidelitates Episcoporum & Abbatum recipere, & eis regalia restituere, & eligendi licentiam dare capitulis & conventibus vice nostra. Et contrario tamen pugnat primùm ratio disputandi usitata, ut cui per se Reginam esse jus non est, eidem regendi jus ac potestas non sit. Per se autem Reginam esse mulierem non posse, neque Regni hereditatem ei ex eave prognatis deferri: sed si Reginæ appellantur, per accidens, & propter Reges maritos id fieri: superiùs ex antiquis MCC. annorum monimentis demonstratum est. Eo accedit, quod superius docuimus, quemadmodum omnis & creandorum & abdicandorum Regum potestas penes publicum conciliũ erat: ita curatoris Reip.

Reip. sive moderatoris diligendi jus summum penes idem Concilium fuisse. Quinetiam creatis Regibus, tamen summam imperii administrandi potestatem ab eodem Concilio retentam fuisse: neque centesimum adhuc exisse annum cùm regnante Ludovico XI. quamtumvis astuto & callido, XXXVI. Reipub. curatores, tanquam Ephori, ab eodem Concilio constituti sunt. Quòd si majorum nostrorum auctoritatem quærimus, extat insignis apud *Aimoin.lib.*4.*c.*1. ubi de Brunechilde, Regina matre Childeberti Regis commemorans ita loquitur: Simul, *inquit*, quia Brunechildis summam regni solicitudinem sibi reservare velle intelligebatur, & primates Franciæ tanto tempore fœmineo dominatui dedignabantur subiici, &c. Itaque *Fran.Connanus Senator Parisiensis l.* I. *c.*8. Quod *Panormitanus* putat (inquit) Reginis more nostro jus esse in Gallos, multum fallitur. nulla enim gens minus passa est fœminarum imperium, cum lex Saliorum, id est Gallorum, eas

eas regni ſucceſſione excludat. Itaque videmus Reginas viro mortuo redigi fere in ordinem: ſic ut ne umbram quidem Regiæ dignitatis retineant. *Hæc Connanus.* Et profectò ita eſt, ut ſi quando regni procurationem apud majores noſtros mulieres adeptæ ſunt, ſemper ea res miras in Rep. noſtra tragœdias, ſumma denique miſeriarum incendia excitarit. Cujus rei non alienum videtur exempla quædam proponere. Dominata eſt quondam Chrotildis, Regina, mater Childeberti & Clotarii regum, quæ cùm alterius filii nomine Chlodometis demortui filios inſano quodam amore proſequeretur, ſummam contentionem abhibuit; ut nepotes remotis filiis in regiam dignitatem perducerentur. Itaque capillitium eorum, pro eo inſtituto, de quo ſuperiùs diximus, ſumma cum cura & diligentia nutriebat. Cujus rei Reges fratres certiores facti, confeſtim Arcadium quendam ad eam miſerunt, qui nudum gladium ſimulque forcipem ei oſtentans,

optionem illi faceret, utrum illorum nepotum suorum capiti admoveri mallet. At illa, *inquit Gregorius Turon.* nimium felle commota, præcipuè cum gladium cerneret evaginatum ac forcipem, amaritudine præventa, respondit: Satius mihi est, si ad regnum non eriguntur, mortuos eos videre, quàm tonsos. Ita nepos uterque in ipsius conspectu interfectus est. *Auctore eodem Gregor. lib.* 3. *cap.* 18. ubi tàmen subjungit, Reginam hanc liberalitatibus & donationibus in monasteria collatis plebis & vulgi benevolentiam conciliasse. Date frenos (*inquiebat Cato*) impotenti naturæ, & indomito animali, & sperate ipsas modum licentiæ facturas. Quid? quàm effrenatum illud fuit animal, illa, inquam, Theodorici Regis filia natione Itala, quæ servi sui amore insana, ubi matris jussu illum interfectum cognovit, per speciem reconciliatæ cum matre gratiæ sacramentum se dominicæ cœnæ cum illa communicare velle ostendit, venenoque in calicem

in-

infuso impietate simul & crudelitate nefaria matrem sustulit. Verba *Gregorii Turonensis lib.3.c.33.* hæc sunt: Erant sub Ariana secta viventes: & quia consuetudo eorum est, ut ad altarium venientes de alio calice Reges communicent, & de alio populus minor (notanda consuetudo calicis cum plebe communicati) venenum in calice illo posuit, de quo mater communicatura erat: quo illa hausto protinus mortua est. Age, reliquas videamus. Dominata est quondam Fredegunda, Regina mater, Chilperici primi vidua. Hæc marito superstite cum Landerio quondam adulterii consuetudinem habuerat. Ubi Chilpericum id sensisse animaduertit, interficiendũ eum curavit: confestimque Regni procurationem filii sui Regis Clotharii nomine, tanquam Regina, mater suscepit: eamque annos XIII. sustinuit. Primùm Childebertum filii sui patruum, ejusq; uxorem veneno sustulit: tum Hunnos adversus ipsius filios concitavit: bellumque civile in Remp. immisit: fax

denique illorum incendiorum fuit, quibus Francogallia multos annos exarsit, *auctore Aimoino lib.3.c.36. & lib.8. ca.29. & scriptore Chronici Besuensis.* Dominata est Regina mater Childeberti, BRUNECHILDIS, Sigeberti Regis vidua. Hæc Italum quendam nomine Protadium in delitiis habebat, eumque omnibus honoribus amplificabat: eademque filios suos Theodebertum & Theodoricum adolescentes in eam vitæ flagitiosæ consuetudinem adduxit, ut tandem capitales inter se inimicitias gererent, belloq; diuturno conflictati prælium atrocissimum committerent. Meroveum nepotem suum Theodeberti filium sua manu interfecit. Theodoricum veneno sustulit. Quid amplius? Date frenos (*inquibat Cato*) impotenti naturæ, & indomito animali: & sperate ipsas modum licentiæ facturas. Decem principibus Regiis necis caussam attulit. Cumque ab Episcopo quodam objurgata esset, rogataque ut se ad frugem converteret, illum in profluentem præcipitari jussit.

sit. Ad extremum concilio Francorum indicto, in judicium vocata, damnata, & ab equo currente distracta membratimque dilaniata est. Auctoribus *Greg. Turon. lib. 5. cap. 39. & lib. 8. cap. 29. & Adone Ætat. 6. Ottone Frisingens. Chron. parte 16. & Aimoino lib. 4. cap. 1. itemque Appendice Gregor. Turon. li.* 11. cujus hæc verba sunt: Reputantes ei quòd v. Reges Francorum per eam interfecti fuissent: id est, Sigebertus, Meroveus, & genitor suus Chilpericus, Teobertus & filius suus Clotharius, item Meroveus filius Clotharii, Theodoricus, ejusdemque tres qui ad præsens extincti fuerant: per triduum eam diversis tormentis afflictam jubet prius camelo per omnem exercitum sedentem perducere: posthæc comam capitis uno pede & brachio ad ferocissimi equi caudam ligare: à quo calcibus & velocitate cursus membratim disrumpitur; quam eandem historiam reperio in *Chronico Monasterii Besnensis manuscripto* his verbis: Nam camelo superpositam girari fecit per exercitum:

quam cùm omnes inclamando horruissent, velut sub carnis vel animæ zabulum iterum jussit reduci: & inter equos quatuor indomitos ligari, ad quorum primam erumpentium fugã partibus rupta, postea igne combusta cum satellitio peccatorum ab ipsis inferioribus est immersa. *Item alio loco,* Tanta mala effusiones sanguinũ Brunechildis consilio in Francia factæ sunt: ut prophetia Sibyllæ impleretur, dicentis, *Veniens, Bruna de partibus Hispaniæ, ante cujus conspectum gentes peribunt: hæc verò equitũ calcibus disrumpetur.* Age, de ceteris videamus. Dominata est Plectrudis non Regis, sed Regii præfecti Pipini vidua, qui tum regium imperium obtinebat, dum inane regium nomen Dagobertus secundus sustineret. Hæc Plectrudis propter adulterii & flagitiosæ vitæ turpitudinem à Pipino repudiata, marito mortuo multarũ in Gallia seditionum auctor fuit. Carolum Martellum Palatii magistrum, fortissimum virum abire Magistratu coegit, aliumque Theobaldum impurum

purum & nefarium hominem in ipsius locum suffecit: tandem funestum civile bellum inter Francos ipsos excitavit, qui variis præliis, & ut (*ait Aimoinus*) durissimis cædibus sese mutuo prostraverunt. *lib.* 4. *cap.* 50. & *cap. seq.* Quinetiam *auctor libelli* cui titulus est, *Status regni Franciæ*, *sub Dagoberto* II. his utitur verbis: Cùm Franci Plectrudis furores atque insanias ferre non possent, neque in Dagoberto Rege spem ullam reliquam viderent, Danielem quendam sibi Regem delegerunt, qui antea monachus fuerat, eumque Chilpericum nominarunt: quam historiam superiùs quodā loco perstrinximus. Sed reliquas videamus. Dominata est Regina mater Caroli Calui, nomine Juditha, Ludovici cognomento Pii conjux: qui non modò Francogalliæ Rex, verumetiam Italiæ & Germaniæ Imperator fuit. Hæc miserum fataleque bellum inter Ludovicum & ipsius filios privignos suos excitavit; unde nata horum adversus parentem tanta conjuratio, ut

illum imperio se abdicare, suamque illis dignitatem cedere magno totius propè Europæ incommodo cogerent. Quorum incommodorum culpam Historici omnes magna ex parte in illam Reginam matrem Juditham conferunt: *Abbas Vrsperg, Michael Ritius & Otto Frising. Chron.5.ca.34.* Ludovicus, *inquit*, propter mala opera uxoris suæ Judith regno pulsus est. Itemque *Regino in Chro. anni* DCCCXXXVIII. ubi sic scribit: Ludovicus à suis imperio privatur, & privatus custodiæ traditur, Regnique monarchia Lothario filio ejus per electionem Francorum datur. Fuit autem hæc dejectio pro maxima parte facta propter multimodã fornicationem Judithæ uxoris ejus. Aliquot post seculis dominata est Blanca Regina, mater Ludovici cognomento Divi, natione Hispana. Ut primùm gubernaculum arripuit, concurrere ad arma Galliæ proceres cœperunt, Duce Philippo, Comite Bolonico, Regis patruo: qui (ut summus auctor scribit *Ioan. Ionuillæus cap. hostor.4.*) feren-

ferendum non esse clamitabant, tantum Regnum à muliere, eaque peregrina, administrari. Itaque Comitem Philippum proceres illi, repudiata Blanca, Regni procuratorem delegerunt. At Blanca nihilominus instituto perseverare, & auxilia undique accersere: Ferdinandum denique Hispaniæ Regem fœdere sibi atque amicitia adjungere instituit. Cùm Duci Philippo Dux Britanniæ & Comes Eboracensis ipsius frater sese conjunxissent, de improviso oppida aliquot interceperunt, eaque præsidiis firmarunt: quod *Ionuillæus cap.* 5. commemorat: atque ita gravissimum in Gallia bellum, propter occupatam à Regina matre Regni procurationem, exarsit. Forte tum accidit, ut Rex Stampas à matre armorum caussa missus, proficisceretur. Eò confestim multis ex partibus Proceres advolarunt, Regemque obsidere cœperunt: non lædendi (*inquit Ionuillæus*) aut violandi illius consilio: sed (*ut idem testatur*) ut eum à matris potestate abducerent. Qua re ad illã

perlata, quæ tum Lutetiæ permanſerat, celeriter armari Pariſienſes, & Stampas proficiſci jubet. Vix eæ copiæ Montlerium pervenerant, cùm Rex obſidione liberatus, ad eos accedit: Lutetiamque una cum ipſis revertitur. Vbi ſe Philippus domeſticis copiis minus inſtructum animaduertit, Reginam Cypri, quæ in regno controverſiam quandam habebat, ſubſidio accerſit. Hęc magnis copiis in Campaniã ingreſſa, latè regionem illam populatur. Blanca nihilominus in ſententia permanet. Itaque Anglorum auxilium Proceres ad extremum in Regni fines introducunt. Hi magnis incommodis Aquitaniam, ceterasque maritimas regiones afficiunt: quæ incommoda omnia ex Reginæ illius matris impotentia atque ambitione nata fuiſſe, *Ionuillæus* multis verbis commemorat: *cap.* 6, 7, 8, 9, & 10. Et quoniam longe alia de Blancæ ingenio & moribus noſtrorum hominum opinio eſt, propter eorum (ut credi par eſt) qui per ea tempora ſcripſerunt, aſſentationes

tiones (nam Reginis matribus Scriptores ferè vel supplicii metu, vel propter Regum filiorum existimationem parcunt) non prætermittendum videtur, quod idem *Ionuillæus cap. 76.* commemorat, illam usque eò filium in potestate sua habuisse, usque adeò illum timidum abjectumque redegisse, ut cùm ipsius uxorem, nurum suam, Margaretam odio haberet, rarò admodum Regem cum illa versari pateretur. Itaque cùm Rex iter faceret, Blanca metatorib. imperabat, ut hospitium Reginæ separatim à *R*ege assignarent. quinetiã si quando *R*ex noctu furtim ad conjugem accedebat, tum hostiarios in speculis collocabat: & si fortè Blancã adventare intelligerent, tum fuste canes ab illis cædi imperabat: quorum clamore de sese occultando commoneretur. Quid amplius? Die quodam (inquit Ionuillæus) cùm *R*egina Margareta è puerperio ægrotaret, *R*exque pro amicitia ad illam venisset, repente Blanca intervenit. *R*ex clamore canum admonitus, sese

ſeſe in lectuli angulum abdidit, cortiniſque involuit. Illa nihilominus inventum Regem manu, inſpectantibus omnibus, prehendit, ac ſimul è cubiculo eduxit: Tu hîc, inquiens, nihil agis. Egredere. At puerpera cùm tantam contumeliam acerbius tuliſſet, dolore exanimata eſt: coactique ſunt cubicularii Regem revocare, cujus adventu puerpera recreata eſt, animumque recepit. Atque hæc quidem *Ionuillæus, cap. hiſt. 76.* totidem propè verbis commemorat. Rurſus aliquot intermiſſis annis dominata eſt Iſabella Caroli VI. dementis vidua. Prius enim quàm Concilii auctoritate Regni procuratio certis ac delectis viris mādari poſſet, multæ ab hominibus ambitioſis contentiones exortæ ſunt. Sexies denique controverſiæ renovatæ, ſexies interpoſitis pactionibus ſedatæ ſunt. Tandem Iſabella Pariſiis exacta, Carnutum ſe recepit. Ibi Philippum Moruillerium veteratorem nacta, Senatum ſibi, & Prætorem, & Cancellarium Moruillerium illum inſtituit ejuſ-

ejuſdemque conſilio Typum regium (quod Cancellariæ Sigillum vulgò appellant) inſculpi juſſit, ſuamque in eo imaginem demiſſis brachiis imprimi: cùm in diplomatibus hac præfatione uteretur: Iſabella Dei gratia Regina Franciæ: quæ propter incommodam Regis valetudinem Regni procurationem obtinet. Verum ubi Reſpub. multis affecta incommodis, ac prope jam ad interitum adducta videretur, publico conſilio Turones amandata eſt: quatuòrque illi tutores attributi: qui belluam illam indomitam domi continerent: viderentque ne quam rem agere, ac ne literam quidem ullam ſine ipſorum permiſſu ſcribere poſſet. Cujus rei extat apud *Monſtrelletum* copioſa hiſtoria *cap.* 161. *& cap.* 165. Multoque vetuſtius ejuſdem ſeveritatis exemplum extat in Placidina Childeberti Regis matre quam propter impietatem & nimiam in epiſcopo Quintiano vexando & eccleſiæ pace conturbanda inſaniam, in oppido Cadurco comprehen-

hensam, & rebus omnibus spoliatam ac nudatam Franci exilio damnarunt. ut testatur *Gregòr. Turon. lib. 3. cap. 12.*

De Parlamentis juridicialibus.

CAP. XXVII.

SUb eadem Capevingiorum familia exortum est in Francogallia Regnum Rabularium, de quo nobis propter incredibilem artificum industriam, & inauditam seculis omnibus solertiam dicendum videtur. Dominatur hoc tempore passim in Gallia genus hominum, qui Juridici a nonnullis, Pragmatici ab aliis, itemq; Rabulæ appellantur. Horum tanta trecentis ferè abhinc annis fuit solertia, ut non modò publici concilii auctoritatem (de qua superiùs diximus) propè jam oppresserint, verùm etiam omnes Regni Principes, atque adeò Majestatem regiam amplitudini suæ patere coegerint. Itaque quibus in oppidis illius Regni sedes positę sunt, in iis tertia ferè civium & incolarum pars tantis excitata præmiis ad illius se artis Rabula-

bulariæ ſtudium ac diſciplinam applicavit: quod vel Lutetiæ, quæ ceterarum civitatum omnium princeps numeratur, cuivis licet animaduertere. Quis enim vel triduum in illa urbe verſatus, non animaduertit, tertiam civium partem, artem iſtam rabulariam & litigatoriam factitare? Itaque ſummus in ea Pragmaticorum conventus (qui Purpuratus Senatus dicitur) tantarum opum, tantæque dignitatis eſt, ut quemadmodum de Senatu Romano quondam dictum eſt, non jam conſiliariorum, ſed Regum ac ſatraparum conſeſſus videatur quippe, cùm plerique in illum allecti, quantumvis abjecto loco nati, tamen paucorum annorum ſpatio regales propè opes ſibi concilient. Qua de cauſſa civitates aliæ complures omni contentione pugnarunt, ut ejuſdemmodi conſeſſus juridiciales apud ſe haberent: jamque celeberrima hæc Parlamenta numerantur: Pariſienſe, Tholoſanum, Rhotomagenſe, Gratianopolianum, Burdegalenſe, Aquenſe,

Divionense: quæ omnia ſtataria & ſedentaria ſunt. Octavum verò mobile & ambulatorium, quod Grande Conſilium appellatur. Fuit & nonum Armoricis attributum, edicto Henrici regis anno MDLIII. In horum regnorum finibus ſunt & aliæ, ut ſic dicam, Satrapiæ, quæ ſuperiorum illorum amplitudinem, quoad poſſunt, imitantur: & vulgò Sedes præſidiales nominantur: tantaque hujus morbi vis, atque contagio eſt, ut quemadmodum olim Ægyptiorum bona pars, Tyrannorum ſuorum imperio, in pyramidibus, & ejuſmodi molibus extruendis occupata erat, ſic maximus gentis Gallicæ numerus in litibus & calumniis exercendis, & forenſibus ſcriptitationibus operam conſumat. Extat *Claudii Seyſſellii Archiepiſcopi Maſſilienſis* libellus Gallicè ſcriptus, *cui titulus eſt*, *De Monarchia Franciæ*: cujus *in cap.* 15. verba hæc ſunt: Opinione mea, plures ſunt in una Francia ſcribæ, procuratores, advocati, & ſimiles circumforanei, quàm in univerſo orbe Chri-

Chriſtiano: ſi alii omnes unum in locum conferantur. Neque diſſimilis illa eſt *Philippi Cominæi* querimonia *lib. 6.cap.6.* ubi de rege Ludovico XI. ſcribens: Habebat, *inquit*, in animo leges de publico & privato jure, Gallico ſermone ſcriptas, unum in volumen conferre: quò facilius captiones & præſtigiæ advocatorum vitari poſſent: quorum numerus tantus eſt in hoc Franciæ regno, ut par in mundo non reperiatur; id Nobilitas Francica jampridem ſenſit, atque experta eſt. Hæc ad verbum *Cominæus*. Nomen autem Parlamenti (antiqua noſtrorum hominum lingua) collocutionem ſignificat, multorum variis ex locum convenientium, ut de communibus rebus inter ſe conferant, ac ſermocinentur. Itaque in Chronicis veteribus, ſiquando principes legative principum de pace, aut bellicis pactionibus convenerunt, ſemper condictum illud colloquium, Parlamenti nomine appellatur. Eademque ratione publicum ordinum Concilium vetuſta lin-

gua nostra Parlamentum dicebatur, quod nomen adhuc in Anglia retinetur. *Thom. Walsimgamius in hist. Angl. sub anno* 1287. Hoc anno Rex Angliæ in Gallias transiens, Ambianos pervenit: & fecit homagium Regi Franciæ, pro terris quas de eo in regno Franciæ tenebat Parisius: & interfuit parlamento, quod Rex Francorum tenuit. Itaque *Philipp. Comineus lib.* 4. *cap.* 1. Rex Angliæ, *inquit*, tributa suæ genti imperandi jus non habet, sine consensu atque auctoritate sui Parlamenti, quod apud nos Trium statuum Concilium appellatur. Eodemq; nomine conventus ordinum Britanniæ Armoricæ, quandiu gens illa Regem proprium habuit, semper appellatus est: quemadmodum ex *illius Annali.* cognosci licet: multis quidem locis, sed præsertim *lib.* 3. ubi Ducis Maliclerici, hoc est indocti indocta cum Franciæ Rege pactio profertur: ex ann. MCCXXX Item Dux in signum submissionis prædictæ, voluit quòd à suo parlamento de cetero appellaretur ad parlamentum

tum Franciæ, in duobus tantum casibus. *Et mox:* A falso & pravo judicio sui parlamenti Britanniæ appellabitur de cetero ad Franciæ parlamentum. Dicebatur etiam Curia parlamenti trium statuum: ut *Stephanus Aufrerius Burdegalensis Prætor*, nobilis pragmaticus, testatur in *Commentario styli curiæ Parlamenti.* Quinetiam video *Bartolum aliosque Doctores Italos* hac eadem voce passim pro publico regionis alicujus concilio sive comitiis, usurpare. Nam *Bartolus in lib. 2. C. de legation. lib.* 10. Præses provinciæ, *inquit*, convocat parlamentum in provincia, & in eo proponit quod respicit utilitatem publicam. *Et mox:* Nota, quòd præsides provinciarum coadunant universale parlamentum provinciæ: quod intellige non quòd omnes de provincia debeant ad illud ire, sed de omnibus civitatibus deputantur ambasiatores, qui civitatem repræsentant. *Et in eandem lib. Ioan. de Platea:* Ubi super aliquo, *inquit*, providendum est pro utilitate totius

provinciæ, debet congregari generale concilium seu parlamentum: non quod omnes de provincia vadant: sed de qualibet civitate aliqui ambasiatores vel syndici, qui totam civitatem repræsentent, in quo concilio seu parlamento petitur proponi sanum & utile consilium. *Item Lucas de Penna;* Modus proponendi in consilio generali, seu parlamento est, ut petatur proponi sanum & utile consilium. *Budæus* autem in *Pandect.* Nihilo secius (*inquit*) curiæ Parisiensis originem à conventibus juridicis manasse, haud dubia conjectura crediderim: quibus olim Principes interesse, præesseque solebant: quoniam indictivi erant, nec loco, nec tempore stati. Vagam enim Parlamenti rationem fuisse constat, quasique prætorianum Principis concilium. Cùm autem in Gallia nostra summam illam Publici concilii auctoritatem imminuere Capevingii molirentur, & certorum Senatorum numerum in ejus concilii locum substituere, augustum illud parlamenti no-

nomen in illum pragmaticorum & judicum consessum transtulerunt: eique hanc auctoritatem tribuerunt: primùm ut nulla regia Lex, nulla constitutio rata esset, nisi cujus illi consiliarii auctores comprobatoresque fuissent; deinde ut nullus tota Gallia Magistratus, non modò urbanus, verumetiam militaris esset, quem non ab illo consessu inaugurari, & apud eundem in leges jurare oporteret: tum ut ab eorum judiciis appellandi jus non esset: sed ut eorum decreta rata & fixa essent. Is qui Princeps est senatus (*inquit Connanus lib.*1.) cùm jus dicit, nemini, præterquam Regi ipsi, honore sedendi cedit: quo tamen loco *Connanus* Cancellarii oblitus est, cui Princeps ille senatus loco cedit, quasi (*ut Budæus scribit*) magistratuum omnium antistiti. Postremò quicquid potestatis imperii, auctoritatis penes publicum Concilium & Statuum parlamentum per tot annos fuisse docuimus, id totum Senatus ille subdititius sibi usurpavit: in quem *R*eges cooptandos curabant, quos ad suas rationes
 ac-

accommodatos fore judicabant, eaque tum Curia Parlamenti vocata est: ut in *Anglico libello*, cui titulus est *Alearned* commendatum: *cap.*52. sunt quippe in regno Franciæ, in curia ibidem suprema, quæ Curia Parlamenti vocitatur, processus quidam, qui in ea plus quam triginta annis pependerunt. Et novi ego appellationis caussam unam quæ in curia illa agitata fuit jam per decem annos, & adhuc verisimile non est, eam infra annos decem alios posse decidi. *Item cap.*48. Omnes advocati in Francia etiam in curia parlamenti solent placitare caussas suas in lingua Gallica. Quare quibus initiis ac radicibus in tantam amplitudinem excreverit, paulisper considerandum est. Primum igitur Basilica regia Lutetiæ opere magnifico extructa est, imperio, ut plerique affirmant, regis Ludovici Hutini, quo nomine prisca lingua nostra Turbulentus significatur: vel, ut nonnulli disputant, regis Philipppi Pulchri, circiter annum MCCXCIIII. studio certè atque opera Enguer-

Enguerrantii Marignii, comitis Longuevillii, qui aliquot interjectis annis in patibulo Parisiensi propter peculatus crimẽ reste suspensus est. Utcunq; sit, quod Ægyptii Reges fecisse narrantur, ut imperio suo subjectos in pyramidib. extruendis occuparent, in quibus rex Chemnis præcipuè memoratur, qui hominum trecenta sexaginta millia ad pyramidem extruendam conduxit: idem tum Francogalliæ Reges in arte rabularia tradenda fecisse dici possunt. *Guaguini* autem *Historici* in Hutini regis vita, verba hæc sunt: Hic Ludovicus instituit Parlamenti Curiam Parisiis stabilem esse, & loco non moveri, ne litigatores crebris circuitionibus vexarentur. *Hæc ille.* Nam quòd nonnulli ad Pipinum vel Carolum Magnum institutum illud referunt, quàm absurdum id sit, facilè ex iis quæ mox docebimus, constabit. Quinetiam ejusdem Caroli Magni leges & constitutiones complures extant, quarum in nulla neque parlamenti, neq; majoris illius Senatus

mentio interponitur: sed tantum sancitur, ut certis locis forum à Juridicis agatur, & conventus habeantur, quæ ille usitata consuetudine Placitum, & Mallam appellat: *veluti legis Francicæ lib. 4. cap. 35.* Ut in anno tria sollummodo generalia placita observare compellat: nisi fortè quilibet aut accusatus fuerit, aut alium occupaverit, aut ad testimonium perhibendum vocatus fuerit. Multæque aliæ in eandem sententiam ejusdem Regis leges extant, ex quibus de litium paucitate existimare licet. Ac planè verissimum arbitror, quòd video è nonnullis hominibus nostris traditum, tantam litium, calumniarum, & sycophantiarum sementem factam primùm à Papa Clemente v. qui Philippi illius Pulchri tempore Papatus sedem Avenionem transtulit: cumque magna ipsius aulici & pragmatici consuetudine cum hominibus nostris implicarentur, semina Romanæ artis rabulariæ in mores nostros sparsisse. Nam *Eguinarthus in vita*

Caroli

Caroli Magni ſic ſcribit: Cum calciaretur, aut amiciretur, non tantùm amicos admittebat: verumetiam ſi comes palatii litem eſſe aliquam diceret, quæ ſine ejus juſſu definiri non poſſet, ſtatim litigantes introduci juſſit, & velut pro tribunali ſederet, lite cognita, ſententiam dixit. Itaque ejuſdem Caroli Magni in Capitulari hæc lex extat: Hoc miſſi noſtri notum faciant comitibus & populo, quòd nos in omni ſeptimana unũ diem ad cauſſas audiendas ſedere volumus. Age, ceteros videamus. Regnavit circiter annum MCCXXX. Ludovicus cognomento Divus: cujus vitam *Ioan. Ionuillæus*, de quo ſuperiùs aliquoties meminimus, conſcripſit. At ex hujus commentario quanta per id tempus litium & calumniarum eſſet raritas, vel hinc licet intelligatur; quòd Rex ipſe Ludovicus vel controverſias diſceptabat, vel diſceptandi negotium nonnullis è ſuo Comitatu mandabat. *Itaque cap.* 94. ita ſcribit: Solebat, *inquit*, imperare Domino Nellio, Domino

Sueſſionenſi, & mihi, ut judiciis quæ ad portam appellantur, operam daremus. Tum mittebat qui nos ad ſe accerſeret: quærebatque ex nobis, quo ſtatu res eſſet, ecquod eſſet judicium, quod ſine ipſo exerceri non poſſet: ac ſæpe accidit, ut re per nos ad ipſum delata, litigatores ipſos accerſiri ad ſe imperaret, cauſſamque ex bono & æquo diſceptaret. Sæpenumerò in ſaltum Vicennam animi cauſſa exibat, viridique in ceſpite ad quercus alicujus radicem conſidens, ſibi nos aſſidere, &, ſi quis negotii quid habebat, eum ad ſe vocari jubebat. Quinetiam ipſe clarè pronuntiabat, ſiquis litem & adverſarium haberet, ut accederet, & juſta ſua exponeret. Tum ſi quis accedebat, Rex attentè ipſum audiebat, ac re cognita, ſententiam ex bono & æquo pronuntiabat. Interdum negotium dabat Petro Fontanio, & Godefrido Vilettio, ut litigatoribus operam darent, & cauſſas diſceptarent. vidi etiam aliquoties, cum bonus ille Rex Lutetiæ in hortum ſubur-

urbanum exiret, tunica mediocri indutus: ibique mensam tapeto insterni imperabat. Tum silentio facto introduci ad se litigatores jubebat, caussasque suas agere: jusque ex tempore reddebat. *Hac Ionuillaeus.* Ex quibus existimari potest, quanta litium & litigatorum illis temporibus esset paucitas: quantaque Regum illorum in avertendis litiũ molestiis solicitudo. Quin ne illud quidem prætermittendum est, quod scribit *Speculator sub tit. de Feriis*, cùm suo tempore, hoc est circiter annum MCCLXX. graviores caussæ ac lites in Concilio publico, (quòd, ut jam antè dictum est, Parlamentum appellabatur) agi solerent, atque illuc omnibus ex regni partibus in jus adiretur, moris fuisse, propter eos qui longinquis ex regionibus venerant, ut etiam festis diebus judicia exercerentur: Potest, *inquit*, excusari consuetudo Curiæ Regis Franciæ, quæ tempore Parlamentorum omni die jus reddit: ut venientes de longinquis partibus citius expediantur. At successu

tem-

temporis, arte rabularia, sensim, gangrænæ modo, serpente, institutum est, ut & sæpius & pluribus locis jurisdictio exerceretur. Itaque Philippi IIII. cognomento Pulchri constitutio hæc extat, ex anno MCCCII. Præterea propter subjectorum nostrorum commodum, & caussarum expeditionem proponimus ordinare, quòd duo Parlamenta Parisiis, & duo Scacaria Rhotomagi, Diesque Trecenses bis tenebuntur in anno: & quòd Parlamentum apud Tholosam tenebitur, sicut teneri solebat temporibus retroactis, si gentes terræ consentiant. Item, quia multæ caussæ magnæ in nostro Parlamento inter magnas & notabiles personas aguntur, ordinamus & volumus, quòd duo Prælati & duæ aliæ personæ sufficientes, Laicæ, de nostro consilio, vel saltem unus prælatus, & una persona Laica, caussas prædictas audiendi, deliberandiq; gratia continuè in nostris Parlamentis existant. Quibus ex verbis

bis intelligi poteſt, primùm quàm raro per ea tempora judicia exercerentur: deinde quàm pauci judices in illo Parlamento ſederent. Nam quantum ad ceteras præfecturas Regnique provincias, extat ejuſdem Philippi Pulchri conſtitutio, in eodem libello his verbis edita, anno MCCCII. Præcipimus inſuper, quod Seneſchalli & Ballivi noſtri teneant ſuas aſſiſias in circuitu Seneſchalliarum & Balliviarum ſummariè, de duobus menſibus in duobus ad minus. Quinetiam *Budæus eodem* quem ſuperiùs notavimus *loco* ſcribit, anno MCCXCIIII. ab eodem Rege Philippo conſtitutum fuiſſe, ut in Parlamento trifarii generis ſederent Prælati, Barones, & mixti Clerici cum Laicis. Cùm laici, *inquit*, partim ex equitibus, partim ex promiſcuo genere hominum deligerentur. *Item*, ut Prælati & Barones ex illo tertio genere ſtatuerent, qui ad quanque juriſdictionem exercendam idonei viderentur: ſimul ut tres viros deligerent, qui in eas regiones mitterentur, quæ jure

ſcripto

ſcripto utebantur: ut in iis jus dicè-
rent,& ſi qua capitalis quæſtio habenda eſset, literatiſſimos quoſque adhiberent. Quo loco *Budæus* horum temporum corruptelam deplorans, ſimulque viliſſima rabularum capita forenſia, togatoſque vulturios (*ut Apulejus loquitur*) deteſtans, ex *Iuvenalis verſu* ſic exclamat: Quondam hoc indigenæ vivebant more: ſimulque ita ſubſcribit: Ita enim nobis exclamare in mentem venit: Antiquioribus illis ſeculis, florente tamen hoc Regno (quod ex numiſmatis apparet, auro obryzo percuſſis) ſimplicem & facilem jus reddendi rationem, raraſq; lites, nec diuturnas, ut nunc, aut etiam ſeculares fuiſse: cùm nondũ iſta turba interpretum Juris Remp. invaſiſset: nec dum ſcientia juris latiſſime, atque etiam in infinitum patere crederetur: ſed æquum bonumque & judex prudens integritate atque innocentia præditus, inſtar ſexcentorum voluminum eſsent. Nunc verò quò res reciderit, nemo quidem non videt: ſed omnes

dice-

dicere musſant. Hactenus *Budaeus* graviſſimus ubiq; & acerrimus artis rabulariæ adverſarius. Nunc ut ad noſtram hiſtoriam redeamus, doceamuſq; quibus initiis ac fundamentis Regnum iſtud litigatorium excitatum fuerit: quemadmodum *Cicero* ſcribit, Pontifices veteres propter ſacrificiorũ multitudinem, tres viros Epulones inſtituiſſe, quamvis eſsent ipſi à Numa, ut etiam illud ludorum epulare ſacrificiũ facerent, inſtituti: eodem modo ex illo perexiguo IudicumParlamentariorum numero, creſcente litium multitudine, incredibilis Iudicium & Conciliariorum ſoboles propagata eſt. Ac primum Baſilica ingens, ſumptuoſa, magnifica, Regis, ut ſuperiùs diximus, Ludovici Hutini, vel Philippi Pulcri imperio ædificata eſt: tum ex mediocri judicum numero tres decuriæ factæ, Magnæ Cameræ, Inquiſitionum, & Poſtulatorum: quam partitionem *Budaeus eodem illo* loco: ſed copioſius *Gaguinus in Regis Hutini vita* commemorat. Video tamen, qui ad Stilum curiæ

curiæ parlamenti ubi *Stephanus Auffrerius* eundem numerum ſervat, hanc notam aſcripſerit: Imo initio duæ tantùm cameræ fuerunt: quia Camera Requeſtarum eſt tribunal inferius: poſtea addita eſt tertia: quæ parua Camera Inqueſtarum appellatur. Sed anno MDXXII. rex Franciſcus, ut corraderet ſexaginta millia aureorum quartam Cameram è viginti novis conſiliariis creavit: à ſingulis capiens ter mille aureos, unde curia valde deturpata fuit: poſtea præſidentium quoque numerus pretio auctus eſt. Rurſus idem Rex ann. MDXLIII. alios xx. quæſtus cauſſa creavit. Quin ne illud quidem prætermittendum videtur, quod & *Guaguinus & Budæus* eodem loco memoriæ prodiderunt, atque inſigne eſt ad omnem memoriam documentum, illum judicum conventum non perpetuum & perennem (ut hoc tempore) ſed indictivum fuiſſe, nec niſi certo Principis mandato exerceri ſolitum: quod quotannis ineunte menſe Novembri edictum Regis proponi

poni oportet, ut eum renovari liceat. Atque ut hujus, *inquit eodem loco Guaguinus* coitionis Regem auctorem esse certum sit, regia singulis quibusque annis rescripta eduntur, quibus ad D. Martini diem festum, id est, II. Id. Novem. Parlamentum inchoandi judicibus à Rege auctoritas datur. De mirabili autem & celeri hujus regni incremento etiam illud argumento esse potest, quòd circiter centum post annis, hoc est, anno MCCCCLIII. regnante Carolo VII. hæc ab illo constitutio promulgata est: A festo Paschæ, usque ad finem Parlamenti, Præsidentes & Consiliarii hora sexta de mane debent in suis cameris esse congregati, à festo S. Martini, post horam prædictam, Et aliquantò post: Pernecessarium est, ut Præsidentes & Consiliarij Curiæ post prandium veniant ad Parlamentum judicandi & expediendi caussa. Hæc Carolus VII. At Caroli Magni tempore, qui regnum triplo majus obtinebat, quam dissimilis judiciorum ratio fuerit, vel ex hac ipsius

lege facile intellectu est: *Legis Franciæ lib.4.cap.74.* Ut comes placitum non habeat, nisi jejunus. Jam de voce Parlamenti ac nominis etiam auctoritate illud argumentum extat, quòd cùm in ea parte Allobrogum, quæ Delphinatus dicitur antiquitus Senatus institutus fuisset, cum summa auctoritate, quod concilium Delphinale dicebatur: tam Ludovicus VI. qui benè de se meritis Delphinatibus benignè facere studebat, nomen concilii in Parlamentum mutavit: quamvis nihil ad jus atque auctoritatem adderet: cujus rei *Guidopapius* testis est, *q. Gratianop. 43. & rursus q. 554.* Cum autem in his juridicialibus parlamentis, regnisque rabulariis permulta sint, quæ boni & cordati viri graviter & acerbè ferunt, tum verò quatuor hæc in primis numerantur, quòd publica jurisdictionis nundinatio exerceatur, quòd magistratus publico perjurio ineantur, quòd parlamenta litium seminaria sint, postremò quod tertia propè Galliæ pars rabulariam

riam artem exerceat. Nam quod ad primum attinet, quotuſquiſque hodie numerari poteſt, qui judicandi munus non & præſenti pecunia ſit mercatus, & præſenti pecunia venditet? ut veriſſimè *Alexander Cæſar* dixiſſe videatur, neceſse eſse ut qui magiſtratum emit, vendat, nec ſine rubore puniri poſse, qui quod emit, vendit. Et nummarium tribunal (*inquit Seneca lib. de benefic.* 1.) audita utrinque licitatione alteri addici, non mirum. quando quæ emeris, vendere gentium jus eſt. Hanc boni viri Gallicæ juriſdictionis nundinationem, hoc commercium, hoc forenſe latrocinium appellant: quod res, quæ humanarum rerum ſanctiſſima eſse debuit, promercalis facta ſit, pretioque & vendatur, & ematur: neque quicquam æquè Galliæ exiſtimationem apud exteras nationes onerat, quàm quòd, ſicuti Janii bovem opimum uno pretio emptum, pòſt in macello per partes venditant: ita magiſtratus uno

pretio comparatur, cujus adminiſtratio ſingulis poſtea jus poſtulantibus divendatur. De quo Deum immortalem, Solemque, & cælum, & genus hominum qui hodie vivunt, quique poſthac victuri ſunt, conteſtor, ſi non optimo jure ac meritiſſimo tam fœdam patriæ labem, infamiam, dedecus, ac turpitudinem deploro: neque me *Matharelli*, aut *Maſſoni*, aut neſcio cujus ejuſmodi rabulæ ſcabioſi ac ſycophantæ meretricia impudentia, aut cujuſquam palpatoris aulici pretio conducta calumnia de hoc juvandæ patriæ ſtudio, (ſi Dei voluntas ferat), dimovebit. Quid? an quiſquam eſt, qui cogitare illud ſine lachrymis poſſit, quòd non modo clientes & beneficiarii Romani Pontificis, & clerici jurejurando ei devincti, & opimis ſacerdotiis præditi, magnam illorum magiſtratuum partem obtinent: verumetiam ij, qui ſe Laicos appellari volunt, iſtiuſmodi beneficiis in ſuos liberos conferendis ejuſdem Pontificis tyrannidi ſe, ſuamque fidem ac religio-

nem

nem venditant? Jam verò, de periurio passim toto Gallia usitato, quid dicemus? Vetus *Imp. Theodosij* lex est, gentium, ut opinor, omnium usu ac moribus comprobata, ut qui magistratum ineunt, publicè jusiurandum dent, se nihil eo nomine neque per se, neque per alium dedisse, aut promisisse. *l. ult. C. de repetund.* Hoc quidem jusiurandum, in Gallia quoque, omnibus magistratuum mercatoribus in Pariensi aliove Parlamento defertur: at quid dixi defertur? Imò verò confidenter accipitur, conceptisque verbis præstatur, cùm tamen admodum pauci ac prope dicam nulli, tota Gallia numerari possint, qui non præsenti numerata ad manum quæstoris pecunia suum Officium, ac jurisdictionem sit mercatus. atque is primus sacris istis initiantibus aditus in Gallia patet. Age, reliqua videamus. Nam complures istiusmodi judicium conventus qui ad dirimendas lites, ad cives judicialibus molestiis liberandos instituti sunt, meras esse litium officinas & ergastula,

quis ignorat? aut cui tandem notum in Gallia non eſt, litem ſemel inſtitutam hominum iſtorum artificiis non modò immortalem reddi, ſed etiam in alias complures propagari? Quod verò poſtremo loco poſitum eſt, cui non miſerum atque indignum videatur, gentem Gallicam, omnium quas Sol videt ad bonas quaſque artes, ac præſertim ad literarum, addo etiam ad pietatis ſtudium aptiſſimam, tamen in calumniis litium, in ſycophantiis exercendis, in ſordibus denique rabulariis, quaſi in cloacis ac latrinis exhauriendis ætatem conſumere? quæ natio trecentis abhinc annis litium propè expers, Reipub. & (ut tum loquebantur) boni publici curam in annuis comitiis gerebat, eam in iſtis lutulentis ſordibus occupatam, totam Reipub. curam paucis aliquot aſseclis atque aſsentatoribus regiis permittere? Atque hujus ego morbi Rabularii (quam veriſſimè ſcabiem Gallicam appellare poſſumus) quo magis magiſque

gisque originem investigo: eo magis in illa quam superius protuli, opinione confirmor, ut superstitionum lues ut alia complura, ex Romanorum Pontificum officina profluxerunt, sic rabulariæ artis disciplinam ex eorundem curia & jurisdictione ad nos defluxisse: quod peradmodum paucis poe Decretalici juris promulgationem annis contigisse constat. Nam in *Gratiani Decretum* (*c. vides.* 10. *dist.*) relata est *Epistola Leonis Papæ* (quem illi in Deorum suorum numerum retulerunt) ad Ludovicum II. utriusque Franciæ Regem & Imperatorem scripta, qua testatur, se Imperatorum legibus, & constitutionibus, & juri ab illis constituto parere. *& in c. ult.* ab eodem Imp. pro sua clementia petit, ut juris Ro. leges ubique obser-vari velit, quinetiam exstat *Papæ Honorii* III. *Decretalis in c.* 1. *Ext. de Iuram. cal.* ubi dilucide ostendit, Papales clericos usque ad illud tempus Ro. juris legibus & Christianorum Impp.

conſtitutionibus, quæ in Codice Juſtiniani exſtant, paruiſſe: iiſque etiam in iuriſiurandi controverſiis uſos eſſe. Ecquódnam igitur (dicet aliquis, tantis malis remedium afferemus? Cauſſam quidem illorum omnium conſtat eſſe partim impietatem, partim incredibilem gentis noſtræ ſuperſtitionem, quæ per eadam illa tempora ex eodem illo fonte ad nos fluxit, quibus immenſa caligo univerſum orbem Chriſtianum obtexerat, & unico Chriſtianæ religionis lumine extincto, ſacris ſcilicet Bibliis obrutis ac ſepultis, omnia denſiſſimis ſuperſtitionum tenebris oppreſſa tenebantur. Quare ſi per noſtros Alaſtoras, ſi per furias civilium bellorum incentrices licebit, vel (ut verius loquamur) per ſingularem Dei benignitatem dabitur, ut ſacrorum Bibliorum auctoritas in Gallia valeat, & juventus in iis ſe ſtudiis exerceat, non dubium eſt, quin, ut exorto Sole tenebræ fugantur, ſic artes rabulariæ unà cum ſuperſtitio-

ſtitionibus ex eodem fonte deductis, depellantur. quod ut Deus optimus maximus propter Chriſti filii ſui & Emanuelis noſtri gloriam noſtræ huic ætati concedat, toto pectore ab eo precor, quæſoque.

FINIS.

INDEX RERUM ET VERBORUM QUÆ HOC Libello continentur.

Pra-

FINIS.



Ad

FRANC. HOTOMANI
FRANCO-GALLIAM

ANTONII MATHARELLI, Reginæ Matris à rebus procurandis primarii, Responsio.

In qua agitur de initio Regni Franciæ, successione Regum, publicis negotiis, & politia, ex fide Annalium nostrorum, Germaniæque, & aliarum gentium, Græcisque & Latinis Scriptoribus.



FRANCOFVRTI

Apud GEORG FICKVVIRT.

Anno M DC LXV.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



HENRICO III. CHRIstianiss. & invictiss. Franciæ & Poloniæ Regi

ANTONIUS MATHARELLUS Fœlicit. & Immortalit. optat.

CVM sæpius apud me cogitarem (Rex Christianissime, Regumque invictissime & optime) quo genere officij mandatæ Procurationi tuæ generali, qua me dignatus eras, satisfacere possem,

testarique non futurum Majestati tuæ servum inutilem: non potui ob temporis angustias perficere quæ optabam, & sperabam, auspiciis clarissimi viri Huraldi Chevernii, *sacri scrinii tui magistri. Statim enim, tanquam tibi foret destinatus orbis, uno fermè momento, duo Regna (quod nemini antè accidit) ultrò sese offerunt, Polonicum scilicet, cum totius Europæ & Asiæ, imò orbis, desiderio & expectatione: alterum, avorum tuorum, &, ut* Plato *ait, secundum genus, Carolo Rege fratre amantissimo & charissimo fatis fun-*

functo. Quod me ab instituto aliquantulum revocavit, utpote mandato munere cessante. Licet enim non deesset animus, attamen prærepta mihi quodammodo occasio videbatur aliquid audendi. Præterea quid homuncio poteram dignum tanto Rege? Proinde in his angustiis ad Hotomani Francogalliam convellendam, & latratum exulis vinciendum, qui Regnum tuum & Regni hujus politias subuertere contendit, animum adjeci, & tot doctis viris oscitantibus, munus hoc lubens suscepi: eò facilius, quò adversus mendacia,

quibus libellus ille ſcatet, veritatem pugnare ſciebam: qua duce non dubitavi hoſtem illum profligatum iri. Itaque reſponſum adverſus libellum hujuſmodi, Majeſtati tuæ (cui me totum addixi) dicare auſus, ea humilitate, qua debeo, offero. Accipe ergo, Rex Chriſtianiſſime, munus hoc quantulumcunque ſervi tui, qui, ſi majores forent vires, majora erat oblaturus. Dominus noſter Jeſus Chriſtus Majeſtatem tuam incolumen, Regnumque tuum conſervet.

E Lutetia Pariſiorum, 8. Id. Martij, Anno à Chriſti nativitate, 1575.



IVDICIVM PAPIRII MASsoni de libello Hotomani.

IN famoſo libello Franciſci Hotomani plus iracundię eſt quàm ſcientiæ: & qui Juriſconſultum ſe eſſe profitetur, graviter in eo peccat, quòd jus ſuum tribuit nemini: niſi fortè antiquato veteri jure, novum nomen & adhuc inauditum Hotomanicæ ſcientiæ civibus ſuis exul mittit. Exulem eſſe turpe eſt, & patriæ nihilominus deſiderio teneri, cujus mores, ritus, leges, inſtituta plurimùm damnes. Multa ex Annalium monimentis de Francis & Francogallia ad mendacii ſui defenſionem, & oppugnationem ſacroſanctæ veritatis profert, malignè ſimul & impudenter aliquid falſi ſingulis capitibus addens de ſuo. *Gregorii Turonenſis*, *Aimoini*; *Reginonis*, *& Sigeberti* monachorum teſtimonia probans, facit contra decus & dignitatem Geneuenſis doctrinæ, quæ talium hominum, propter diſſimilitudi-

nem religionis; Annales, quasi viliores Volusianis, improbare consuevit. Multus in eo est ut doceat, Reges in Gallia, spreto successionis jure, electos vocatosque ad regnum: quod si factum est, & raro accidit, & exemplo, non jure factum constat. Quod enim exemplo fit, non etiam jure fit. Annis ab hinc sexcentis perpetua serie nostri Reges ad hæredes suos regnum transmisere: quod instar optimæ legis esse potest, ne tricennii præscriptionem aut centenariam opponam Jurisconsulto, cujus beneficio posteritas satis tuta esset. Neque novum est, propter ætatem, vel propter socordiam paucorum Regum, jura successionis violata esse, ut sub Childerico accidit, quem gratia Pipini, Regni opibus apud Pontificem Zachariam, & Galliæ Proceres quæsita, dignitate & sceptro spoliavit, Rege illo natura imbelli, & ad omne genus otii relegato, cum Reges toto anno in gurgustiis potarent, & Calendis Maiis similes pinguibus porcis sese populo spectandos com-

committerent, ut Hotomanus ex *Cedreno* annotavit. Cujus orationem illam nescio an legerit, Reges Francorum κτ γένος succedere parentibus suis solitos. Sed ille locus ad mendacii defensionem peti non debuit. Hoc violati juris exemplum in Childerico, renovatum est, & mox damnatum à Concilio Francorum, Carolo Simplice Rege, qui posthumus patri desertus est ab Aulicis infido hominum genere: & Reges dicti, Crassus urgente Normanico tumultu; post eum Odo, qui ipse supremis verbis proceres hortatus est, ut Carolum tandem agnoscerent legitimum hæredem, uti factum est. Sed vis iterum & carcer jura violavit, electo Rodulfo, bene judicantibus Superis, qui brevem tot falsis regibus vitam, diuturnam autem Carolo, modò Regi, modò privato, semper tamen afflicto, concessere: ut quod juris erat ad Ludovicũ filium hęreditatem transmitteret. Et ista pessimi nominis exempla Jurisconsultus proferre audet qui apud *Instinianum*

 legit,

legit, non exemplo, ſed legibus judicandum? Hugoni verò Capeto, fato functis Caroli magni nepotibus, authoritatem & gratiam, qua ſibi Proceres, qua plebem & omne genus hominum devinxerat, iter ad regnum fuiſſe conſtat: cùm hominem clariſſimis natalibus in Gallia natum majores noſtri extraneis præferendum judicarent. Quod eventus docuit huic regno prodeſſe, nunquam tot ſeculis mota ſuper judicio gentis querela. Nec ſatis erat Hotomanum, ut majeſtatis reus eſſet, fulminaſse adverſus Regiam poteſtatem, quam homines malenati ferre non poſsunt, Senatum Pariſienſem jaculis veneno delibutis laceſsere auſus eſt, qui in illo ſuo exilio (in quo æternum pereat) neque vidit neque unquam videre poterit quicquam auguſtius. Quid enim ſimile habent tabernæ Heluetiorum aut Germanorum popinæ vino madentes? Et quidem affirmare non dubito, in Baſilica Pariſienſi ſola plures eſse doctiſſimos homines & juris periti-

tiſſi-

tiſſimos, quàm in altera patria magni hujus Catonis, qui non, ut ille, ſapiens: ſed, ut ille, potus in aliquo ænopolio, fortè hunc libellum furoris & inſaniæ plenum evomuit: ut veriſſimè *Cujacius* dixiſse videatur, quod penè prætericram, ſcripta Hotomani ſcutica egere. Hoc eſt judicium meum de Franco-gallia: quod nomen malus Grammaticus parùm apte junxit. Ad illos mendaciorum aceruos. Vir clarus *Antonius Matharellus* ita reſpondit, ut poſſit cæteros à refutando deterrere: nec rogati ſumus ut reſponſioni ejus hanc breviſſimam orationem veluti præviam insereremus. Quod fecimus, ſponte factum eſt: ut ſciat Hotomanus eſſe in Gallia Tyrones qui cum Æſernino certare audeant. Tametſi quid neceſse eſt hunc Æſerninum dicere, qui Romani Marforii aut Paſquilli, nomen potius ſibi vindicare debeat.

AN-



ANTON. MATHARELLVS LECTORI S.


LIbellum cui titulus eſt, *Hotomani Franco-gallia*, cùm percurriſſem, inſpe-cto titulo exiſtimabam, motus quodammodo viri eruditione, quòd inter eruditos partes non vulgares obtineret, aliquid ad Iuriſprudentiam intelligendam, vel certè ad hiſtoriæ noſtræ cognitionem, allaturum. Nam Primum Caput eò ſpe-ctare videtur, quo diſputat de ſtatu Galliæ priuſquam à Romanis in prouinciam redigeretur. Verùm cùm aliud agere, aliud ſimulare authorem comperiſſem, perculſit illico animum,

mum, inani ista narratione fucum fieri. Sed ne opinio mea temere concepta videretur, consului doctissimos quosdam, eosque acerrimi judicii: quibus cùm nihil hujusmodi lectione viderint doceri, quàm Imperii, legum, & politiarum nostrarum antiquarum solutionem, plebisque adversus Regem & magistratus suos secessionem & rebellionem, idem fuit judicium. Itaque detecta fraude, placuit lectorem monere, ut lectione illa penitus abstineat: facilè enim talibus libris mores corrumpi possunt, potissimùm si artificio & suavitate orationis errores tegantur, ut facere solent qui veritati bellum indixerunt: cùm tamen, si fucum

cum verborum detrahas, nihil præter nugas & mendacia elicere possis. Cujus artificii tota est Hotomani oratio, licet non conviciis agat ut author libri de furoribus Gallicis: neque vituperando, sed laudando, quo magis timendus est. Nullę enim sunt occultiores insidiæ, quàm eæ quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam cum qui palam est adversarius, facilè, cavendo, vitare possis: hoc verò occultum, intestinum ac domesticum malum, non modò non existit, verum etiam opprimit, antequam perspicere atque explorare potueris. Proinde adversus hujusmodi libellum Responsionem meditatus,

tus, in lucem emittere volui, ut tandem patefactis & detectis hujusmodi insidiis & mendaciis, sola nominis fama, qua tumescere videtur author, non adeò insultet, neque sibi solus sapere videatur: lector autem benignus comparatione possit judicare quid inter veritatem & mendacium intersit. Cæterùm quid sibi velit Hotomanus, & ad quam Rempub. nos revocare contendit, ex sequentibus sciri poterit.





AD FRANC. HOTOMANI FRANCO-GALLIAM, *Antonii Matharelli, Reginæ Matris à rebus procurandis primarii, Responsio.*

PRIMO Capite, ut diximus, Hotomanus differit, quo in statu esset Gallia priusquam à Romanis in provinciam redacta fuerit, idque luculenter certè, non tamen adeò latè, & ab origine, ut nihil desideretur: plura enim de gentis antiquitate, & præclaris Gallorum gestis dicenda erant, prætermissis quæ de eorum origine *Berosus, Manethon, Metasthenes, Philo, Iustinus & alii veteres* scripserunt. Nullus enim scriptorum fere inveniri poterit, quin eorum aliquam mentionem faciat: tanta erat ejus gentis belli gloria, quæ orbem fama nominis imple-

plevit. Licet de nostris Gallis dici possit, quod *Salustius* de suis Romanis, illis nunquam copiam scriptorum fuisse. Quia prudentissimus quisque maximè negotio sus erat, ingenium nemo sine corpore exercebat, optimus quisque facere quàm dicere, & sua ab aliis benefacta laudari, quàm aliorum ipse narrare malebat. Constat tamen Galliam (antequam à Romanis petita armis fuisset) tam opulentam, tam validam, tamque populosam urbibus, civitatibus, viçisque refertam, & ornatam, ut nulla alia gens, populus, aut natio se illi æquare ausa sit, quemadmodum testantur historiographi & Græci & Latini. Quibus autem legibus & institutis vixerunt, in citatis ab Hotomano locis, nihil præter umbram & conjecturas quasdam invenies. Notum est tamen urbes primarias sui juris fuisse, nulliusque addictas imperio: easque populi & gentis nomine dictas & vocatas, licet in Gallia, ut *Cæsar* testatur, reguli plurimi fuerint, qui multos habebant clientes,

quos

quos ambactos vocat. Sed hoc veritati eorum quæ dicta sunt nihil detrahit, nempe urbes & civitates sui juris fuisse, neminique (nisi illi cui à totius gentis conventu summa rerum permittebatur) paruisse. Solebant enim Galli quoties de totius gentis commodis, utilitate vel negotiis agebatur, conventum indicere, ad quem confluebant, ut *idem Cæsar* refert, principes civitatum. Itaque non ineptè & insulsè diceremus, Gallias tunc fuisse, ut nunc sunt, in tres divisas ordines. Primus erat eorum qui sacra tractabant, quos Druydas vocabant, quorum tanta erat authorias, *authore Cæsare, & Strabone lib. 4. Geographiæ*, ut nihil sive in bello, sive in pace, his nolentibus, & non suadentibus, tentatum extiterit. Ii enim, ut ait *idem Strabo*, præter cognitionem rerum & causarum naturalium, moralem exercebant disciplinam, qui & justissimi omniũ erant opinione. Ideo & privata & publica judicia fidei eorum mandabantur, adeò ut rem bellicam indicarent, & martem

collaturi illis jubentibus desisterent, quibus capitis judicia permittebantur, & animas esse immortales existimabant. Secundus, nobilium regulorum. Tertius plebis nullius ferme pretii, ut *idem Cæsar* testatur, & suo loco dicetur. Quæ certè egerent altiore indagatione, & longiore oratione, si locus hic pateretur, & non essent à quorum laboribus & vigiliis ista sciri possint. Dicam tamẽ de veteris gentis nostræ excellentia, magnitudine, rei militaris peritia, urbium & civitatum frequentia, quod Agrippa Rex apud *Iosephum l.2. belli Iudaici, cap.*17. Veruntamen, *inquit*, si aliquos magnæ causæ, ad defectionem incitare deberent, Gallos potissimùm oporteret assurgere, quos videlicet tantis munimentis natura cinxisset: ab Orientali plaga, Alpium montibus: à Septentrionali, Rheno flumine: à Meridie, Pyreneis montibus: ab Occidente verò, Oceano. Sed tali munitione gaudentes, cccxv. gentibus numerosi, fontes autem, ita ut dixerim, fœlicitatis domesticæ

sticq; habentes, omnibusque bonis penè totum orbem irrigantes: & quæ sequuntur. Et ipse *Strabo* eo loci de Gallia sic loquitur: Nulla pars ipsius inculta jacet, excepto duntaxat, si quid paludes, ac sylvæ coli prohibeant. Atqui magis hominum frequentia, quàm cura incolitur, aut diligentia: mulieres fœcunditate & educandi studio optimæ, viri bellorum magis, quàm agri colendi studiosi. Quibus tamen addere dignum judico, ut notum omnibus sit, Gallos veteres insignes & fortissimos viros fuisse, unum aut alterum eorum fortitudinis exemplum. Primum est, quòd bello Cæsaris Africano, xxx Galli (dictu mirum) dicuntur duo equitum millia loco pepulisse & fugasse. Secundum refert *Strabo lib.* 4. nempe, Alexandrum Magnum Gallos quosdam milites interrogasse, quidnam maximè timerent: cùm ille existimasset, se, dicturos, (tunc enim Darium vicerat) responsum accepit; Nihil aliud, nisi ne super ipsos cælum rueret. Et *Cæsar lib.* 5. *Commentariorum*

testatur, causas odii Gallorum adversus Romanos has fuisse: Tum maximè, *inquit*, quod ij qui virtute belli omnibus gentibus præferebantur, tantum ejus opinionis se deperdidisse, ut populi Romani imperia perferrent, gravissimè dolerent. Sed de his satis: ad secundum Caput venio.

In Cap. II.

QUo quærit Hotomanus, quæ priscis temporibus Gallorum lingua fuisse videatur, & non planè solvit: locus enim hic plenus est conjecturis, cùm nulla horum temporum extent illius idiomatis volumina. Sed ut nobis ac illi liceat conjectari ac divinare, existimo non multum differre ab hac nostra vulgari qua hodie utimur, ut ex eo apparet, quòd nomina earum rerùm quæ immutabiles dici possunt, ut puta nationum, provinciarum, civitatum, urbium, montium, sylvarum & fluminum, videmus etiam hodie retinuisse antiquum nomen, iisdemque nuncupari nominibus, quibus olim, pau-

paucis immutatis. Sic apud *Ammianum Marcellinum*, *Annalium lib.* 15. legimus, Ararim, quem incolæ Sauconam vocant: ut etiam hodie vulgari sermone dicitur. Prȩterea illius idiomatis apud antiquos scriptores extant nonnulla vocabula, quibus etiam hodie Galli utuntur, veluti apud eundem *Marcellinum eodem libro*, Exinde non millenis passibus, sed leucis itinera Galli metiuntur. *Suetonius in Vitellio, c. ult. in fine.* Cui Tholosæ nato cognomen in pueritia Beco fuerat: id valet, *inquit ille*, gallinacei rostrum. Et *Tacitus l.* 3. Quibus more gentis continuum ferri tegimen, Crupellarios vocant. Cacumina autem montium hodie etiam Burgundi, Arverni, & plerique Gallorum vocant Croupet, ut inde tractum dici possit. Plura apud *Gregorium Turonensem* exempla illius idiomatis leguntur, veluti *li.* 4. *ca.* 51. Quos vulgo Scramasaxos vocant, & *l.* 9. *c.* 28. Cum duabus pateris ligneis, quas vulgo bachinum vocant. & *appendix ad Aimoinum lib.* 5. *cap.* 38. Purprisiam pro villa. *Ibi,*

Et si aliquis nostrorum fidelium de regno patris sui purprisiam habet, jussu nostro illud dimittatur. Longè plura licet videre apud *Cæsarem*, veluti Soldurios, & hujusmodi. Alia in legibus & capitulis Caroli Magni; quæ, qui volet, quærat: ista sufficiant, cùm nihil Hotomanus in contrarium adferat. Sed cùm verum sit, quod ipse *Cæsar*, *Strabo*, & post eos *Marcellinus eodem libro* ajunt, Gallos, Celtas, Aquitanos & Belgas, lingua, institutis, legibusque discrepare, difficile est quæstionem istam soluere: cùm etiam hodie discrepent, & dissentiant, ut vix invicem sese intelligant. Itaque viderit lector quid sequendum judicet. Non tamen placet, quod idem Hotomanus ex *Beato Rhenano* probare videtur, Britonum nostrorum linguam, idioma vetus esse Gallorum, cùm nullum proferat præter Rhenani testimonium, & id sine ratione aut demonstratione. Imo verò non est probabile, illis solis permissum fuisse tum à Romanis, tum à Francorum Regibus, à quibus sub jugum missi fue-

fuere, & leges acceperunt, idioma Gallicum retinere, remotioribus scilicet Vasconibus, Aquitanis, & aliis non item. Præterea illorum historiæ eos profugos Britannos asserunt, tantum quisque sibi placet in mentienda origine, licet à vilissimis latronibus, piratis & hujusmodi, genus & originem jactent, hoc gloriosius ducentes, quàm proprium solum in quo sati, educati & nati sunt, authorem profiteri. Lubet addere Britones penuria dictionum cogi miscere integras voces & dictiones gallicas, & eas præcipuè, quæ asserendi vim habent, veluti Certainement, Veritablement, & similes. Quantum verò attinet ad Britannos, quos Anglos vocamus, tantum abest idioma quo nunc utuntur, vetus nostrum fuisse gallicum, ut plerique volunt. Nam & ipsi leges patrias habent sermone Gallico scriptas, non multum dissimiles à Northmanorum legibus municipalibus, acceptas & latas, scilicet, à Guillelmo notho duce Northmanorum Regis Francogallici

 clien-

cliente, postquam regnum Angliæ subegit, circa annum Domini 1068. Quod ait Hotomanus ex *Turonensi & Aimoino*, Francogallos usos literis & notis Græcis, nihil detrahit de hujusmodi opinionis veritate. Simile de Gallis *Cæsar in suis Commentariis lib. 6.* videtur annuere: *Ait* enim *ille*, cùm in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Græcis literis utuntur: qui tamen sibi ipsi non constat, imò dissentit. *lib. enim* 5. dicit, se ad Ciceronem epistolam misisse Grçcis conscriptam literis, ne intercepta ab hostibus consilia sua cognoscerentur. Ego verò existimo, debellatis Gallis per Cæsarem, & ipsa Gallia vectigali facta, cùm iudicia & magistratus à Romanis acciperent, in judiciis & contractibus coactos Gallos Romana lingua uti: id enim ad conciliandos animos, in fideque retinendos provinciales], magnum sciebant habere momentum, ut *Plato lib. 4. de legibus*. Nam, *inquit ille*, quod genus unum est, unius linguæ, earundemque legum cùm sacrorum

& hu-

ꝫ hujuſmodi communionem habet ımicitiæ quidem inter ſe copulantur. ꞉t *Cicero l.* I. *Officiorum ait*, plures gradus ꞉ſſe ſocietatis hominũ: ut n. *inquit ille*, ıb illa infinitate diſcedatur, proprior ꞉ſt ejuſdem gentis, nationis, linguæ, ꝗua maximè homines conjunguntur. ꞉nde à Romanis aliquando ſancitum ꞉uiſſe exiſtimo, decreta latinè fieri in ꞉otoʀomano Imperio. Quod obſerva- ꞉um fuit in Gallia, donec Franciſcus ꞉ex, hujus nominis primus, id vetuit, ınno Domini 1539. Cujus adhuc fre- ꝗuens eſt uſus in foro eccleſiaſtico, & ꞉o utitur Eccleſia Catholica, nullo a- lio admiſſo & recepto. Non eſſe maxi- na obſervatione dignum quod Ho- omanus ait, noſtrum idioma mixtum ꞉ſſe ex pluribus Latino, Græco & Ger- nano, melius ſi Germani loco (cu- us nullus planè unquam, aut ſaltem ꞉xiguus, uſus in Gallia fuit) adjeciſſet ꞉talicum, Hiſpanũ & Luſitanum. Sed ıihil ex eo inferri poteſt, Gallis, quem- ıdmodũ & Latinis, & cæteris propriũ non fuiſſe idioma: idem n. dici poſſet

de

de Latino,& quovis alio, cùm nullum ſit,quod nõ (ſive à vicino, ſive peregrino) aliquid ſit mutuatum, ſi deerant nativa & propria. Non fuiſſe autem frequentem uſum Gallis linguæ Græcæ, vel ex eo probari poteſt: Favorinus enim philoſophus Arelatenſis cantatiſſimus apud *Aulum Gellium* gloriabatur, ſibi tria contigiſſe. Primum, quòd Gallus literas Græcas didicerat. Non tamen magis verum eſſe Gallos lingua Germanica aut Germanorum uſos unquam fuiſſe,ut vult Hotomanus,manifeſtum fit ex ipſius *Ceſaris Commentariis, lib.* 1. Ait enim, ſe ad Arioviſtum Germanorum regem miſiſſe Marcum Valerium Procillum, propter linguæ Gallicæ ſcientiam, qua multa jam Arioviſtus conſuetudine utebatur. Non ergo erat idem ſermo Germanicus ac Gallicus: nam ſi idem fuiſſet, non erat mittendus Valerius ob linguæ Gallicæ peritiam, quam non habebat Arioviſtus Germanus propriam, imò ea tantùm multa conſuetudine utebatur. Extant hujus opinio-

opinionis duo graviſſima & indubitata teſtimonia, *Lupi Ferrerienſis* Archimandritæ in agro Senonenſi, qui *epiſtola ad Immonem* ſic loquitur, Simpliciter vobis aperio, principem operam me in Germania deſtinaſſe lectioni, & ad oblivionis remedium & eruditionis augmentum libros pauculos paraviſſe, nec Germanicæ linguæ captum amore, ut ineptiſſimè quidam jactaverunt, ſarcinam ſubiiſſe tanti tamque diuturni laboris, & alia ejuſdem ad Marcuadum Prumienſem Abbatem, Inter alia quæ nobis jam plurima præſtitiſti, linguæ veſtræ pueros noſtros feciſtis participes, cujus uſum hoc tempore nemo niſi tardus ignorat. *Vixit* enim Lupus temporibus Caroli Calui Francorum & Germaniæ Imperatoris, ob id ait illo tempore linguæ illius cognitionem perneceſſariam ob commune commercium quod intercedere poterat inter Germanos & Francos. Aliud eſt exemplum *Sidonii Apollinaris l. epiſtolarum 6. epiſtola 5. ad Sifagrium*, quem Burgundionum

num vatem ridens vocat (Burgundi Germani erant, ut notum est) Velim dicas, *inquit ille*, unde subitò hauserunt pectora tua euphoniam gentis alienę. Ex quibus satis manifestum fieri omnibus existimo, Gallis proprium fuisse idiòma, quo nunc utimur, licet corruptius, non Græcum, minus Germanicum aut Germanum, ut vult Hotomanus, qui nos etiam Germanos faceret, si posset.

IN CAP. III.

CApite Tertio de statu Galliæ à Romanis in provinciæ formam redactæ tractat Hotomanus, sed & ille locus pluribus egeret: extant enim apud *Tacitum*, *Suetonium*, *Lampridium*, *Spartianum*, *Dionem Cassium*, *Capitolinum*, *Pollionem*, *Vopiscum*, *Eutropium*, & ipsum *Marcellinum*, Imperatorum Romanorum, adversus Gallos magna & multa tyrannidis exempla. Cùm n. omnibus notum sit, Cæsarē illum dictatorē, milite Romano Gallias subegisse, Romanos autē milite Gallo, eorum-

mque operâ fideliſſima& fortiſſima
um ſemper fuiſse adverſusPompeiū
ſamque rempub. ut ſatis ipſe fatetur
ſuis Commentariis: non tamen ita
begiſse, quin poſteris multæ bello-
m reliquiæ ſuperfuerint. Tandem
ſteri Imperatores coacti fuerunt
omanum illud Imperium dividere,
rtem unam Orientem vocantes, al-
ram Occidentem: Occidentis partē
llias vocantes ad continendos in fi-
provinciales, comprimēdos & pro-
bendos Alemannos, qui tunc irru-
ionibus crebris Gallias vexabant.
alliæ autem ſtatum fuiſse miſerri-
m dubitare non oportet, utpote
t avariſſimis & nequiſſimis domi-
, vel potius monſtris, coacta mul-
ſeculis ſervire. Nam ſi obſerves,
os principes Romanorum habuit
perium, paucis exceptis, non ho-
nes, ſed immaniſſimas belluas & fe-
, crudeliſſimoſque tyrannos inve-
s. De quibus probè *Vopiſcus in Aure-
io*. Vides quæſo, *inquit*, quam pauci
principes boni, ut benè dictum
fuit

fuit à quodam Claudii Scurra, In uno annulo bonos principes posse præscribi atque depingi. At contrà, quæ series malorum? ut enim omittamus Vitellios, Caligulas & Nerones, quis ferat Maximinos & Philippos, atque illam ineruditæ multitudinis fæcem, in quo numero ipsos, Commodum, Domitianum, Ottonem, Galbam, Heliogabalum, Triginta tyrannos, & similia monstra, comprehendere videtur. Ex quibus satis constat Hotomanum, cùm temporibus istis miserrimè Galliam afflictam & cruciatam sciat, non probare statum illum in quo tunc erat: neque ad rempub. horum temporum nos vellet deducere, cùm patriæ suæ sit, ut ipse asserit, amantissimus.

In Cap. IIII.

De ortu verò Francorum, qui Gallia occupata ejus nomen in Franciam vel Francogalliam mutarunt, differit cap. 4. Hotomanus. Sed neque

hac

hac parte satisfacere videtur. Nam quod ex *Nauclero* de Carolo Magno Rege Francorum ait, idem esse, ac si nominatus fuisset Rex Germaniæ & Galliæ: quòd eo tempore, omnis Gallia transalpina, & Germania etiam à montibus Pyreneis usque in Pannonias, Francia dicebatur: illa quidem Germanica, Francia Orientalis: hæc, id est Gallica, Francia Occidentalis: non mihi videtur ad ortum Francorum aptandum. Certum enim est multis, ante Carolum magnum, temporibus, Regnum Franciæ satis stabilitum, multosque Reges habuisse, toti Galliæ & magnæ parti Germaniæ imperantes. Itaque ortum Francorum inde quærere nihil absurdius. Sed quia locus ille lubricus est, & non desunt authores non contemnendi, qui Francos ipsos ascitos & extraneos dicunt à Germanis vel profugis Trojanis: Ego aliunde testimonia esse petenda existimo, in qua questione, ut in re incertissima, non consentiunt authores, nec invicem satis sibi con-

 stanti

ſtant: Nam ut illa de Francione Hectoreo Troiano narratio tanquam fabuloſa reiiciatur, in diſputationem cadit, an Franci Germani ſint, an verò Galli: an id nomen gentis ſit, an verò factionis, eorum ſcilicet, qui pro libertate nomen illud ſumpſerint, quod vernacula lingua liberum etiam hodie ſignificat. Quæ opinio non eſt vana, nec ab authore improbatur: licet primæ videatur aſſentiri, nempe Francos Germanos fuiſſe, ex illo *Naucleri* loco, & aliis ab eo citatis (credo ut in Germania jus civitatis facilius poſſet conſequi.) Quæ tamen opinio improbari poteſt. Aliud enim eſt Francis & Germanis imperare, aliud Germaniæ & Franciæ, aut alterius vocabulo, alteram complecti; Nam & ſi verum ſit, ſub regno Pipini, Caroli Magni, Clotarii, & aliorum qui Franciæ & Germaniæ jura dederunt, unius vocabulo (Francorum ſcilicet) quicquid eorum parebat Imperio contineri: non tamen idem erat Gallia & Germania, alioquin dicendũ eſſet, totum orbem

orbem qui Romano patebat Imperio, isto dici & nuncupari nomine, proprio provinciarum & nationum antiquato, quo nihil ineptius. Illud certè magis probarem, quod *Connanus*, vir doctissimus, *in suis Commentariis Iuris Civilis, lib. 2. cap. 9.* asserit, Francos non aliam quàm Gallicam habuisse originem, non Germanicam, aut Troianam, idque ex *Cæsaris lib. 6. Livii lib. 5. & Beati Rhenani ad Tacitum*, à qua opinione multi, iique gravissimi viri non abhorrent. Certè non fuisse Germanos, quos *Ammianus* Alemannos vocat, movet me authoritas tanti viri, & ipsius *Ammiani* fides constans qui Alemannorum & Germanorum seorsum à Francis crebram mentionem facit, nempe *lib. 15. ubi sic ait:* Alemannicis pagis, id est, Germanicis indictum bellum, Conlimitia sæpè Romana latius irrumpentibus. *Et paulo post eodem lib.* Ob quæ Alemanni sublatis animis. De Francis verò *eodem lib. ita:* Hæc Malatichus subitò nactus, etiam tunc squalens &

mœstus, suamque & popularis Sylvani vicem graviter ingemiscens, adhibitis Francis, quorum ea tempestate in palatio multitudo florebat, erectius jam loquebatur: ex quo solo loco facilè judicari potest, Francos Gallos fuisse, inter Palatinos & milites prætorianos numeratos, & in castris Romanis militasse, quod de Germanis Alemannis, quibuscum bellum semper fuit, non dicit *Marcellinus*, imò eos ut hostes tunc Romani persequebantur. Germanos autem Alemannos à *Marcellino* dici, eumque his nominibus promiscuè usum, probatur ejusdem *Marcellini* lib. his verbis: indicabat autem Coloniam Agrippinam ampli nominis urbem in secunda Germania. *Et lib.* 16. Alemannicam aggredi plebem. *Et statim*, Eique adventanti Germanorum manus. *Et paulò pòst*, Hoc comperto residui Germani. *Ibidem*, Quo ædificato constabat ad intima Galliarum, ut consueverant, adire arceri Germanos. *Mox*, Quo dispalato fœdo terrore, Alemannorum reges

ges Chonodomarius & Veſtralpus, quos *eodem lib.* Germanorum Reges vocat, in ea graviſſima & memorabili pugna, cujus *circa finem ejusdem lib.* meminit, Juliani tunc Cæſaris mox Imperatoris adverſus eos Reges : *ubi ſic ille* : Hoc comperto Chonodomarius (quem paulò antè pluribus locis regem Alemannorum vocarat) jumento ac ſtatim deſiluit: & ſecuti eum reſidui idem fecere, nihil morati (nec enim eorum quiſquam ambigebat partem ſuam fore victricem) dato æneatorum cantu, ſolemniter ſigno ad pugnandum, utrinque magnis concurſum eſt viribus populi, propilabantur miſſilia, & properantes cito quàm conſiderato curſu Germani, telaque dextris explicantes, involavere noſtrorum equitum turmas. *Ibidem*, Et cùm cornu ſiniſtrum altius gradiens, urgentium tot agmina Germanorum vi nimia propuliſset. *Et paulò pòſt*, Proinde Alemanni pulſis disjectiſque equitibus noſtris (de Germanis id dictum liquet, quos in principio initi

certaminis, equitum turmas Romanorum aggressos dixerat) sicque promiscuè istis nominibus, pro eadem re eodemque populo utitur. Aliter de Francis, quorum aliquos in comitatu fuisse Imperatoris dicit, & ideo populum fuisse à Germanis, sive Alemannis, separatum, nemo posthac ibit inficias. Quibus libet addere testimonium *Flavii Vopisci* in vita Proculi. *Ibi*: Nam Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur. Extat aliud *ejusdem Marcellini, eodem lib.* 16. *circa principium*, his verbis: Igitur Agrippinam ingressus, non antè motus est exinde, quàm Francorum regibus, furore mitescente, perterritis, pacem reipub. firmaret: Francos autem à Germanis sive Alemannis fuisse, ut nunc sunt, omnino distinctos & discretos, docet *idem author l.* 17. *circa principium. Ibi*: Severus magister equitum, per Agrippinam petens & Iuliacum, Francorum validissimos cuneos in sexcentis velitibus, ut posteà claruit, vacua præsidii loca vastantes offendit: hac oppor-

opportunitate in ſcelus audaciam erigente, quod Cæſare in Alemannorum ſeceſſibus occupato, nulloque vetante *Mox :* Ad quos eximendos periculo, multitudo Francorum egreſsa , cùm captos comperiſset & aſportatos, nihil amplius auſa, repedavit ad ſua caſtra. Ex quibus verbis verũ eſse quod diximus conſtat. Nempe, cùm *Marcellinus* dicat Francos bellum Cæſari moviſse, occupato in Alemannorũ ſeceſſibus: Si Franci Germani aut Alemãni erant, non ita loquutus fuiſset Cæſarem occupatum in Alemannorum ſeceſſibus. Diſtinguit ergo author & ſeparat eo loco Francos à Germanis aut Alemannis, non factùrus, ſi unus eſset populus Hæc opinio , clarius probatur *eodem lib.* 17. At Cæſar, *inquit ille*, hyemem apud Pariſios agens, Alemannos prævenire ſtudio maturabat ingenti, paratiſque quæ neceſsaria videbantur, petit primum omnium Francos: Eos videlicet , quos conſuetudo Salios appellavit , auſos olim in Romano ſolo apud Toxandriam

 locum,

num vatem ridens vocat (Burgundi Germani erant, ut notum eſt) Velim dicas, *inquit ille*, unde ſubitò hauſerunt pectora tua euphoniam gentis alienę. Ex quibus ſatis manifeſtum fieri omnibus exiſtimo, Gallis proprium fuiſse idiòma, quo nunc utimur, licet corruptius, non Græcum, minus Germanicum aut Germanum, ut vult Hotomanus, qui nos etiam Germanos faceret, ſi poſset.

In Cap. III.

Capite Tertio de ſtatu Galliæ à Romanis in provinciæ formam redactæ tractat Hotomanus, ſed & ille locus pluribus egeret: extant enim apud *Tacitum*, *Suetonium*, *Lampridium*, *Spartianum*, *Dionem Caſſium*, *Capitolinum*, *Pollionem*, *Vopiſcum*, *Eutropium*, & ipſum M*arcellinum*, Imperatorum Romanorum, adverſus Gallos magna & multa tyrannidis exempla. Cùm n. omnibus notum ſit, Cæſarē illum dictatorē, milite Romano Gallias ſubegiſse, Romanos autē milite Gallo, eorum-

rumque opera fideliſſima & fortiſſima uſum ſemper fuiſse adverſus Pompeiū ipſamque rempub. ut ſatis ipſe fatetur in ſuis Commentariis: non tamen ita ſubegiſse, quin poſteris multæ bellorum reliquiæ ſuperfuerint. Tandem poſteri Imperatores coacti fuerunt Romanum illud Imperium dividere, partem unam Orientem vocantes, alteram Occidentem: Occidentis partē Gallias vocantes ad continendos in fide provinciales, compriměndos & prohibendos Alemannos, qui tunc irruptionibus crebris Gallias vexabant. Galliæ autem ſtatum fuiſse miſerrimum dubitare non oportet, utpote tot avariſſimis & nequiſſimis dominis, vel potius monſtris, coacta multis ſeculis ſervire. Nam ſi obſerves, quos principes Romanorum habuit Imperium, paucis exceptis, non homines, ſed immaniſſimas belluas & feras, crudeliſſimoſque tyrannos invenies. De quibus probè *Vopiſcus in Aureliano*. Vides quæſo, *inquit*, quam pauci ſint principes boni, ut benè dictum

fuit

fuit à quodam Claudii Scurra, In uno annulo bonos principes posse præscribi atque depingi. At contrà, quæ series malorum? ut enim omittamus Vitellios, Caligulas & Nerones, quis ferat Maximinos & Philippos, atque illam ineruditæ multitudinis fæcem, in quo numero ipsos, Commodum, Domitianum, Ottonem, Galbam, Heliogabalum, Triginta tyrannos, & similia monstra, comprehendere videtur. Ex quibus satis constat Hotomanum, cùm temporibus istis miserrimè Galliam afflictam & cruciatam sciat, non probare statum illum in quo tunc erat: neque ad rempub. horum temporum nos vellet deducere, cùm patriæ suæ sit, ut ipse asserit, amantissimus.

In Cap. IIII.

DE ortu verò Francorum, qui Gallia occupata ejus nomen in Franciam vel Francogalliam mutarunt, differit cap. 4. Hotomanus. Sed neque

hac

hac parte satisfacere videtur. Nam quod ex *Nauclerô* de Carolo Magnô Rege Francorum ait, idem esse, ac si nominatus fuisset Rex Germaniæ & Galliæ: quòd eo tempore, omnis Gallia transalpina, & Germania etiam à montibus Pyreneis usque in Pannonias, Francia dicebatur: illa quidem Germanica, Francia Orientalis; hæc, id est Gallica, Francia Occidentalis: non mihi videtur ad ortum Francorum aptandum. Certum enim est multis, ante Carolum magnum, temporibus, Regnum Franciæ satis stabilitum, multosque Reges habuisse, toti Galliæ & magnæ parti Germaniæ imperantes. Itaque ortum Francorum inde quærere nihil absurdius. Sed quia locus ille lubricus est, & non desunt authores non contemnendi, qui Francos ipsos ascitos & extraneos dicunt à Germanis vel profugis Trojanis: Ego aliunde testimonia esse petenda existimo, in qua quæstione, ut in re incertissima, non consentiunt authores, nec invicem satis sibi con-

ſtant: Nam ut illa de Francione Hectoreo Troiano narratio tanquam fabuloſa reiiciatur, in diſputationem cadit, an Franci Germani ſint, an verò Galli: an id nomen gentis ſit, an verò factionis, eorum ſcilicet, qui pro libertate nomen illud ſumpſerint, quod vernacula lingua liberum etiam hodie ſignificat. Quæ opinio non eſt vana, nec ab authore improbatur: licet primæ videatur aſſentiri, nempe Francos Germanos fuiſſe, ex illo *Naucleri* loco, & aliis ab eo citatis (credo ut in Germania jus civitatis facilius poſſet conſequi.) Quæ tamen opinio improbari poteſt. Aliud enim eſt Francis & Germanis imperare, aliud Germaniæ & Franciæ, aut alterius vocabulo, alteram complecti: Nam & ſi verum ſit, ſub regno Pipini, Caroli Magni, Clotarii, & aliorum qui Franciæ & Germaniæ jura dederunt, unius vocabulo (Francorum ſcilicet) quicquid eorum parebat Imperio contineri: non tamen idem erat Gallia & Germania, alioquin dicendũ eſſet, totum orbem

orbem qui Romano parebat Imperio, isto dici & nuncupari nomine, proprio provinciarum & nationum antiquato, quo nihil ineptius. Illud certè magis probarem, quod *Connanus*, vir doctissimus, *in suis Commentariis Iuris Civilis, lib.* 2. *cap.* 9. asserit, Francos non aliam quàm Gallicam habuisse originem, non Germanicam, aut Troianam, idque ex *Cæsaris lib. 6. Livii lib. 5. & Beati Rhenani ad Tacitum*, à qua opinione multi, iique gravissimi viri non abhorrent. Certè non fuisse Germanos, quos *Ammianus* Alemannos vocat, movet me authoritas tanti viri, & ipsius *Ammiani* fides constans qui Alemannorum & Germanorum seorsum à Francis crebram mentionem facit, nempe *lib.* 15. *ubi sic ait:* Alemannicis pagis, id est, Germanicis indictum bellum, Conlimitia sæpè Romana latius irrumpentibus. *Et paulo post eodem lib.* Ob quæ Alemanni sublatis animis. De Francis verò *eodem lib. ita:* Hæc Malarichus subitò nactus, etiam tunc squalens &

mœſtus, ſuamque & popularis Sylvani vicem graviter ingemiſcens, adhibitis Francis, quorum ea tempeſtate in palatio multitudo florebat, erectius jam loquebatur: ex quo ſolo loco facilè judicari poteſt, Francos Gallos fuiſſe, inter Palatinos & milites prætorianos numeratos, & in caſtris Romanis militaſse; quod de Germanis Alemannis, quibuſcum bellum ſemper fuit, non dicit *Marcellinus*, imò eos ut hoſtes tunc Romani perſequebantur. Germanos autem Alemannos à *Marcellino* dici, eumque his nominibus promiſcuè uſum, probatur ejuſdem *Marcellini* lib. his verbis: indicabat autem Coloniam Agrippinam ampli nominis urbem in ſecunda Germania. *Et lib.* 16. Alemannicam aggredi plebem. *Et ſtatim*, Eique adventanti Germanorum manus. *Et paulò pòſt*, Hoc comperto reſidui Germani. *Ibidem*, Quo ædificato conſtabat ad intima Galliarum, ut conſueverant, adire arceri Germanos. *Mox*, Quo diſpalato fœdo terrore, Alemannorum re-
ges

ges Chonodomarius & Veſtralpus, quos *eodem lib.* Germanorum Reges vocat, in ea graviſſima & memorabili pugna, cujus *circa finem ejusdem lib.* meminit, Juliani tunc Cæſaris mox Imperatoris adverſus eos Reges *: ubi ſic ille* : Hoc comperto Chonodomarius (quem paulò antè pluribus locis regem Alemannorum vocarat) jumento ac ſtatim deſiluit: & ſecuti eum reſidui idem fecere, nihil morati (nec enim eorum quiſquam ambigebat partem ſuam fore victricem) dato æneatorum cantu, ſolemniter ſigno ad pugnandum, utrinque magnis concurſum eſt viribus populi, propilabantur miſſilia, & properantes cito quàm conſiderato curſu Germani, telaque dextris explicantes, involavere noſtrorum equitum turmas. *Ibidem*, Et cùm cornu ſiniſtrum altius gradiens, urgentium tot agmina Germanorum vi nimia propuliſset. *Et paulò pòst*, Proinde Alemanni pulſis disjectisque equitibus noſtris (de Germanis id dictum liquet, quos in principio initi

certaminis, equitum turmas Romanorum aggreſſos dixerat) ſicque promiſcuè iſtis nominibus, pro eadem re eodemque populo utitur. Aliter de Francis, quorum aliquos in comitatu fuiſse Imperatoris dicit, & ideo populum fuiſse à Germanis, ſive Alemannis, ſeparatum, nemo poſthac ibit inficias. Quibus libet addere teſtimonium *Flavii Vopiſci* in vita Proculi. *Ibi:* Nam Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur. Extat aliud *ejusdem Marcellini, eodem lib.* 16. *circa principium*, his verbis: Igitur Agrippinam ingreſsus, non antè motus eſt exinde, quàm Françorum regibus, furore miteſcente, perterritis, pacem reipub. firmaret: Francos autem à Germanis ſive Alemannis fuiſse, ut nunc ſunt, omnino diſtinctos & diſcretos, docet *idem author l.* 17. *circa principium. Ibi:* Severus magiſter equitum, per Agrippinam petens & Iuliacum, Francorum validiſſimos cuneos in ſexcentis velitibus, ut poſteà claruit, vacua præſidii loca vaſtantes offendit: hac oppor-

opportunitate in ſcelus audaciam erigente, quod Cæſare in Alemannorum ſeceſſibus occupato, nulloque vetante *Mox*: Ad quos eximendos periculo, multitudo Francorum egreſsa, cùm captos comperiſset & aſportatos, nihil amplius auſa, repedavit ad ſua caſtra. Ex quibus verbis verũ eſse quod diximus conſtat. Nempe, cùm *Marcellinus* dicat Francos bellum Cæſari moviſse, occupato in Alemannorũ ſeceſſibus: Si Franci Germani aut Alemãni erant, non ita loquutus fuiſset Cæſarem occupatum in Alemannorum ſeceſſibus. Diſtinguit ergo author & ſeparat eo loco Francos à Germanis aut Alemannis, non facturus, ſi unus eſset populus Hæc opinio, clarius probatur *eodem lib.* 17. At Cæſar, *inquit ille*, hyemem apud Pariſios agens, Alemannos prævenire ſtudio maturabat ingenti, paratiſque quæ neceſsaria videbantur, petit primum omnium Francos: Eos videlicet, quos conſuetudo Salios appellavit, auſos olim in Romano ſolo apud Toxandriam

locum, habitacula sibi figere præli-center: quos dedetes se, cum opibus & liberis, suscepit: mox debellatis Chamavis eorum vicinis, sedato tumultu militari ob comeatus inopiam in castris exorto. *Subdit*: Navali ponte Rheno transito, terris Alemannorum calcatis, & quæ sequuntur. Hîc disertè author Francos à Germanis nomine, situ & re non minus separat, quàm Gallos ipsos; ad Rhenum enim usque Gallias protendi ipse *Ammianus* post *Cæsarem & Strabonem* fatetur. Itaque, ut eò revertatur oratio unde digressa est, & multis quæ ad hanc rem faciunt prætermissis: cùm inde non magis sciri possit, unde orti sunt Franci (quod tamen disputat Hotomanus (quàm ex iis quæ ab eo dicta sunt, non erit absurdum, eos Gallos dicere. Si Galliam ad Rhenum termines & Oceanum, ut *Strabo, Cæsar, ipseque* Marcel. faciunt, *qui lic.* 17. *ait*: Pace cum Francis composita, debellatisque Chamavis eorum vicinis, navali ponte Rheno transito. Et 21. *lib.* gloriatur Julianus, quòd Francorum

eorum populandi jugem licentiam fregisset, Rhenumque pervium fecisset. Nolo tamen negare, fuisse quosdam authores, &, inter eos *Procopium lib.* de *bello Goth.*1. qui non dubitarunt asserere, Francos Germanos fuisse, Galliasque invasisse: Sed nullis testimoniis aut repetita altius origine nisi eos dicas Germanos, quemadmodum Belgæ Galli sese fatebantur], ut *Cæsar* refert *lib.* 2. *suorum Commentariorum*. tantum quisque sibi aliquando placet, ut dixi, in mentienda origine. Itaque viderit lector, quid in re tam dubia & incerta sequendum existimabit: Non enim contradicendi studio hæc à me dicta sunt, sed veritatis quærendæ causa. Quæ de Chaucis asserit Hotomanus, quos Francis vicinos esse retur, non improbo; & eos dici à *Marcel*. Chamavos, locus ille 17. *lib. ejusdem* annuere videtur. Romanam autem linguam usitatam in ea Galliæ parte quam à Francis occupatam dicit. Inde natum proverbium, Loqui Romanum, non inficior, licet satis *cap*.3. de-

 mon-

monstratum fuerit, Francogallis proprium fuisse idioma quo nunc utimur, corruptius & fortassis rudius quàm nunc, sed tamen ejusdem ferme prolationis & significationis. Cæterùm certum esse nemo negabit, ut jam à me dictum est, Galliam in provinciæ formam redactam, & vectigalem à Romanis factam, in judiciis & contractibus lingua Romana usam. Extant adhuc hujus opinionis magna & indubitata indicia, non tamen ex eo probatur, Francogallos Germanos fuisse, ut vult Hotomanus: licet enim id admitteremus, nihilominus non sequeretur, idioma nostrum esse vetus Germanorum, quod perfacile cum sedibus solet mutari: migrantes enim propriis sedibus assumunt facilè idioma ejus nationis, aut provinciæ ab eis occupatæ, vel in qua sedes constituunt, ut ex Turcis ipsis discere possumus, qui licet Arabicam linguam habeant propriam, & ea in suis prophanis sacris utantur, attamen Illirica & Græca vulgari uti solent: nam

ut

ut *Livius* bello Asiatico ait de Gallogræcis, Planta facilè vertitur in id solum in quo seritur: quod fit cùm indigenis exteri miscentur: ut de profugis Trojanis, Ænea duce, cum Rege Latino, refert *Livius lib. primo urbis conditæ*: & *Diogenes Laërtius* in Solonis vita ait: Solonē occupata Atheniensium Repub. à Pisistrato profectum ad Crœsum Regem, à Crœso verò in Ciliciam: ibique urbem condidisse, eamque ex suo nomine Solos appellasse, & in ea aliquot Atheniensium collocasse, quos tractu temporis, cùm patriam vocem corrupissent σολοικίζειν dictos asserit. Cæterùm quod postrema capitis parte Hotomanus ait, Francorum exiguas copias Siciliam invasisse, Syracusas cepisse, verum est: innata enim illis fortitudo à majoribus Gallis, indigenæ quorum Franci sunt, hoc effecit: quibus (ut suprà diximus) familiare fuit, parua manu magnum fugare exercitum. De quorum etiam virtute *Salustius* sic loquitur, Facundia Græcos, gloria belli

gal-

Gallos ante Romanos fuiſse. Plura ad hanc rem adduci poſsent; Sed aliò me revocat inſtituti ratio.

In Cap. V.

QUæ proximo ſuperiori capite dicta ſunt, ad quintum ſequens referri & aptari poſsunt. De ortu enim Francorum, niſi nomen cognoris, dicere non poſſis: & ſuperius diſputavit Hotomanus an eſset nomen populi & nationis, an verò factionis, quod etiam hoc cap. diſserit. Itaque quæ à me ad hanc rem dicta ſunt, quæ cum ipſius authoris dictis conſentiunt, lubens prætereo; nec ab hac opinione divellor, nempe Francos partem illam Galliæ habitaſse, Galloſque re vera fuiſse, nomen verò Francorum obſcurum aliquando fuiſse, non eſt incognitum: eorum enim nemo antiquorum meminit ante *Trebellium Pollionem*, & *Vopiſcum* in vita Gallieni, & Aureliani, dicique de eis poteſt quòd *Tacitus circa finem lib. 2.* Ignoti Gæcorum annalibus,

bus,qui sua tantum mirantur, Romanis haud perinde celebres, dum sua extollunt,externorum incuriosi:Francis etenim, ut diximus, nunquam copia scriptorum fuit. Sic videmus magnum & formidabile toti orbi Otomanorum nomen, licet paruis & obscurissimis initiis: sic Tammerlani,cujus origo adhuc ignoratur, qui totam Asiam uno momento subegit. Fuisse tamen in Germania, aut Alemannia, provinciam Franciam nuncupatam, quæ etiam hodie Franconia dicitur, nolo inficiari,vel eo *Marcel. lib.* 20. loco: fortassis quòd à Francis olim occupata armis fuerit, ut nunc tota Gallia Francia dicitur. Sed quàm obscurum fuerit tempore Constantis nomen Francorum, ex *Socratis ecclesiastici historiographi lib.*10. patet, qui Francos gentem quandam vocat, his verbis: Nam gens quædam, quam Francos appellant, cum Romanis in Gallia constitutis, bellando conflixit: & *cap.*13.*ait*, Consulatu duorum Augustorum Constantii iij,& Constantis ij.
Con-

Constantem Francorum gentem superasse, confœderatamque reddidisse. HocHieronymus presbyter ad Chronicon Eusebii ait accidisse circa annum Domini, 340. Eorum etiam meminit *Sidonius Apollinaris*, qui vixit temporibus Majoriani Anthemii & Aviti Imperatorum. Itaque non possum satis mirari, cùm sæpius à Romanis pugnatum adversus Francos sit, dubioque marte, originem tam validæ & pugnacis gentis, quæ posteà imperium orbis, saltem occidentis, sibi paravit, prætermisisse: cùm tamen magnum eo tempore fuerit nomen Francorum in Gallia, ut ex epistola ipsius Justiniani ad Francos patet: cujus meminit *Procopius lib.* 1. *de bello Gothorum*, in hanc, ut ille asserit, sententiam, Nostræ ditionis Italiam per vim Gothi ceperunt, nec solum restituere nobis haudquaquam decernunt, sed injuria insuper nos afficere, nec toleranda quidem, nec mediocri: quocirca exercitus adversus mittere cogimur. Vos verò par fuerit,

nobis

nobis hoc bello ut auxilio ſitis, quod utique utrique noſtrûm commune, rectior illa ac vera de Deo opinio facit, in Gothoſque odium, ut Arianorum errores reiicientibus deteſtandos. Non tamen placet opinio eorum, quæ vult Francos dictos eſse à ferocitate, quòd Valentiniano Imperatori ſtipendium recuſarint: nomen enim illud multis ante Valentinianum temporibus fuiſse, Regeſque habuiſse Francos, *Marcellinus* teſtis eſt. Quo autem tempore Regnum in Gallia conſtituerint, profligatis aut ejectis Imperatoribus Romanis, id longiore ſermone & indagatione eget: inſtitutumque noſtrum excederet, ſi ſingula tractanda forent. Extant enim non pauci & contemnendi authores, ex quorum labore iſta petenda ſunt. Itaque ad cætera pergo.



IN

In Cap. VI.

DIsserit Sexto Capite Hotomanus, utrum Regnum Francogalliæ hæreditate, an suffragiis deferretur, & de Regum creandorum more: quam quæstionem movet ille, non ut historiam nobis aperiat, sed ut Francogalliam satis seditionibus agitatam funditus evertat. Cùm enim populi judicio & suffragiis Regnum nostrum deferri vult, ut de Regibus Germanis ex Tacito, & quem adhuc morem retinere Germanos, Danos, Suenos, & Polonos, ait, qui Reges in Concilio eligunt, ita tamen ut filii Regum præferantur cæteris: Quid, inquam, aliud vult, cùm tantopere electionem istam probet, ut ex sua sententia nihil sapientius, aut reipublicæ salutarius excogitari dicat, quam, formam illam, neque nobis, neque nostris tritaris cognitam, & quæ è memoria nostra tanquam quæ de Iapetodicuntur, penitus exciderit, imò quæ nunquam fuit, in-

inducere, noſtrumque Regnum tam bene ſtabilitum & fundatum, ad illam teterrimam, immanem, & ſanguinolentam beſtiam electionis reducere? Quod ille tamen ſanctum & ſalutare vocat, & ex teſtamento Caroli Magni apud *Naucler. generat.* 28. confirmare nititur. Cùm tamen ex illo teſtamento nihil, quod ad hanc rem pertineat, elicere poſſit. Continet enim diviſionem totius Regni & Imperii ejuſdem inter liberos, Ludovicûm, Pipinum, & Carolum, idque per modum inſtitutionis: tantum abeſt ut judicio populi, aut concilii id permiſerit. Sciebat enim nihil eſſe inconſtantius, nihil mutabilius & periculoſius, quàm ab imperitæ multitudinis judicio pendere, quæ (*ut inquit Livius Decad.*3.*lib.*4.) ſervit humiliter, aut ſuperbè dominatur. Docet enim Imperium Romanæ urbis (quam æternam *Marcel.* vocat) quid inter ſucceſſionem & electionem interſit, tot tyrannos, tot monſtra paſſum, in tot partes diviſum, ut tandem nullum ſit relictum veſtigium,

præter umbram quandam Imperii in Germania, quod tamen ſeditionibus & furiis agitatum extitit quandiu populi judicio ſubnixum fuit ut tandem, mortuo Federico ſecundo, qui obiit anno ſalutis 1250. jus eligendi Imperatoris ad ſeptem Principes Germanos delatum fuerit, tres Eccleſiaſticos, quatuor Laïcos, ut vocant. Quare ergo vocas ſanctum & ſalutare bellorum ſeminarium, & quod conſenſu omnium exploſum fuit. De electione autem Pharamundi ex *Aimoino*, non eſt cur tantoperè Hotomanus ſibi placeat, neque locus ille *Aimoini* plurimùm facit, qui magis intelligi & referri debet ad formam inaugurationis quàm electionis, velut verius dicatur, in Regem Francorum illum electum fuiſſe, fortaſſis propter ſublatam veterum Regum ſtirpem. Multos enim Reges Francorum præceſſiſſe Pharamundum ex ipſo *Marcel. lib.* 30. patet. Meminit enim ille Mellobaudis cujuſdam Francorum Regis, quem domeſticorum comitem vocat, Tandem con-

constat, mortuo Pharamundo Clodium Crinitum ejus filium illi successisse, cui successit, ex *ejusdem Aimoini* sententia *cap.6.* Meroveus ejus affinis, non electione, licet constet absque prole mascula Crinitũ decessisse, sed successione: *Ait enim ille*, Regni Francorum gubernacula Meroveum accepisse: cui Childericus successit: Childerico ex *ejusdem Aimoini c.* 12. Clodoveus filius hæreditario jure, non electione. Quid plura? mortuo Clodoveo primo Francorum Rege Christiano, quatuor illius filii Theodoricus, Clodomirus, Childebertus, & Clotarius, regnum inter se æqua lance dividunt, ut verbis *Aimoini* utar, qui te jam, Hotomãe, quater mendacii arguit: in qua divisione, quæ aliter facta non judicabitur, quàm hæreditario jure, nullum consensum cõcilij accessisse satis constat. Atqui si ista non sufficiunt, series ipsa Regũ post istos te etiã mendacem probat. Childeberto mortuo sine liberis, solus ex Clodoveo regnavit Clotarius, cæteris fratribus mortuis, qui etiã

ut idem author est, cap.ultimo lib. 2. reliquit filios regni hæredes: quorum hæc sunt nomina, primus Cherebertus, sequens Gunthranus, tertius Chilpericus, quartus Sigebertus, & sic de cæteris Merovingis usque ad Carlovingos. Ita enim Hotomanus progeniem Merovei & Caroli Magni appellat. Sed ait ex *eodem Aimoino li.* 4. *cap.* 51. mortuo Dagoberto Franci, Danielem quendam clericum cæsarie capitis crescente, in regnum stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. At proh dolor, quantum sudoris impendit in mendacio struendo! Debebat Iurisconsultus animaduertere, *jura* ad eas res aut negotia aptari, quæ frequenter accidunt, non quæ perraro. Sic ille meminisse illius non debebat: à Pharamundo enim, quem ille primum Francorum Regem nominat, ad Danielem Chilpericum, trecenti anni elapsi sunt, & sic jure hæreditario, & non electione, per trecentos annos regnum Francorum delatum extitit. Pharamundus enim regnum adeptus est anno Christi 420. ex *Tilio* & aliis:

ex

ex *ipso Aimoino* Daniel Chilpericus ann. 722. eo scilicet tempore, quo successio illa (quam tu Merovingorum vocas) defecit. Atqui non animadvertis, non successionem istis exemplis damnatam, sed successores. Nescis bonos principes, malos habuisse successores & hæredes, hæreditatem tamen bonam, justam & legitimam dici. Hîc virus ostendit Hotomanus, hîc qua mente, quòve animo scripserit, docet, nempe unico exemplo regni successionem auferendam: imò quoties Hotomano & aliis seditiosis libuerit, Regem creandum. Sic Tyranni in Romano Imperio prætexentes Imperatorum quorundam ignaviam, Imperium Romanum arripuerunt. Occisis enim duobus Gallienis AA. xxx. tyranni Imperium Romanum lacerarunt, totumque vastarunt. Probo imperante, quem verè probum testatur *Vopiscus in ejus vita*, quatuor tyrannos Imperium Romanum sustinuit, Firmum scilicet, Saturninum, Proculum & Bonosum, quos tamen electio & favor
 mili-

militaris provexerat, & fortasse non sine causa, saltem probabili. Vide quid sibi vult cantatissima tua electio, vide quo tendat: nempe ut suffragiis vilissimorum seditiosorum & factiosorum hominum Francogallia Reges habeat, posthabita propagine regia, eaque cælitus donata: imò, ut liceat Hotomano, quemadmodum Didio Juliano Jureconsulto, regnum emptis suffragiis arripere: Eò enim tendunt illa exempla aut mendicata; eò tendit tota Hotomani oratio, eò spectat libellus. Sic Catilina statum reipub. Romanæ bene constitutum non ferens, bellum patriæ indixit, ascitis secum (*ut ait Salustius*) quibus opes nullæ erant, qui semper bonis invident, malos extollunt, vetera odere, nova exoptant, odio suarum rerum mutari omnia student: turba atque seditionibus sine cura aluntur, quoniam egestas habetur sine damno. *Item*, Qui ubique probro, atque petulentia maximè præstabant: alii per dedecora patrimoniis amissis; postremò omnes, quos flagitium

gitium & facinus domo expulerat. Præterea multi memores Syllanæ Victoriȩ quod ex gregariis militibus alios Senatores videbant, alios ita divites, ut regio victu atque cultu ætatem agerent, sibi quisque, si victoria in armis foret, talia sperabat: Ascitis præterea tibi & tuis similibus, quorum parentes proscripti, bona erepta, jus libertatis imminutum erat: qui, *ut inquit ille*, haud sanè alio animo eventũ belli expectabant: & quicunque aliarum atque Senatus partium erant, conturbari rempub. quàm nimis valere, ipsi malebant: &, ut uno verbo dicam, quibus ille artibus rempub. Romanam, perdere cogitabat, Hotomanus cum suis nostrum Regnum à Deo constitutum, ope illius auctum & conservatum, evertere conatur: idem illi animus, eadem voluntas, idem præmium. Vide quàm bene *Salustius* de vobis in persona Catilinæ vaticinatus est: vide quàm benè tibi conveniunt, quæ de eo dicta sunt: restat & manet similis exitus: hoc enim seditiosorum

præmium est, ut tandem pœnas impietatis suæ persoluant. Nam, *ut inquit Marcellinus lib. 14. post Platonem*, hæc & hujusmodi quædam innumerabilia, ultrix facinorum, impiorũ bonorumque præmiatrix operatur Adrastia, quam Nemesim & angelum judicii, omnium malorum consideratricem, *Plato lib. 4. de legibus* vocat: plura, veraque, ad hanc rem dici possent, quæ prætermissa volui: non enim conviciis cum istis ago, quos superiores hac parte scio. Sed veritate mendacia tollo. Proinde quod Hotomanus ex *eodem Aimoino lib. 4. cap. 67. ait*, mortuo Rege Pipino, filio ejus Carolum & Carolomanum, consensu omnium Francorum Reges creatos fuisse, non magis probat suam electionem, quàm locus Pharamundi. Sed quia Hotomanus per centones argumenta petit: ego rem repetam, quam tamen silentio perpetuo non tegendam, sed obruendam existimarem, quia exemplis talibus non territi mali, sed magis docti videntur. Qua ratione *Plato lib. 1. de legibus*

gibus culpat Cretensium fabulam de Ganymede, quod adversus Jovem ficta sit, ut cum ab eo (*ut ille inquit*) leges ipsorum originem habuisse credantur, eum Deum imitantes qui leges tradidit, hac etiam voluptate fruantur. Et Terentianus ille Chærea exemplo fuci facti mulieri per Jovem, vim puellæ infert lubens. Benè igitur *Lampridius* protestatur *in vita Heliogabali*, ad Constantinum nunquam se vitam illius in literas misurum, ne quis fuisse Romanum principem sciret, imò magis ne imitaretur. Scio ego Regnum Francorum multos eosque probos, pios & Christianissimos habuisse principes: & ignavos quosdam, ut sunt res humanę. Sic Romanum Imperium: sic denique regnum Judæorum: sic monarchia Assyriorum & Persarum. Nullum enim fuit regnum, nullus principatus, nulla denique respub. quæ bonos semper tulerit Principes, aut magistratus: eadem enim terra, ut ibidem Lampridius, & venenum fert, & frumentum: alia salutaria, alia con-

traria: eadem serpentes, & ciconias. Hoc tamen interesse inter bonos principes & malos, quod ij diu imperarunt, & exitu naturali ut plurimum functi sunt: alij amisso regno, vita denique miserè privati. Ii memoriam sui præclaram & optabilem reliquerunt: alij interfecti, tracti, tyranni meritò appellati: & cum vita, damnata eorum fuit memoria. E quorum numero, scilicet ignavorum, in regno Francorum, & è Merovingis fuere ultimi Chilpericus, antea Daniel dictus, Theodoricus Cala, & Childebertus stupidus: qui nudum nomen Regis habentes, summa rerum penes Carolum illum Malleum Austrasii Pipini filium erat. Cui facilè fuit, licet nomẽ Regium dicatur repudiasse, in suos regnum traducere: quod quia per successionem facere non poterat, tanquam alienus à Meroveo, alia via aggreditur, nempe partim vi, partim consensu eorũ quos beneficiis sibi conciliarat & devinxerat. Itaque tribus filiis relictis, Pipino, Grifone, & Carolomano, duobus sublatis,

latis, Pipinus, consulto prius Zacharia Romano Pontifice, Rex Francorum appellatus est, & in Regem inunctus & inauguratus Bonifacii Moguntini episcopi manu, ut *idem Aimoinus* testatur *eodem lib. cap.* 61. mox ab Stephano summo pontifice, tunc in Gallia profugo, filii ejus Carolus, qui Magnus postea dictus est, & Carolomanus, Reges uncti fuerunt, ut *eodem cap.* quod Hotomanus silentio tegit, & solius consensus populi facta mentione, suam electionem ex illo *Aimoini* loco probare contendit, cùm tamen locus ille, nihil ad illius mendacium & commentum faciat, ut excutienti patere potest. Quem etiam non juvat testamentum Caroli Magni, quo constat Magnum Ludovicum Pium scripsisse hæredem Regni Francogalliæ, Bernardo nepote creato rege Italiæ, ut ex *Naucleri* loco supra citato liquet. Quod etiam *Aimoinus lib.* 4. *cap.* 102. testatur his verbis: Cujus rei nuntium (loquitur de Caroli Magni obitu) cùm

cùm Ludovicus filius ejus in Aquitania apud Theoduadum villam, ubi ipſe tunc hybernabat, plurimis deferentibus accepiſset, triceſimo poſtquam id acciderat die Aquaſgrani venit, ſummoque omnium Francorum conſenſu ac favore patri ſucceſſit. & quæ ſequuntur. Quod autem conſenſus mentionem facit, ad electionem referri nullo modo poteſt. Sed intelligendum eſt omnium conſenſu, id eſt omnium votis, omnium expectatione & deſiderio, quod clarum efficitur *lib.* 5. *cap.* 10. *Appendicis ad Aimoinum* his verbis: Venit ergo Imperator (loquens de Ludovico, quem à patre Diadema accepiſse, *cap.* 9. dixerat) Aquiſgrani in palatium, & à propinquis atque multis Francorum millibus cum multo favore eſt receptus, Imperatorque ſecundò declaratus. Quid plura? ſedato tumultu, qui inter Pium & filios exortus erat, cum maximo Francogalliæ incommodo, & horrendo tacendoque exemplo, à Pio regnum inter filios diviſum teſtatur *idem Aimoinus lib.*

nus lib.5.cap. 18. non electione populi: ut verum sit, non solùm Merovingorum temporibus, sed & Carlovingorum filios in regno patribus successisse. Sed quia res humanæ instabiles & mutabiles sunt, & nihil est quod perpetuò stare possit, quemadmodum Merovingis perperam & per ludibriū administrantibus, ut superius docuimus summa rerum illis adempta est, & ad progeniem Pipini translata: Sic vicissitudine quadam, & occulto Dei judicio ex Carlovingis, non minus luxuriosè agentibus, & administrantibus, transivit ad Capetum, sive in ultionem prioris perfidię, sive quòd progenies Pii ita erga parentem sese impiè gefserit: vindicat enim Deus & ulciscitur filiorum delicta erga parentes, etiamsi sera sit vindicta. Cùm enim, *ut sacra docet scriptura*, secundus à Deo honos parentibus debeatur: Et, *ut Plato lib.4.de legibus inquit*, putare quisque debet, omnia quæ possidet eorum esse qui genuerunt, & educarunt, ita ut illis omnia pro viribus ministrare debeat:

beat: Primùm quidem externa bona, deinde etiam corporis, poſtremò quæ ad animum pertinent: hæc omnia videlicet mutuo data persolvens, & pro curis doloribuſque priſcis parentum, in ſenecta recentes reddens, quando maximè indigent: in verbis quinetiam per totam vitam parentes venerari maximè deceat, adeò ut levium ac volatilium verborum graviſſima immineat pœna: &, ut ille ait, omnibus propoſita ſit Nemeſis judicii angelus, hujuſmodi omnium conſideratrix: adeò ut oporteat iratis animūque explentibus cedere, ſeu verbis ſive rebus id faciant, non ignorantes patrem jure admodum filio valde ſuccenſere, ſi quando injuriam ſibi fieri arbitretur. *Hæc ille.* Itaq; non mirum ſi parentum nequiſſimorum proles paternas luerit pœnas: quæ tamen quia Dei judicio ſummittenda ſunt (qui ut dicebat Chilo ille Lacedæmonius, unus ex Septem ſapientibus, excelſa deprimit & humilia extollit) latiùs proferre, nec pium nec æquum exiſtimo.

Re-

Regna enim & poteſtates à Deo conſtitutas docet ſacra ſcriptura, & Reges in manu illius eſſe: nec mirum ſi illi maximæ curæ ſint, quos Pythagoricus Ecphantes vocat unicum & excellens quoddam opus, quia ſit Imago ſuperni illius Regis, creatori ſuo ſemper familiaris. Quod verò de Childerico Clodovei patre à ſuis expulſo citat Hotomanus ex *Gregorio Turonenſi*, *lib.* 4. *cap.* 51. non probat ille locus, electione in Francia Reges fieri: Aliud eſt enim Regem ob facinora pellere, Regno deturbare & deiicere, aliud Regem eligere. Præterea non debebat vir ille vetus illud exemplum proponere, ut pote Regis idololatræ, & non Chriſtiani: ſed non veretur belluina illa exempla nobis adducere, dum modò mendacium ſuum illis juvare poſſit. Itaque aliud de Sigeberto ad Chilpericum è regno Franciæ deturbandum, evocatum à Francis quibuſdam, magis tacendum quàm vulgandum profert exemplum. Nam cer-

certum eſt Sigebertum à quibuſdam flagitioſis tui ſimilibus evocatum: nec mirum, ſi ſpreto ſancti Germani Epiſcopi conſilio tragicè Sigebertus objerit, pœnaſque infidelitatis luerit, ut ex eo *Turonenſi* loco vidit Hotomanus, nec tamē erubuit proferre. Vide quomodo per ſcelera ſit iter ad ſcelus: vide quomodo te prodis factioſe: vide quam Rempub. probas, imò funeſtam tyrannidem. Quod ait Hotomanus, Sigebertū conſentientē Francis Regē conſtitutum, ac Regnum Chilperici fratris ſui adeptum, repugnat iis quæ à *Turonenſi, loco ſuprà citato* dicta ſunt. *Sic enim habet.* Spreto per Sigebertum ſancti Germani conſilio, eoque veniente ad villam (cui nomen eſt Victoriacum) collectus eſt ad eum omnis exercitus, à quo impoſitus clypeo Rex eſt ſalutatus: tunc duo pueri cum cultris validis utraque ei latera feriunt: at ille vociferans, atque corruens, non poſt multò emiſit ſpiritum, & cum eo Charegiſilus cubicularius ejus. Habes præmium perfidiæ & proditionis: habes,

habes, quid alieno Regno inhianti acciderit: & hoc tu fortaſſis probas, & ais lege Francica licere. Viderit Lector, quid de cæteris judicet. Jam ſatisfactum iſtis arbitror pio lectori, non ſeditioſo, nempe Regnum noſtrum non electione, ſed ſucceſſione delatum ſemper fuiſſe, & proximis agnatis. Quòd ſi aliter aliquando acciderit, id factum magis ob ignaviam Regum, quàm alia ratione: nec trahendum ad exemplum, ut noſtri ajunt, de iis quæ rarò accidunt. Nec movet quòd paſſim legitur apud *Turonenſem*, *Adonem*, *Aimoinum*, *& alios*, Francos in Regem conſtituiſſe, ſublimaſſe, elevaſſe, clypeo erexiſſe, & cætera hujuſmodi, quę magis pertinent (ut ſuprà dictum fuit) ad inaugurationem, quàm ad electionem. Solebant enim Regni Proceres, in Regni auſpiciis, frequentes convenire, Regem novum ſalutare, ſacramentum præſtare, & in verba novi principis jurare, qui mos adhuc obtinet: ut ſatis ex dictis authoribus elici poteſt, quod nihil tamen pertinere ad

d ele-

electionem certum est. Quibus addam externorum testimonium: sic enim *Georgius Cedrenus græcus historiographus*, *in compendio suæ historiæ* (scripsit ille ab exordio mundi usque ad Isaacium Comnenum Imperatorem Constantinopolitanum 1057) memoriæ proditum est, Regem Franciæ consuetudine sic obtinente, Regnum per stirpem à majoribus suis ad se delatum gerere.

IN CAP. VII.

EOdem artificio Hotomanus quærit, cap. 7. pluribus extantibus Regis demortui liberis, quid *juris in hæreditate* observaretur: nempe dum talia in dubium vocat, nihil aliud vult, quàm toties nostræ Reipub. incomodis expertas seditiones, & sopitas, adhuc redivivas facere & renovare: ut si qui audaciores sint, aut Hotomanicæ factionis, & novandarum rerum cupidi, non desint exempla partiti Regni contra jus fasque. Sed quia errores nō

aliter

aliter tueri poſſumus, niſi exemplis, & qui exemplo peccat, non tam peccaſſe quàm aliorum peccata imitatum eſſe, ſæpè judicamus: Iſta oratione Hotomanus longè ab arte boni & æqui quam profitetur, noſtrum Regnum, quod priùs ſuffragiis & electione populi deferri dixerat, diviſum vult: & quærit, pluribus extantibus liberis, quid juris in hæreditate Regni obſervaretur. At non te pudet, homo leviſſime, nunc hæreditarium facere, quod prius arbitrio alieno, & liberalitate Polonica, Dacica, Suetica, & Germanica pendere dicebas. Vide quàm parum tibi conſtes. Hæreditas eſt ea quæ in noſtro jure dicitur ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habuit. Itaque cùm hæreditatis mentionem facis, te propriis pennis configis, & fateri cogeris, non electione, ſed ſucceſſione Regnum hoc noſtrum delatum ſemper fuiſſe. Ad tuam tamen quæſtionem, imò potius ſchiſma, ecce, Claſſice, quid ſentiam. Nemo eſt qui neſciat Regnnm Fran-

corum, primis temporibus inter liberos masculos fuisse divisũ. Locus enim ille filiorum Clodovei primi hoc abundè docet. Sed quanta ex hujusmodi divisione nata & orta dissidia sint, cum alter alterius imperio grassaretur, & portioni hæreditariæ inhiaret, debebas docere, ut saltem illorum exemplo alii discerent. sed vide fructum. Bellum inter filios Clodovei ex divisione ortum, *Aimoinus lib.* 11. testatur, & *apud eundem, cap.* 21. Theodoricus fratri Clotario parat insidias ob Regnum, Childebertus & Clotarius, nepotes ex fratre Clodomiro, insontes de medio tollunt, mox pugnant invicem. Chrannus adversus Clotarium parentem bellum parat. Prætereà filii Clotarii propter Regni paterni successionem, movent inter se controversiam, ex *eodem lib.* 3. *cap.* 1. & sic de cæteris, quos recensere longum & miserum esset: Nec enim ista literis commisissem, tanquam obruenda perpetuo silentio, ni coëgisset Hotomanus, qui plurimùm hujusmodi exem-

exemplis delectatur. Ad rem redeo. Hanc quæstionem non esse otiosam Hotomanus multis ait: Nam, inquit ille, cùm penes populi comitia, & publicum gentis concilium, non modò deferendi, verumetiam adimendi Regni summa potestas esset: Illud necessariò consequitur, in ejusdem arbitrio fuisse, utrum omnibus æqualiter, an uni tantum, Regni successionem deferret. Sed cùm utranque propositionem falsam docuerim & consequens falsum esse necesse est. Itaque otiosa erit, imò planè anilis secunda quæstio, Si populus filio repudiato alium eligeret, ecquid tamen ad dignitatem suam tuendam relinqueretur. Quasi id acciderit unquam superstite eo cui ademptum Regnum extitit. Vis ut ego externorum exempla proferam? nam ad Reges nostros id non pertinet, nec unquam pertinuit, ut testatur *Procopius*. Nerone occiso, Galba, Otto, & Vitellius Imperium arripuerunt, mox pugnando invicem conciderunt: ut ipsi Vitellio saluti

non fuerit, velle deponere Imperium, qui, *ut ait Suetonius*, soluto à latere pugione, Consuli primùm, deinde illo recusante, Magistratibus, ac mox Senatoribus singulis porrigens, quod signum erat depositi imperij. Sic Caracalla Bassianus Getam sustulit: & multi alii, quos recensere longum esset, ut prætercam Germanicum dolis Tiberii occisum, Diocletianum & Maximianum: hunc hausto veneno, alterum immisso percussore à filio. Non insulsè igitur Periander Corinthiorum tyrannus respondit roganti, cur in tyrannide persisteret: Quia, inquit, sponte & invitum cedere æquè periculosum est. *Plura* dicerem, nec deficeret oratio: sed tam horrida, tragica, & tetra electionis tuæ exempla, tibi (qui libens amplecteris) relinquo. Vide tamen quàm paruo momento tua labascunt fundamenta. At utinam hæsisses iis, quæ isto capite à te dicta sunt, de quadrifaria rerum, quæ in ditione principis sunt, divisione, ex Romana prudentia. Certè le-

ctio

ctio illa, in qua te multum versatum & excellere nemo est qui nesciat, digna esset tanto artifice. Sed cùm bella tonas, non facis ex tuæ disciplinæ præscripto & instituto. Quod autem subdis, Ergo Rege demortuo (si ad extraneum) non probo quandiu proles extat mascula, sive directo, sive ex transverso. Si verò sint filiæ tantùm, hoc locum habere, quod ait Hotomanus, nempe aliquid filiabus largiendum, tuendæ dignitatis Regiæ causa: non tamen patrimonii, quod domanium ex *Chopino* vocamus, vel ex *Iust.* rem dominicam. Cujus illæ moribus nostris incapaces sunt, semperque fuere, ut satis liquet ex illo Caroli Magni testamento apud *Nauclerum:* de filiabus enim sic statuit, Quæ autem justè & rationabiliter à condigno viro ad conjugium quæsita fuerit, eique conjugalis vita placuerit, non denegetur à fratribus suis, si & viri postulantis, & fœminæ consentientis honesta & rationabilis fuerit voluntas. Ex quo apparet, nihil de dote

filiarum caviſſe, imò totum hoc fratrum arbitrio reliquiſſe, cùm prius inter filios Regnum diviſiſſet. Locum verò *Aimoini lib.4.cap.17.* de Dagoberto & Ariberto, quem alii Heribertum vocant, depravatum ab Hotomano eſſe, legenti patere poterit. Non enim (*ut ille vult*,) urbes & pagos prope Ligerim Ariberto fruendos dediſſe Dagobertum, neque pepigiſſe cum eo, ut privato contentus habitu, nihil amplius de paterno regno ſperaret. Imò verò (*ut inquit ille*) amicorum conſilio, fratrem ex parte Regni conſortem fecit, collata ei provincia, quæ à ripa Ligeris Vaſconiam verſus, extenditur, uſque ad Pyrenei juga montis, qui Galliam ab Hiſpania diſterminat, & ea portione contentum, nihil amplius de paterno ſperaret Regno. *Addit poſteà*, adeptum portionē cum dignitate Regia, *his verbis*: Qui ubi partē adeptus eſt, ſedem Regni Tholoſam eligens, *& quæ ſequuntur*. Quem *eodem lib. cap.* 24. Regem Aquitaniæ vocat: tantum abeſt ut tuendæ ſolùm dignitatis cauſa,

ſa, portionem Dagobertus Ariberto largitus ſit, ut vult Hotomanus. Nec magis verum eſt quod ille eodem cap. dicit, ſucceſſionem regnî non hæreditariam eſſe, quod falſiſſimum ſuprà monſtravimus. Et ille locus Dagoberti cum Ariberto ita convincit, & ſua poſtrema narratio id probat: quod etiam èx *Agathio* (quem nominaſſe ſatis illi viſum fuit) abundè teſtatum extitit. Vixit ille temporibus Juſtiniani, noſtroſque Francos, & eorum inſtituta cùm maximè laudarit, ut Græcis ipſis anteponat *lib.* 1. *circa principum, ſic ait*; Franci igitur cùm optimum degant id vitæ genus, ſeipſos imprimis, & proximos quoſque pervinciunt: & ex parentibus filii Regna ſuſcipiunt. Conſtat ſanè Childebertum, Clotarium, Clodomirum, ac Theodoricum, germanos fratres fuiſſe: hi patre defuncto in quatuor partes diviſum Imperium, quantum cognitione capere potui, æquam ſinguli partem civitatum & gentium accepere. *Idem Aimoinus ut ſuprà.* Ex quo ſaltem loco poterat

rat Hotomanus videre, regnum hoc ex parentibus filios accipere non electione, sed hæreditario jure. Sed quia locus ille *Agathii* multum detrahit de Hotomani concepta opinione, noluit libro suo inserere, ea scilicet ratione quòd ille, ut dixi, instituta nostra plurimum probet, ac laudet. Non est ergò cur Hotomanus errores suos ignoratione tegat, cùm ait certum hac de re jus Francogalliæ nullum reperisse. Cùm tamen veterem consuetudinem pro lege esse, ipse ex disciplina, quam profitetur, satis sciat: & in divisione non Regni, sed illustris cujusdam domus tantùm, maximè si ducatus aut comitatus honore dignetur, morem veterem, destinationem & legem familiarem domus, sæpissimè jus facere, ut ille novit, & tamen malo animo ignorare fatetur: & ad populum, cujus judicium tam magnifacit, vel, ut ipsius verbis utar, ad arbitrium publici concilii semper relatum falsò adseveret. Quod ille subjungit de Rege Philippo tertio, id ad jus appan-

nagii,

nagii, vel, ut vult *doctissimus Burdinus Regius generalis cognitor*, ad portionem quæ ex Diademate vel Canone Regio delibatur, & fratribus masculis, & eorum masculis tantùm addicitur, ex veteribus nostris institutis pertinet. De quo alibi, parcè tamen, nam extat liber hac de re *Chopini Andii Iureconsulti, & patroni causarum in Curia Parlamenti disertissimi*, nuper in lucem editus.

IN CAP. VIII.

DE lege Salica, & jure mulierum in Regum parentum hæreditatibus, hoc octavo cap. Hotomanus tractat: & certè hic locus planè difficilis est, quippe versatur in maxima caligine: nam hactenus satis incertum est, quo tempore lata fuerit hujusmodi lex, cujus tamen fragmenta extant: tandem constat, idque in dubiũ non vocatur, Legem fuisse sive scriptã, sive non scriptam, quam tamen usus frequentissimus, receptissimus, & omnium antiquissimus approbavit: non enim leges ob

ob hoc sunt, quòd scriptæ, sed quia receptæ. Sic Romæ Regibus extantibus, quemadmodum Lacedæmoniis nullum erat jus scriptum, donec ejectis regibus, repub. constituta, leges à duobus populis mendicatæ, in tabulas redactæ fuerunt, ut testatur *Livius*, & *Tacitus libro Annalium* 3. non tamen minus dicemus, Romanos sine lege, quòd scriptas non haberent. Sed quòd Francis leges fuerint, audi *Agathium eodem lib.*1. De Francis nostris *sic ille*: Nam primo illo rejecto, & prisco vivendi modo, imperantium utitur institutis, tametsi tempore videatur non admodum dignitate defectior: nimirum cùm Germani haudquaquam sint, ut plurimi Barbarorum, pastores: sed Romanorum politia & aliis institutis & multis utuntur: iisdemque legibus vivunt, & cæteris. Iidem, ut in conventibus faciendis, & nuptiis medelisque eadem statuunt: sunt quippe omnes hi Christiani, & rectissimæ inter cæteros omnes opinionis: habent præterea per civitates antistites, sacer-

cerdotesque: festos insuper haud secus ac ipsi nos peragunt dies: & sanè hi mihi, & si cætera Barbari, moribus tamen videntur quàm optimis præditi, & maximum in modum civiles, nec habere quod à nobis faciat alienos, præter vestitus barbariem, & vocis innatæ sonum, linguæque. Quos equidem cùm ob eorum virtutes, tum ob in cæteros æquitatem, interseque concordiam, mirum in modum admiratione ac laudibus prosequor, & magnifacio. Nam & si antehac sæpè, & nostris his quidem temporibus, in principes tres, pluresue eorum sit partitum Imperium, nunquam tamen in invicem bella suscepisse hos constat, nec civili patriam sanguine inquinasse. Quum alioquin ubi magna esse videntur, & non impares aut dubii potentatus, ibidem & necessarium sit omnino, & multis de causis inflatos animos fieri, honorumque exoriri & primatus cupiditates, & infinitos alios animorum affectus, ut perturbationis ita & seditionum plenissimos: apud hos

hos tamen,& si divisa Imperia sint, nihil prorsus offertur hujusmodi. *& quæ sequűtur.* Ex quo loco satis infertur, Fráncos non exleges fuisse, imò optimis legibus & institutis semper usos, in Regni & Imperii successione: quod, *ut mox dicit*, filii ex parentibus suscipiunt, ut clarius fit ex altero *ejusdem authoris lib. primi* loco. *Ait ille.* Theodoberto mortuo (is erat filius Theodorici filii Clodovei) Theodobaldus filius Regnum suscēpit, quem, & si juvenis admodum esset, & sub pædagogo adhuc nutriretur, lex tamen patria ad paternum Regnum vocabat. Habes, Hotomane, quod te tantopere torsit, nempe legem patriam filios vocare ad Regnum. Lex ergo apud Francos de Regno semper fuit, quam Saliorum fuisse, id est Francorum, ita enim eos *Marcellinus* vocat, non erit absurdum dicere, indeque etymon traxisse, dictamque Salicam. Torquebit te etiam locus hic, ex quo non electione sed lege patria, & hęreditario jure, Regnum deferri dicit: quòd cùm tibi ignotum

non

non extitiſset (citaſti enim *Agathium*) de induſtria omiſiſti: &, ut conjectari poſsum, expunxiſses & detraxiſses de authoris libro, ut tuum de electione Regnum noſtrorum commentum veritatis umbram prætexeret. Non male igitur *Gaguinus*, & cæteri noſtri ſcriptores, & inter eos *Chopinus*, & *Guillelmus Poſtellus* poſt *Seſſelium*, hanc legem Pharamundo tribuunt, quibus aſsentiri videtur locus ille *Agathii*, qui hanc quæſtione claram reddit. Tandem nemini dubium eſse poteſt, niſi his qui omnia vocare in dubium ſolent, quæ ſibi non probantur, legem fuiſse: & illius extant plurima manuſcripta exemplaria. Ex quibus falſum eſse oſtenditur, imò falſiſſimum & notæ impoſturæ, quod Hotomão placet, legis illius capita, non de publico Regni jure, ſed de privato fuiſse, ut legis illius verba clarè ſonant, nec egent cavillatoris, aut Sophiſtæ cujuſdam interpretatione quæ ſic habent: De terra Salica nulla portio hæreditatis mulieri veniat, ſed ad virilem ſexum tota
ter-

terræ hæreditas perveniat: quod de ſacro principis patrimonio & regno dictum eſse quis dubitabit? cùm excluſis fœminis, ſolos virilis ſexus vocet: neque niſi aſsertor mendacii, aut tui ſimilis, auſit negare, excluſa filia portione terræ Salicæ, regno juſtè poſſe inhiare: furentis enim veſaniæ eſset, & omnino deſipientis, cui portio quantulacunque negatur, totum petere velle: & tamen aliter ſentit Hotomanus, & audet ille legum noſtratum horrendus corruptor & depravator contra morem majorum nullo exemplo, nullo authore, fœminas ad regni ſucceſſionem vocare: quum inter omnes authores conveniat, nullam fuiſse gentem quæ minus paſsa ſit mulieres regnare, quàm Francogallos quos vocas: dico vocare: quid enim aliud vult ille pſeudo-francogallus, cum ait, nullum nec Salicæ, nec Francicę extare ſtatutum, quo mulieres à regni hæreditate arceantur? idque tantùm more gentis tanto ſeculorum conſenſu confirmato, quod legis

legis ſcriptæ vim obtinet, quaſi velit dicere, legem non eſſe: cùm tamen *Vlp. l. 1. de off. proconſul.* & *Hermogenianus lib.* 1. *Iuris epitomarum* doceant, quæ longa conſuetudine comprobata ſunt non minus quàm ea quæ ſcripta ſunt jura, ſervanda: & *Paul. lib.* 7. *ad Sabinum* tantum huic juri tribuit, & in tantum probatum eſſe aſſerit, ut non neceſſe fuerit ſcripto id comprehendere: notum enim eſt ſcripturam magis legem continere, quàm facere, quemadmodum de noſtris ſtatutis municipalibus dicere poſſumus. Nullum enim in tota Gallia antiquitus jus municipale ſcriptum fuiſſe nemo neſcit, & quod in ſcriptis redactum extitit non eſt antiquius centum annis: cùm tamen omnibus notum ſit, Galliam aut Francogalliam ſuis legibus municipalibus & conſuetudinibus perpetuò uſam, ut *Agathius loco ſuprà citato, & Cæſar Commentariorum lib.* 6. teſtantur. Illius enim conſuetudinis aut legis, quæ de re uxoria & ſocietate inter virum & uxorem eſt, penè in tota

Francogallia, meminit Cæſar his verbis: viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex ſuis bonis, æſtimatione facta, cum dotibus communicant: hujus omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur fructuſque ſervantur: uter eorum vita ſuperarit, ad eum pars utriuſque cùm fructibus ſuperiorum temporum pervenit. Cæterùm, communi lege Francogallorum, fœminas à regni hæreditate arceri, tum uſus omnium antiquiſſimus, & hactenus obſervatiſſimus, tum caput legis Salicæ id manifeſtum faciunt. Qui autem legem hanc Philippo Longo tribuunt, hi planè cæcutiunt: Nam ſexcentis amplius ante eum annis, nempe à Pharamundo uſque ad tempora Longi, legem illam ſive ſcriptam ſive non, ſemper viguiſſe manifeſtum fit ex ſupradictis. Nec ſolùm apud Francos lex illa viguit, ſed eodem fermè tempore in Africa apud Vandalos: Narrat enim *Procopius lib. 3. de bello Vandalico*, Gyericum Regem teſtamento caviſſe, ut ſoli qui

pro-

proximi essent virilis sexus, atque inter eos, soli majores natu, sibi & posteris Vandalicis Regibus succederent. Addi multa possent: sed quia locus ille eget altiore indagatione & observatione, & sunt qui nihil intactum hac parte reliquerint, prætermissa volui: Interim sufficiat docuisse, legem Salicam non esse commentum, ut vult Hotomanus, & antè eum Gallicus quidam scriptor hujus temporis, plus superciliorum gerens, quàm doctrinæ. Sed jus antiquissimum fuisse Francogallorum, quo soli masculi vocantur ad regni successionem, idque gradatim, & secundum ordinem divinæ naturæ, secundum quàm omnia quæ rectè facta dicuntur, ordine & successione facta sunt, ut eventus probat, qui omnia solet probare. Nullum enim est in toto orbe, fuit, aut erit, diuturnius Regnum, & Imperium, quàm Francorum: istis scilicet duobus fundamentis: primo, quòd filii Regnum à patre accipiunt, nõ electione, sed successione: secundo, quòd mulieres à Re-

 gno

gno arcentur: Regna enim longiora & firmiora successione, quàm electione semper fuisse, Imperium illud, ut dixi, Romanum, discerptum & è medio sublatum exemplo nobis esse potest. Itaque bene vocat *Plato* Regnum optimæ gubernationis statum, illudque bifariam scindens, aliud ait esse secundum legem ut Carthaginiensium: aliud secundum genus, ut Lacedæmoniorum, Macedonum, & similium. Per genus autem Lacedæmoniorum Reges dominantur, *ut inquit ille*: nam ex genere Regnum sortiuntur. Eodem modo & apud Macedones, Reges imperant: quippe & illic Regnum ex genere institutum est, quam formam ille magis probare videtur. Qui autem legem illam Salicam feudis tantum tribuunt, Ducatibus scilicet, Comitatibus & hujusmodi, hi majore errore ducuntur. Ducatus enim, Comitatus & hujus generis, officia tantum & dignitates virorum temporales olim erant & non hæreditariæ, in quibus non magis filiis quàm filia-

filiabus portio debebatur, nisi Regis beneficium filii meruiſsent, ut notum eſt: unde ad Regni ſucceſſionem latam, ex ſupradictis dicendum eſt.

IN CAP. IX.

NOnum Caput quod de jure Regalis capillitii eſt, non eget majore obſervatione. Ipſe enim Hotomanus, & ante eum *Beatus Rhenanus*, à quo orationem fere totam ſumpſit: & ante *Rhenanum Agathius*, *Turonenſis*, *Aimoinus*, id docent. Miror tandem tam fœdè lapſum Hotomanum, ut exiſtimet Clotildem Reginam, ex *Turonenſi lib.* 3. *cap.* 18. maluiſse caput, potius quàm comam nepotibus ex filio Clodomiro abſcindi; non enim illam ob comæ amputationem, tam aſperam, cruentamque mortem filiis optaſse credendum eſt: quod coma paucis emenſis diebus renaſci, creſcere & reviviſcere poterat, ut de Gundobaldo, qui ſe Clotharii Regis filium aſserebat, cui licet à Clothario Clotharii primi filio

coma fuisset amputata, mox à Sigeberto Clotharii fratre non destitit Regno inhiare, Ennii cognomento Mummoli ducis opera, & factione, crescente cæsarie, *ut idem refert lib. 6. cap. 24.* Sed videbat Regina, ista amputatione comæ nepotes Regno paterno dejectos, & in monasterium trusos, vel clericos factos, quod apertè indicant verba Reginæ apud eundem: Satius enim mihi est (inquit illa) si ad Regnum non eriguntur paternum mortuos eos videre, quàm tonsos, id est fieri clericos, aut monachos. Sic enim vocat *Turonensis* capillos incidere *eodem lib. 3. cap.* 18. *ubi ait* Clodovaldum, postposito Regno terreno ad Dominum transiisse, & sibi manu propria, capillos incidisse, clericumque factum, bonisque operibus insistentem, presbyterum ab hoc mundo migrasse: *& lib. 2. cap.* 41. *ait*, Clodoveum primum Charaticum Regem circumventum dolis cepisse cum filio, victosque totondisse, & Chararicum presbyterum, filium verò ejus diaconum ordinari

nari juſſiſse, filiumque patri ægrè admodum ferenti & flenti reſpondiſse, In viridi ligno hę frondes ſucciſæ ſunt, nec omnino areſcunt, ſed velociter emergent, ut creſcere queant, Hæc ille. Itaque non eſt credendum Clothildem, ſolius comæ amputatione adeò territam extitiſse, tamque efferam, ut potius caput, quàm capillitium nepotibus abſcindi optaiset, quam *idem Turonenſis lib.4.c.1.* bonis operibus præditam dicit: Nolo tamen negare, Reges primos Francorum, & qui Regii erant ſtem̃atis, comam aluiſse, ex *eodem Turo.l.6.c.24. Sic enim ille* de Gundobaldo: Cùm natus eſset in Galliis, & diligenti cura nutritus, ut Regum iſtorum mos eſt, crinium flagellis per terga demiſſis. *& quæ ſequuntur.* Quod etiam probatur ex illo *Agathii* loco *lib.1.* ab Hotomano citato: quem quia Hotomanus mutilum omiſit, ſubiicere non erit otioſum, tum in gratiam eorum qui authore carent, tum ad docendum verum *Agathium*, neque Clodomirum pro Clodoveo, ut ille

 ait,

ait,accepisse, sed de Clodomiro Clodovei primi filio, qui bello adversus Burgundiones quod susceperat hortatu matris Clothildis occidit. *sic habet.* Clodamirus verò, nostri Clodomirum vocant, haud longè post adversus Burgundiones, qui & Gothicæ sunt nationis, duxit exercitum, qui cùm suapte natura, & insolitè esset ad res bellicas promptior, pectus telo transuerberatus occiditur: eo cadente mox Burgundiones coma animadversa profusiore, quæ illi ad tergum protendebatur, sensere se hostium Ducem occidisse: Neque enim fas erat Francorum Imperatoribus, comam tondere, sed à pueris intonsi manent: atque adeò ut à tergo eis defluant crines, nam à fronte discriminati utrinque feruntur: nec sanè Turcarum more, Barbarorumque, impexi & squallidi, sordidioresque capilli his sunt, vel aliàs calami itrati & indecenter perplexi; sed varia his superinfundunt unguenta, & diligenter plectendo expoliunt: idque perinde præcipuum,

puum, & regium decus constitutum est, solis ut Regibus permittatur: nam subditi circuntonsi sunt omnes, nec prolixior eis coma conceditur. Loqui autem *Agathium* de Clodomiro & non de Clodoveo, ut perperam & nullo authore vult Hotomanus, manifestum fit ex *eodem, paulò antè.* Constat, *inquit ille*, Childebertum, Clotharium, Clodomirum, ac Theodoricum germanos fratres fuisse, quos fuisse filios Clodovei primi *Aimoinus* 1. *cap. lib.* 2. testatur. *Sic enim ille*: Quatuor filii Clodovei, Theodoricus, Clodomirus Childebertus, atq; Clotharius, Regnum inter se (æqua lance) dividunt. Certum etenim est, nec unquam in dubium ab aliquo hactenus vocatum, nisi ab ipso oscitante Hotomano, tum ex ipso *Turonensi*, tum ex *Aimoino*, Clodoveum primum non in bello, sed in lecto diem obiisse, bello adversus Alaricum Gothorum Regem confecto. Præterea tantum abest ut male pugnarit adversus Burgundiones, & in eo prælio occiderit, ut vult Hotomanus:

nus: imò verò ut *idem Aimoinus c. 19 l. 1.* asserit, gessit bellum Clodoveus contra Gundobaldum Regem Burgundionum, exercitumque ejus ad internecionem delevit. De Gallia verò comata, & quæ ad hanc rem ab Hotomano dicta sunt, ex *Beato Rhenano* (ex quo ille majorem partem libelli sui, ut dixi, excepit) & *Cedreno*, lubens prætereo, ne actum agam.

In Cap. X.

CApite Decimo Hotomanus quærit, qualis Regni Francogallici constituendi forma fuerit & tanquam sui immemor, hanc quæstionem iterum movet, quasi illa non ex priore oratione pendeat. Videamus ergò quorsum, quâ mente, quóve animo iterum insurgit. Et sanè hîc monuisse lectorem non erit otiosum & inutile, ut ille secum expendat, cogitetque quantum sudoris Hotomanus impenderit, in fallacia sua struenda: cùm enim veritas nullo indigeat fuco, nulloque artificio,

cio, contrà verò mendacium sine iis latere diu non possit: Hotomanus, cui falsò persuasum est, populum (ut ille ait) non modò creandi, sed etiam abdicandi Regis potestatem sibi omnem reservasse, isto solo fundamento falsissimo, & satis jam exploso, non cessat classicum canere, ut novandarum rerum cupidis (quorum, proh dolor, non exigua & contemnenda est talibus præceptis copia) non desint exempla majorum. Sic Insuber Fanianus (*ut refert Iovius*) audito didascalo, & declamatore quodam de fortitudine in occidendo tyranno differente, hoc impulsore aggressum in ecclesia Insubrię ducem, sica conatus est occidere: occidisset que, ni ducis satellites, adprehenso Faniano, coërcuissent tantum facinus, eiq; obstitissent. vide quę sint, nō inturbanda, sed evertenda tam bene constituta nostra Monarchia, tua artificia, quo tendant dogmata tua, quis orationis & lectionis tuæ fructus: quid n. aliud vis, cùm Reges nostros judicio populi ita subiicis, & permittis, ut non

non ſolum facere,ſed & deponere pro arbitrio,populo liceat? Profer authorem, profer hujus rei legem ſcriptam, ut tu de lege Salica dicis,profer exemplum : imò verò profer nobis Regnum, ſive antiquum ſive recens, ita conſtitutum, ut ſolo nutu populi, qui modò Rex erat, modò ſit Aulœdus, Citharœdus, aut Ludi magiſter, ut tu. At Poloni, inquis, ita ſolent Reges creare: utinam tu cum tuis vel ad Scythicas pruinas ab hinc viginti annis amandatus fuiſses,ut dignus es. Dic,recita, profer nobis Regnum (intelligo bene conſtitutum) tam malis hærens fundamentis? fortaſſis propones nobis Perſarum, quibus Arſacidæ tantis intervallis imperarunt. Judeorumne? an Ægyptiorum, quibus Ptolomei, & ipſa Cleopatra, ad Auguſtum uſque? Macedonum, Lacedæmoniorumve? quos ab Ephoris pendere falsò dicis, quibus nullam unquam fuiſse poteſtatem Regum creandorum, modicè verſatus in hiſtoriis te irridebit: & ipſe *Plato* ait, Regnum Lacedæmoniorum

eſse

esse secundum genus. Quid de Libyco post Massinissam, de ipso Romano, post Romulum? Vis ipsos Æmilios, Numitores, Hetruscos: imò vis me excitare Priamos, Prometheos, Iapetos, Titanas, aut Tyndaridas, Britannos, & quicquid Regum fuit & est in toto penè orbe? certè istorum exemplis, tuam non poteris tueri impudentiam: neque enim Reges ij populorum suorum suffragiis creati sunt, imò verum est, ut de nostris refert *Agathius*, filios Regnum à parentibus accipere. Quid vetera & jam planè obliterata recenseo? habes unum Polonicum Regnum, quod electione & successione paratur: & tamen certum est, Reges Poloniæ semper filios habuisse successores, si eis proles mascula supervixerit, ut testatur *Cröerus*, qui nobis Regis sui Pyasti propaginem ad ducentos, aut amplius, annos extendit: & ex ista stirpe Reges recto tramite traxisse originem, juraque dixisse Polonis asserit. Bohemicum verò, nonne successione defertur? Quòd de Pannoni-

nonico ante ejus à Turca everſionem idem juris eſse, qui norunt Corvinorum & aliorum Regum ſtemmata non negabunt. De Hiſpanicis, ubi ſeptem ſceptra numerantur, ipſis à Gothis occupatis, nonne Reges filios ſucceſsores ſemper habuerunt? niſi nobis bella Henrici Nothi cum Petro, de Regno Toletano, obſtare huic opinioni dicas. Et tuum Tarraconenſem, quo jure, quibus legibus, electione an ſucceſſione? quid moraris? profer. Habeo in meam partem quæ te, & ſingularem gentis illius in frænando Rege fortitudinem, ridere poſſint. *Nos qui valemus, &c.* hîc multilinguem ſeſe Hotomanus oſtendit, vide ne bilinguis, aut quid pejus, dicaris: non enim poteſt bene audire, qui ut tu loquitur. Poſſem ego majora ad hanc rem: ſed quia notiſſima ſunt, & ſi narranda, egerent narratore majoris otii, prætereo. Interim ſat ſit monuiſſe Lectorem, & docuiſſe, nihil in Hotomanicis aſſertionibus dictum, quod non ſeditionem ſapiat, & ſit alieniſſimum

mum à veritate: nam quod ille ait de Regibus Gallorum, imò Regulis, ante Dictatorem, mera ſunt ſomnia, nec majore obſervatione digna, quàm quæ ab Homero de bello Trojano, aut de Titanis dicuntur. Nec poſſum ſatis mirari impudentiam hominis, quem non pudet dicere, Francos à Germanis reipub. conſtituendæ formam ſumpſiſſe, quod alienum à veritate ex ſupradictis monſtravimus, ut hîc repetere non ſolum inutile, ſed etiam otioſum ſit: & ipſe *Agathius* aliter ſentit, *loco ſæpius citato*: nec ego adducar unquam, Francos à Germanis, quos ſæpius bello ſuperarunt, & quibus leges dederunt (ut fatetur *Beatus Rhenanus*) leges à victis accepiſſe. Non enim ſine impudentia negare poteſt Hotomanus, in id enim Hiſtoriæ noſtræ & Germanorum conveniunt, Germanos Francis Imperatoribus paruiſſe per multos annos, uſque ad Carolum Craſſum ex Carlovingis; tantum abeſt ut Francis leges ſint Germanicæ. Itaq; non eſt cur Hotomanus

for-

formam, & jam recepta instituta nostri Regni conetur non reprehendere, sed cavillari, cùm nullum fuerit aut sit in toto orbe Regnum justioribus legibus munitum: testes sunt ipse *Agathius, Itali historici*, & alii quotquot sunt, quos pro nobis sponsores idoneos nō recusabit Hotomanus, qui non tantum leges nostras & instituta, tum in jure dicundo, tum de religione probarunt, sed Romanis ipsis prætulerunt. Cęterùm delirat Hotomanus dum nos esse consequutos fatetur, ne Regibus nostris, ut de Germanis ait ex *Tacito*, esset infinita, aut libera potestas: quam formam à Tyrannica remotiorem esse dicit, abesseque longè à tribus tyrannidis notis, quas Philosophi veteres judicarunt, quòd Rex invitis non dominetur. Docuimus enim, inquit ille, summam populi tum in eligendis, tum in abdicandis Regibus potestatem. O magna vis veritatis! ut *Tullius* ait. Etenim Hotomanus Reges nostros non invitis dominari coactus fatetur. Totus enim orbis in hoc consentit, nullum

lum esse populum qui majore amore, benevolentia, obsequio, aut fide, suos Reges prosequatur, quàm solebant multis seculis Franci: quibus ut nostri & extranei historici testantur, gloriosum & decorum erat, pro Rege mori: quod adeò verum est, ut falsum, quæ iterum Hotomanus de eligendi & abdicandi potestate nugatur. Sed cùm ætas parentum pejor sit avis, tuleritque nos nequiores: postquam Hotomanus, inquam, & similes doctores, orbem ipsum talibus doctrinis infecerunt, macularunt, & conspurcarunt, tunc plebs secessit, magnates fide rupta ad internecionem bellum Regibus intulerunt, & patriæ: quid, intulerunt? proh dolor! imò adhuc inferunt: habent enim doctorem & magistrum, qui Regum abdicandorum potestatem illis tribuat, idem Imperatorum, idem Ducum, idem Palatinorum, Marchionum, Pontificum, imò quicquid est in toto orbe potestatis. Et tamen impunè Hotomanus fabulas istas egregio Principi Palatino audet

narrare. Vide quàm clementer erga te se gerat illustris ille Princeps, qui te & tuas nugas patitur & fovet, cùm tamen voces suos, quoties libuerit, ad pileum. Si enim Reges judicio populi permittis, ecquid de Palatinis, Marchionibus, Ducibus Germanicis & similibus judicas? cùm certum sit, olim dignitates & officia tantum fuisse ex mera dominātis potestate pendentes, nec ad hæredes & successores transeuntes. De secunda tyrannidis nota ita vocas nostrorum Regum præsidiariam cohortem, paucorum hominum ex Scotis & fidissimis Helvetiis, hîc etiam ostendis quid de te judicandum sit, cùm tamen Reges nostri in eo nihil habeant aut faciant, quod non sit illis commune cum cæteris principibus & ipso etiam Imperatore, Consulibus, Dictatoribus Romanis, imò minoribus magistratibus, quibus fasces & lictores erant prævij. Nemo enim adeò perfrictę frontis esse potest, qui audeat negare, proprium hoc semper Regibus omnibus non fuisse ab eo tempore,

quo

quo Regna constituta fuerunt, sive ad dignitatem sive ad custodiam: ut semper habuerint excubantes milites, quos satellites antiqui vocabāt. Quod cùm omnibus notum sit, testimonium aliquod hac de re proferre ridiculum esset: unum tamen exemplum Trajani Imperatoris ex *Dione in vita illius* lubet proponere, quo convincitur, etiā pios Imperatores satellitio usos, non ut modica illa custodia se tutos ab insidiis existimarent, ab iis enim constat multos Imperatores cæsos: nam, *ut inquit Vopiscus in vita Saturnini*, Malum est imperare, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro autoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio. Sed ad majestatem & dignitatem, *ait Dion*, in quorum domos sæpius vix quatuor comitantibus, etiam sine satellite, divertebat Trajanus. *Et alibi*, Fortè insidiarum adversus Imperatorem Sura accusabatur: æmuli subinde instare, remque urgere: tunc Trajanus, vel invocatus, in domum illius

cœnaturus accessit, dimissisque stipatoribus atque satellitibus, medico Suræ oculos inspiciendos: denique accersito illius tonsore, mentum radendum commisit. Sed habet Hotomanus *Turonensem, qui lib. 7. cap. 18. refert*, renunciatum fuisse Gunthranno Regi à quodam paupere, insidias ei à Faratilfo cubiculario parari: eo nuntio territum Regem, armis & custodibus se munivisse, & sepsisse, neque ad loca sancta progressum vacuum custode. Ex quo loco nititur docere, Reges nostros non habuisse satellites. Sed hujusmodi argumentum non juvat Hotomani mendacia, non enim sequitur: Ascivit Gunthrannus (hoc accepto nuntio) satellitium: ergo ex consuetudine nullum Regibus erat: negaret quivis conclusionem, tanquam nullo modo necessariam. Imò verò magis credendum est semper habuisse, ut mos erat Regum omnium, circunstantes & observantes milites, sive laidos, quos vocabant, sive pueros, sive servos: tunc enim servos Francogalli habebant,

bebant, quemadmodum Romani & fere totus orbis, ut ex *Turonensi*, *Aimoino* & multis aliis clarum efficitur. Sed quòd Regibus Francorum fuisset satellitium, audi *Turonensem lib. 2. cap. 37.* Ibi: Quod audientes, & Domino gratias agentes, & vota beato confessori promittentes, læti nuntiaverunt Regi: loquitur de Clodoveo, quem ait misisse nuntios ad basilicam divi Martini, cùm bellum adversus Alaricum Gothorum Regem pararet, quos satellites vocat. Extat aliud *Reginonis Chronicorum lib. 2.* exemplum: ait enim Carolomanum Ludovici Balbi filium, obiisse ex vulnere ab apro in venatione illato, vel à quodam, *inquit ille*, suo satellite improvidè arma ferente. Profert præterea Hotomanus beati Ludovici Regis historiam à *Iomulleo*, in qua nullam præter janitorum aut atriensium, quos huissiarios vocat, mentionē hujusmodi satellitii facit, & sic stultè concludit, nullum illi nec præteritis Regibus fuisse. Hæc sunt illius tam præclara argumenta, quæ pueris ipsis

ridenda, tanquam pugnantia adversus totis seculis ab omnibus Regibus & Imperatoribus morem receptissimum. Sed habes *Turonensem*, qui jam te liberavit isto errore, habes *Reginoem*, quibus addere non erit extra rem neque otiosum, nostros primos Reges à Childeberto patre Clodovei primi, Regibus Gothorum, qui nunc Regnum suum in Vasconia aut Aquitania constituerant, inferiores non fuisse, imò superiores, ut pote quod non solùm Atquitania, imò tota Gallia & Italia à Francogallis Gothi prohibiti fuerunt & expulsi. Atqui certum est, Reges Gothorum usos satellitio: quod si negas, audi *Sidonium epistola 2. lib.* I. de Theodorico Rege Gothorum, qui Tholosæ regnabat: Circunsistit, *inquid ille*, sellam comes, armiger pellitorum turba satellitum, ne obsit, admittitur. De tertia verò tyrannidis nota, id nostris Regibus tam male convenit, quàm bene Hotomano seditiosissimi nomen: quis enim nescit, Reges nostros non ad suum com-

commodum atque arbitrium, sed Regni & subditorum semper respicere, & salutem illius semper suæ præponere, nisi qui omnia, ut tu cavillari conatur, quantumvis bene constituta? Non est certè, quod respub. & regna Græcorum inanibus verborum illecebris nobis obiicias, & nostræ compares: ij enim, verbis tantum & somniis quorundam otiosorum senum & invicem disceptantiũ suas instituebant & componebant respub. adeò incertè, ut statim ad legislatorum arbitrium, quæ modò justa erant, injusta fierent, quasi justi & æqui non sit constans & perpetuum judicium, imò idem bonum, idem malum dici debeat. Certè non est, quòd nostris oculis pulverem iniicias: nostræ quippe leges, meliore judicio melioribus auspiciis, imò sanctiore & meliore legislatore sancitæ sunt, melioribusque fundamentis nituntur, ut doctè & graviter *Sessilius Massiliensis episcopus lib. 1. de repub.* Galliæ docet, quem librum à *Sleidano* Germano

Latinum ex Gallico factum ob ejus elegantiam constat. Unum enim, *inquit ille*, Regem habent, quemadmodum homini unum caput est, ad quod ordine naturæ cætera mẽbra solent respicere. Ita n. comparatũ est à natura, ut in omnibus rebus ad unum aliquẽ veluti ad caput respiciamus & confugiamus: quantum enim multorum imperium incommodi & periculi adferat, multis id doceri posset, & nobis casus Imperii illius Romani satis exemplo esse potest: quod corruisse non externa, sed propria vi, nemo nescit. Nec mirum, si monarchiam laudarunt viri gravissimi *Plato, Aristoteles*, & *Plutarchus* ipse. Sic enim *Plutarchus* disserit *in lib.* in quo de unius in repub. dominatione, populari statu & paucorum imperio tractat, quod si ei detur optio (scilicet viro civili & legislatori) formam reipub. tanquam musicum instrumentum suo arbitratu capessendi, nullam profectò delegerit aliam, quàm Monarchiam, *Platonis* fidem secutus: ea enim sola potest perfectum

istum

istum & rectum tonum & contentionem sustinere & utilitatem, neque necessitatis, neque gratiæ causa inflectere: reliquæ, nempe Aristocratia & Democratia (de quibus in cap. lib.) hoc fere habent, quòd is qui imperat, sub imperio & potestate est: & qui gerit eas, ipse geritur, ferturq;, quòd nō habet vim solidam & stabilem qualis in Monarchia. Sed sæpè cogitur *Æschyli* illud declamare, quo usus est Demetrius Poliorcetes amisso Imperio, Tu me creasti, tu fers exitium mihi. Quibus addere lubet ex *Sesellio*, Monarchiæ, etiamsi interitu principum, vel alio quopiam humano casu sunt immutatæ, diuturniores tamen semper fuerunt & tranquilliores, quàm optimatū vel popularis status, ut in Assyriis, Æpyptiis, Parthis, Macedonibus, Gallia, Britannia, & Hispania, quibus nullę alię respublicæ temporis longinquitate conferri possunt. Itaque *Plato in libro qui Civilis dicitur, vel de Regno*, laudat & probat Monarchiam: etenim, *ut ille inquit*, unius dominatio bo-

nis conjuncta constitutionibus, quas leges vacavimus, sex illarum omnium optima est, intelligit gubernationum. Denique Regna quæ successionis aut hæreditario jure, & secundum genus, *ut ille ait*, deferuntur, potentiora sunt, ac multo magis florent, iis quæ suffragiis & electione vocantur, hac scilicet excellenti ratione: electione enim malis fere artibus ad illud fastigium pervenitur, quia bonus & ignavus æquè sibi imperium exoptant: ille vera via: hic, quia bonæ artes desunt dolis ac fallaciis. Sic videmus Marios, Syllas, Cęsares, Antonios, & hujusmodi, per vim erepta populi & Senatus libertate, Imperium sibi parasse: multos etiam emptis suffragiis, imò auctionato Imperio, Imperatores per milites factos, mox ab eisdem occisos & laniatos: quod regnis quæ successione deferuntur nunquam accidit. Alia ratio est singularis cur regnum nostrum hujusmodi incommodis non subiiciatur, nimirum quia solis masculis defertur, sive lege Salica, sive instituto vetustissimo,

mo, ſanctiſſimo, & hactenus per mille ducentos annos obſervato: totidem enim Francis juſtum fuit Imperium, partim cis, partim trans Rhenum. Cur autem fœminæ eo excludantur, rationem ſingularem ipſe *Seſellius* adfert, quæ(licet plures adduci poſſent)ſufficiet:nempe, Si fœminæ ad ſucceſſionem vocarentur, fieret facile, ut in externi alicujus poteſtatem rerum ſuma perveniret, à quo aſcitis patriis contribulibus & regionis ſuæ aut populi hominibus, hiſque honoribus, præfecturis, magiſtratibus, dignitatibus & hujuſmodi donatis, indigenis excluſis inde graves oriuntur offenſiones, conflatur invidia , tum nobilitatis, tum multitudinis. Cùm verò ſoli maſculi vocantur, certus ac perpetuus eſt hæres: is n. qui genere proximus eſt, ſine controverſia ſuccedit: eumque populus, ut legitimum magiſtratum, & Regem, tanquam à Deo complectitur, illi paret, hunc colit, obſervatque: nullæ inde oriuntur controverſiæ ſeditiones, nulli motus, nulla empta ſuffragia

nemo obstrepit, dissidet, aut secedit plebs à nobilitate omnia ita pacata sunt, ut in successione privati alicujus, quæ venienti ab intestato & proximiori defertur. Itaque mortuo Rege si filii masculi & legitimi illi supervixerint, primus absque comitiis, aut longiori ambage Rex est: sin autem nulli extent libri masculi, qui proximior est vocatur, etiam in linea transversali, quam collateralem vocant, dummodo mas sit. Inde tantum tributum huic legi & consuetudini fuit, ut etiam remotissimi & quasi nulla consanguinitate conjuncti, intelligo extra gradus successorii edicti, dum modo de stirpe sint Regia, ad Regnum vocati sunt, spretis & exclusis omnibus ex prole fœminea, quantumvis proximioribus Regis demortui, ut in Philippo Valesio, Ludovico 12. & eo mortuo, Francisco Valesio hujus nominis primo visum fuit: ne altiùs exempla petantur. Non mirum ergo, si hoc Regnum tam bonis fultum & talibus subnixum fundamentis, tot seculis floruerit, atque dura-

duraverit: ut illud nulla externa potestas, quantacunque fuerit, quantumvis domi foret, seditionibus quibusdam agitatum (ut nunc est) lædere potuerit. Est & aliud fundamentum hujus Regni, quod Regia potestas cum tribus Regni ordinibus, Ecclesiastico, videlicet, Nobili, & Plebejo, ita commodis & æquis rationibus devincta & copulata est, ut vix inter ipsos magnum & implacabile possit oriri dissidium. Rex enim tanquam medius & arbiter, nullam alteri per alterum patitur fieri injuriam: adeò ut vel infimo cuique liceat de accepta injuria conqueri, & amplissimo cuique facere & movere controversiam sive civilem sive criminalem, imò adversus ipsum Regem litigare cuilibet permissum sit, apud judices suos, cum Regio Procuratore, ne nomen Regis terrori esse possit judicibus & litigantibus. Alia tria semper in nostra repub. extiterunt remedia, quibus Rex, & ejus qui per ætatem regere non potest, nutritii & procuratores contineri possunt salva digni-

cantatissima, tibi satis nota, qua populus in principem omnem potestatem contulit, quem *Vlp.* solutum legibus, nec eis teneri dicit, ut etiam vult *Plato in eodem libro qui Civilis dicitur, vel de Regno, dum ait*: legum lationem ad potestatem Regiam pertinere. Vide Hotomane, quàm male de nostris Regibus sentis & judicas, quibus auferre conaris, quod vilissimis mancipiis, & ex fæce, Senatus populusque Romanus sæpius concessit: quid vilissimis? imò crudelissimis & immanissimis bestiis & tyrannis, qui nihil quàm incendia, vastationes, direptiones urbium & provinciarum, cædes bonorum virorum, stupra, adulteria, & vetitas libidines, lætius habebant: quod semper alienissimum à Regibus nostris fuit: nullus enim in tanto numero præsertim ex Capevingis numerari potest, qui citra jus fasque, & proprio, ut ajunt, mandaverit, cum ostendere possim, hoc familiare fuisse non solum externis Regibus, sed Romanis Imperatoribus. Itaque non est, quod nos doceas,

ceas, nihil eſt quod *Ciceronis* dictum tantopere commendes. Ille & cæteri philoſophi verbis tantum ſuas actiones & inſtituta probabant; nos verò factis, quæ verbis potiora ſunt: nobis non voces nudæ, ſed virtutes placuerunt: quarum vis *(ut inquit ille)* in actione conſiſtit. De cæteris noſtræ reipub. inſtitutis cùm diſſerere longiùs poſſem, me inſtitutæ brevitatis revocat ratio, & extat Libellus *Seſellii* hac de re, qui inanes Philoſophorum iſtorum incertos & nunquam probatos errores, tanto ſuperat, quanto veritas mendaciis ſuperior eſt. Dicam tamen quod ipſe Hotomanus de induſtria prætermiſit, Reges noſtros non omnia ex arbitrio facere. Miſer enim ille, *ut inquit Cicero*, qui omnia ſibi licere exiſtimat: imò verò ſatis illis familiare ſemper fuit, quoties neceſſitas Regni id expoſtulabat, conventum indicere, & quædam decernere & ſtatuere ex opinione & conſilio trium ſtatuum aut ordinum totius Regni, Eccleſiaſtici ſcilicet, Optimatum vel Nobilitatis,

ridenda, tanquam pugnantia adversus totis seculis ab omnibus Regibus & Imperatoribus morem receptissimum. Sed habes *Turonensem*, qui jam te liberavit isto errore, habes *Reginōem*, quibus addere non erit extra rem neque otiosum, nostros primos Reges à Childeberto patre Clodovei primi, Regibus Gothorum, qui nunc Regnum suum in Vasconia aut Aquitania constituerant, inferiores non fuisse, imò superiores, ut pote quod non solùm Atquitania, imò tota Gallia & Italia à Francogallis Gothi prohibiti fuerunt & expulsi. Atqui certum est, Reges Gothorum usos satellitio: quod si negas, audi *Sidonium epistola* 2. *lib*. I. de Theodorico Rege Gothorum, qui Tholosæ regnabat: Circunsistit, *inquid ille*, sellam comes, armiger pellitorum turba satellitum, ne obsit, admittitur. De tertia verò tyrannidis nota, id nostris Regibus tam male convenit, quàm bene Hotomano seditiosissimi nomen: quis enim nescit, Reges nostros non ad suum

com-

commodum atque arbitrium, ſed Regni & ſubditorum ſemper reſpicere, & ſalutem illius ſemper ſuæ præponere, niſi qui omnia, ut tu cavillari conatur, quantumvis bene conſtituta? Non eſt certè, quod reſpub. & regna Græcorum inanibus verborum illecebris nobis obiicias, & noſtræ compares: ij enim, verbis tantum & ſomniis quorundam otioſorum ſenum & invicem diſceptantiũ ſuas inſtituebant & componebant reſpub. adeò incertè, ut ſtatim ad legislatorum arbitrium, quæ modò juſta erant, injuſta fierent, quaſi juſti & æqui non ſit conſtans & perpetuum judicium, imò idem bonum, idem malum dici debeat. Certè non eſt, quòd noſtris oculis pulverem iniicias: noſtræ quippe leges, meliore judicio melioribus auſpiciis, imò ſanctiore & meliore legislatore ſancitæ ſunt, melioribuſque fundamentis nituntur, ut doctè & graviter *Seſſelius Maſſilienſis epiſcopus lib. 1. de repub.* Galliæ docet, quem librum à *Sleidano* Germano

Latinum ex Gallico factum ob ejus elegantiam constat. Unum enim, *inquit ille*, Regem habent, quemadmodum homini unum caput est, ad quod ordine naturæ cætera mēbra solent respicere. Ita n. comparatū est à natura, ut in omnibus rebus ad unum aliquē veluti ad caput respiciamus & confugiamus: quantum enim multorum imperium incommodi & periculi adferat, multis id doceri posset, & nobis casus Imperii illius Romani satis exemplo esse potest; quod corruisse non externa, sed propria vi, nemo nescit. Nec mirum, si monarchiam laudarunt viri gravissimi *Plato, Aristoteles*, & *Plutarchus* ipse. Sic enim *Plutarchus* disserit *in lib.* in quo de unius in repub. dominatione, populari statu & paucorum imperio tractat, quod si ei detur optio (scilicet viro civili & legislatori) formam reipub. tanquam musicum instrumentum suo arbitratu capessendi, nullam profectò delegerit aliam, quàm Monarchiam, *Platonis* fidem secutus: ea enim sola potest perfectum

istum

istum & rectum tonum & contentionem sustinere & utilitatem, neque necessitatis, neque gratiæ causa inflectere: reliquæ, nempe Aristocratia & Democratia (de quibus in cap. lib.) hoc fere habent, quòd is qui imperat, sub imperio & potestate est: & qui gerit eas, ipse geritur, ferturq;, quòd nō habet vim solidam & stabilem qualis in Monarchia. Sed sæpè cogitur *Æschyli* illud declamare, quo usus est Demetrius Poliorcetes amisso Imperio, Tu me creasti, tu fers exitium mihi. Quibus addere lubet ex *Sesellio*, Monarchiæ, etiamsi interitu principum, vel alio quopiam humano casu sunt immutatæ, diuturniores tamen semper fuerunt & tranquilliores, quàm optimatū vel popularis status, ut in Assyriis, Æpyptiis, Parthis, Macedonibus, Gallia, Britannia, & Hispania, quibus nullę alię respublicæ temporis longinquitate conferri possunt. Itaque *Plato in libro qui Civilis dicitur, vel de Regno*, laudat & probat Monarchiam: etenim, *ut ille inquit*, unius dominatio bo-

nis conjuncta constitutionibus, quas leges vacavimus, sex illarum omnium optima est, intelligit gubernationum. Denique Regna quæ successionis aut hæreditario jure, & secundum genus, *ut ille ait*, deferuntur, potentiora sunt, ac multo magis florent, iis quæ suffragiis & electione vocantur, hac scilicet excellenti ratione: electione enim malis fere artibus ad illud fastigium pervenitur, quia bonus & ignavus æquè sibi imperium exoptant: ille vera via: hic, quia bonæ artes desunt dolis ac fallaciis. Sic videmus Marios, Syllas, Cęsares, Antonios, & hujusmodi, per vim erepta populi & Senatus libertate, Imperium sibi parasse: multos etiam emptis suffragiis, imò auctionato Imperio, Imperatores per milites factos, mox ab eisdem occisos & laniatos: quod regnis quæ successione deferuntur nunquam accidit. Alia ratio est singularis cur regnum nostrum hujusmodi incommodis non subiiciatur, nimirum quia solis masculis defertur, sive lege Salica, sive instituto vetustissimo,

mo, ſanctiſſimo, & hactenus per mille ducentos annos obſervato: totidem enim Francis juſtum fuit Imperium, partim cis, partim trans Rhenum. Cur autem fœminæ eo excludantur, rationem ſingularem ipſe *Seſellius* adfert, quæ (licet plures adduci poſſent) ſufficiet: nempe, Si fœminæ ad ſucceſſionem vocarentur, fieret facile, ut in externi alicujus poteſtatem rerum ſumma perveniret, à quo aſcitis patriis contribulibus & regionis ſuæ aut populi hominibus, hiſque honoribus, præfecturis, magiſtratibus, dignitatibus & hujuſmodi donatis, indigenis excluſis inde graves oriuntur offenſiones, conflatur invidia, tum nobilitatis, tum multitudinis. Cùm verò ſoli maſculi vocantur, certus ac perpetuus eſt hæres: is n. qui genere proximus eſt, ſine controverſia ſuccedit: eumque populus, ut legitimum magiſtratum, & Regem, tanquam à Deo complectitur, illi paret, hunc colit, obſervatque: nullæ inde oriuntur controverſiæ ſeditiones, nulli motus, nulla empta ſuffragia

nemo

nemo obstrepit, diffidet, aut secedit plebs à nobilitate omnia ita pacata sunt, ut in successione privati alicujus, quæ venienti ab intestato & proximiori defertur. Itaque mortuo Rege si filii masculi & legitimi illi supervixerint, primus absque comitiis, aut longiori ambage Rex est: sin autem nulli extent libri masculi, qui proximior est vocatur, etiam in linea transversali, quam collateralem vocant, dummodo mas sit. Inde tantum tributum huic legi & consuetudini fuit, ut etiam remotissimi & quasi nulla consanguinitate conjuncti, intelligo extra gradus succeßorii edicti, dum modo de stirpe sint Regia, ad Regnum vocati sunt, spretis & exclusis omnibus ex prole fœminea, quantumvis proximioribus Regis demortui, ut in Philippo Valesio, Ludovico 12. & eo mortuo, Francisco Valesio hujus nominis primo visum fuit: ne altiùs exempla petantur. Non mirum ergo, si hoc Regnum tam bonis fultum & talibus subnixum fundamentis, tot seculis floruerit, atque dura-

duraverit: ut illud nulla externa poteſtas, quantacunque fuerit, quantumvis domi foret, ſeditionibus quibuſdam agitatum (ut nunc eſt) lædere potuerit. Eſt & aliud fundamentum hujus Regni, quod Regia poteſtas cum tribus Regni ordinibus, Eccleſiaſtico, videlicet, Nobili, & Plebejo, ita commodis & æquis rationibus devincta & copulata eſt, ut vix inter ipſos magnum & implacabile poſſit oriri diſſidium. Rex enim tanquam medius & arbiter, nullam alteri per alterum patitur fieri injuriam: adeò ut vel infimo cuique liceat de accepta injuria conqueri, & ampliſſimo cuique facere & movere controverſiam ſive civilem ſive criminalem, imò adverſus ipſum Regem litigare cuilibet permiſſum ſit, apud judices ſuos, cum Regio Procuratore, ne nomen Regis terrori eſſe poſſit judicibus & litigantibus. Alia tria ſemper in noſtra repub. extiterunt remedia, quibus Rex, & ejus qui per ætatem regere non poteſt, nutritii & procuratores contineri poſſunt ſalva

digni-

dignitate Regia; ita tamen quod juris & æquitatis eſt illi liceat : his enim tanquam frænis Regum noſtrorum, ſumma poteſtas temperatur, religione videlicet, jurisdictione, & politia, vel ut uno verbo dicatur, religione & legibus: religione, inquam, Chriſtiana, orthodoxa & Catholica. Habemus, enim teſtimonium Juſtiniani apud *Procopium de bello Gothorum lib.* 1. quod Franci fuerunt ſemper orthodoxæ fidei, ut ſuperioribus docuimus, ex *Agathii lib.* 1. Gallia enim ex *Hieronymi* & aliorum multorum teſtimonio, hæreſes ſemper vitavit, ut teterrima monſtra, eaſque adeò exhorruit, ut nullas unquam paſſa ſit: nec mirum ſi tam fervidè amplexa verum Dei cultum à quo omnis poteſtas pendet, omnia illi proſperè ſucceſſerunt: non enim legibus & piis conſtitutionibus carere poteſt, qui totus ab illo pendet, qui verus legislator & verarum legum ſancitor, & auctor eſt. Cæterùm ſiquid contra tam bene conſtitutas leges peccatum ſit, accidatque Regem aliquando de illa-

illarum rigore remittere: ut ferunt tempora & necessitas expostulat, hoc princeps facit, consultis tamen illis qui sibi consiliis sunt, ne dum alienum desideratur, aut spectatur arbitrium, detrimenti aliquid respub. patiatur. Veluti ingruente bello, de delectu faciendo, milite tum patrio, tum auxiliario evocando & hujusmodi. Certè si ad concilii publici aut placiti deliberationem omnia referenda essent, ut Hotomanus vult, actum sæpius de nostra repub. foret, fieretque ne nimium deliberando, *ut inquit Terentius* res amitteretur, & hostis interim urbes oppugnaret, agros vastaret, pagos incenderet: quòd ut iis & similib⁹ morbis occurratur, in promptu sint remedia, Populus earum rerũ quæ ad pacẽ & bellũ pertinent, omnẽ potestatẽ & imperiũ in principẽ transtulit: cui nõ minus per missum judicabimus, quàm menstruo & tẽporaneo dictatori Romano, cui cũ dignitate libera potestas collata semper fuit, ut nec tantulũ popul⁹ sibi servarit, legẽ scilicet Regia in nostris libris
canta-

cantatissima, tibi satis nota, qua populus in principem omnem potestatem contulit, quem *Vlp.* solutum legibus, nec eis teneri dicit, ut etiam vult *Plato in eodem libro qui Civilis dicitur, vel de Regno, dum ait:* legum lationem ad potestatem Regiam pertinere. Vide Hotomane, quàm male de nostris Regibus sentis & judicas; quibus auferre conaris, quod vilissimis mancipiis, & ex fæce, Senatus populusque Romanus sæpius concessit: quid vilissimis? imò crudelissimis & immanissimis bestiis & tyrannis, qui nihil quàm incendia, vastationes, direptiones urbium & provinciarum, cædes bonorum virorum, stupra, adulteria, & vetitas libidines, lætius habebant: quod semper alienissimum à Regibus nostris fuit: nullus enim in tanto numero præsertim ex Capevingis numerari potest, qui citra jus fasque, & proprio, ut ajunt, mandaverit, cum ostendere possim, hoc familiare fuisse non solum externis Regibus, sed Romanis Imperatoribus. Itaque non est, quod nos doceas,

ceas, nihil eſt quod *Ciceronis* dictum tantopere commendes. Ille & cæteri philoſophi verbis tantum ſuas actiones & inſtituta probabant, nos verò factis, quæ verbis potiora ſunt: nobis non voces nudæ, ſed virtutes placuerunt: quarum vis (*ut inquit ille*) in actione conſiſtit. De cæteris noſtræ reipub. inſtitutis cùm diſſerere longiùs poſſem, me inſtitutæ brevitatis revocat ratio, & extat Libellus *Seſellii* hac de re, qui inanes Philoſophorum iſtorum incertos & nunquam probatos errores, tanto ſuperat, quanto veritas mendaciis ſuperior eſt. Dicam tamen quod ipſe Hotomanus de induſtria prætermiſit, Reges noſtros non omnia ex arbitrio facere. Miſer enim ille, *ut inquit Cicero*, qui omnia ſibi licere exiſtimat: imò verò ſatis illis familiare ſemper fuit, quoties neceſſitas Regni id expoſtulabat, conventum indicere, & quædam decernere & ſtatuere ex opinione & conſilio trium ſtatuum aut ordinum totius Regni, Eccleſiaſtici ſcilicet, Optimatum vel Nobilitatis,

 & Po-

& Populi: quorum tamen, ut dixi, caput *Rex* eſt, & ad quem aliorum ſuffragia reſpiciunt: nec Regi quid agendum ſit præſcribunt, ſed magis conſulunt, & ſe ſe paratos ad juſſa ſubeunda profitentur: nam ut *Ariſtoteles ait lib.* 3. *Politicon*. hujuſmodi enim quaſi Deum quendam exiſtimare inter mortales eſt æquum. Proinde legum lationem inter æquales neceſſe eſt eſſe, & genere & facultate civili. In illos autem hujusmodi nulla eſt prorſus legislatio, quippe qui ipſi lex ſunt: in quo conventu Rex ordinum iſtorum, & populi querelas libenter audit, & amplectitur maximè ſi quid de Aulicis & collateralibus principis, & quos vocant ſanctioris & ſecretioris conſilii moleſtias acceperunt, ſi à Præfectis provinciarum, vel ab ipſis Senatoribus Parlamentariis, quos vocas, injuriis affecti ſint: ſi Judices corrupti ferant ſententias, ſi qui ex potentioribus & nobilitate graves ſint populo, aut illum opprimant. Præterea ſi quid in noſtra Repub. præter jus faſque fiat,

ſive

ſive ſi quid ad luxum aulicorum minuendum pertineat, vel ad levandos ſubditos tributis. Item de publicanorum faſtu, & hujuſmodi querelis, quibus Rex ſolet mederi Edictis graviſſimis, quædam in melius mutando, movendo Senatu, adminiſtratione, poteſtate & dignitate, adhibita graviore cenſura ſi opus ſit: quæ omnia fiunt ſolius Principis, & non populi authoritate, qui magis, ut dictum eſt, conſulit, quàm decernit. Enimverò, quòd ait Hotomanus, quotannis publicum totius Regni Concilium convocari & haberi Cal. Maij, qui hiſtoriarum cognitionem quantulancunque Regum noſtrorum aſſequuti ſunt, non ignorant: his prẹſertim temporibus, quibus primi Reges Francorum, quorum in Gallia non planè ſtabilitum erat Regnum, quique magis in procinctu, quàm in otio vitam agebant, incertisque ſedibus vagabantur, fortaſſis ad controverſias popularium & ſubditorum dirimendas, donaque & ſtrennas, quæ quotannis Regi-

 bus

bus noſtris fiebant per ſubditos, de more accipiendas, aut ut ſubditis copiam ſui tunc facerent, ne per palatii præfectos, aut majores domus omnia gerere viderentur, ut fecêre poſtremi Merovingi & Carlovingi, nihil Regium præter nudum nomen habentes. Sed iſtorum meminiſſe quid aliud eſt quàm earum rerum mentionem facere, quæ penitus in deſuetudinem abjerunt, imò quorum nulla, aut ſaltem exigua eſt memoria? Atqui hodierna noſtri Regni politia, ut melioribus auſpiciis, ita & melioribus legibus gubernatur. Nam jus æqualiter non ſolùm in urbibus & provinciis redditur, ſed in pagis ipſis, per præfectos, & ſubpræfectos provinciarum, aut præſides ipſarum, ſi ab ipſis provocatum ſit, per Judices ſummi Senatus, quod Parlamentum vocant, à quibus non magis quàm ab ipſo Principe ſolet appellari. Hunc enim Senatum aut ſacrum ordinem, tanquam quid tertium, & arbitrium inter principem & populum conſtitutum

eſſe

esse sciunt, qui juris nostri cognitione quantulacunque tenentur: adeò ut sæpissimè Cognitor Regius (non enim, ut dictum est, Regis ipsius nomine, sed Cognitoris lites moventur) cadat causa: & quod magis est, nullum justum mandatum, aut edictum Principis censetur, nullaque lex vires habet, etiamsi consensu totius conventus feratur, si ab ipso non sit probata Senatu, & in Curiæ ipsius libris, & exhedra descripta, & annotata, vel ut ipsi vocant registrata: tantum potestati Curiæ Reges nostri tribuunt, ut si tribunitiæ potestati aut Ephoris Lacedæmoniis compares, non aberres. Plura de Senatus nostri authoritate, sanctitate & gravitate dicenda, non ex mendicatis & ignorantibus juris nostri authoribus, sed gravissimis scriptoribus, si locus altiore non egeret narratione. Postremò, quod primos Reges frugaliores posterioribus facit Hotomanus, verbis tantùm agit, nullum enim hujus frugalitatis profert exemplum aut testimonium, cùm ego luxum osten-

dere possem; habuerunt & illi quod suis temporibus vitio non carebat & culpabatur, nihil tamen ista pertinent ad Regni politiam evertendam ut vult Hotomanus, quæ semper una est. Sunt enim, *ut inquit Seneca*, vitia personarum, non temporum: & ut pulchrè *Sesellius eodem lib.* Est summa per Galliam authoritas juris, quæ certè flecti & mutari fortassis gratia imperantis potest, everti tamen & abrogari tota non potest, tametsi sint quæ culpari possint, egeantque emendatione, ut est rerum mortalium conditio. At verò quis tam stupidus est, qui ob quorumdam principum socordiam aut ignaviam, Regnum ob id tollendum de medio judicet, tanquam malum magnum nisi qui omnem societatem humanam tollere nititur? Sæpissimè enim bono & strenuo principi succedit ineptus, vel etiam juvenis: quod accidere solet cùm Deus scelera nostra ulcisci decrevit, florente, & ad summam fœlicitatem ac amplitudinem Regno evecto, vel cùm populus delitiis, & luxuriæ

Regis

Regis ad exemplum, addictus, nihil tale metuit: ambitiosam enim mensam fortuna, parcam virtus apponit: & ut *Cato Censorius* dicebat. Cultus magna cura tibi, magna virtutis curia: vel, ut Solon, satietatem ex divitiis nasci ex satietate contumeliam gigni: quod cùm accidit, admonentur Reges ut tandem cladibus istis excitati, sese homines esse agnoscant, & ad Deum Rex, ipseque populus confugiant, à quo salus & intentio rerum omnium pendet: & tamen non desunt nobis remedia, quibus huic malo obviam ire & mederi possumus, salva ut dixi, & incontaminata manente dignitate Regia: ut nihil quod ad hanc rem pertineat, aliunde quàm à nostris institutis & legibus mendicandum & quærendum sit. Itaque ad sequens caput undecimum, quod de sacrosancta publici concilii authoritate Hotomanus dicit, transeo.

***

IN CAP. XI.

IN quo Capite non in minori, imò majori caligine & errore versari Hotomanum, vel ex initio capitis videre est, qui non erubuit tot mendacia toties repetita, hîc etiam congerere. Cùm enim conatur institutum sui operis probare, eò magis impegit quòd veritate deficit, qua sola verum à falso secernimus. Nam quod ille majorum nostrorum mirari se dicit sapientiam in constituenda Repub. nostra, non injuria, quòd illi certè sapientissimè: quos si revocare ab Orco possemus, magis mirarentur progeniem suam vitiosiorem, tot mendaciis, tot seditionibus interitum illi paravisse, pararéque in dies: mirarentur certè, & tales se genuisse graviter ferrent, feruntque, si quis inferis sensus est. Videamus tandem istam sapientiam, & quibus de rebus in concilio ageretur. Primùm de creando vel abdicando Rege, inquit ille. At non te pudet,

toties mendaciis convicte, tuum adhuc nullis literis monumentisque, sive privatis sive publicis de creando vel abdicando Rege commentum, imò potius monstrum, in medium proferre, mentirique impudentissimè. Proponis Childebertum à suis Regno pulsum, mox pœnitentia revocatum. Tantæne est apud pessimum pessimi Regis exemplum authoritatis, ut unico illo exemplo audeat impium & seditiosissimum illud propositum defendere? Benè Cæsar apud *Salustium*, Omnia mala exempla ex bonis initiis orta esse dicit: trahimur enim & facilè ducimur exemplis malis, quæ fortassis bona habebant initia: non quod exempla ista habeant quandam imitationis necessitatem, & ea ratione sint proposita, sed ut posteritas talibus instructa, talia metuenda sibi & vitanda existimet: qua ratione Solon dicitur legem adversus parricidas nullam tulisse, non, ut plerique ajunt, quòd scelus hoc desperasset: sed, *ut inquit Tullius in Orat. pro* Roscio *Amerino*, ne tam

prohibere quam admonere videretur. Et hoc est quod Cæsar *apud eundem Salustium* videtur significare & intelligere, dum Atheniensium exemplum, occupata eorum Repub. à Lacedæmoniis, recitat. Hi *(inquit ille, de 30. Tyrannis loquens)* cœpere pessimum quenque & omnibus invisum, indemnatum necare: ea populus lætari & meritò dicere fieri: post ubi licentia paulatim crevit, juxtà bonos & malos libidinosè interficere, cæteros metu terrere: ita civitas servitute oppressa, stultæ lætitiæ graves pœnas dedit. Sic Victor Sylla Damisippum, & alios hujusmodi, qui malo Reipub. creverant, jugulari jussit: nemo non factum ejus laudavit, sed ea res magnæ initiũ cladis fuit. Quod tunc etiam Francogalli experti sunt: nam Ægidio quodam ad Reipub. suæ moderamen ascito, duriora quàm à proprio Childeberto eorum Rege passi sunt, eumque ab exilio ea ratione revocarunt. Vide exemplum tuũ quàm bene utentibus profuerit. Sed age profer nobis tuæ abdicationis Regum

Fran-

Francorum per populum aliud exemplum. Illud enim, ut suprà demonstratum fuit, non sufficit, nec tua juvat mendacia, quia ad exemplũ, ut dicitur, trahi non potest: nam quòd hac parte Childerico accidit, non jure potestatis factum, sed odio in Childericum, ob ejus insolentem luxuriam, accidit. Ait præterea Hotomanus in eo solenni Concilio agi tum de pace & bello, de legibus publicis, de sumis honoribus, præfecturis, procurationibus Reipub. de assignanda patrimonii parte liberis defuncti Regis, vel de dote filiabus constituenda: quod illo verbo Germanico vocat Abannagium, nos verò appanagium vocamus, portionem scilicet quæ masculis filiis Regum defunctorum datur, quod ad dotes filiarum nihil pertinet: filiabus enim, ut suprà dictum fuit, nulla portio terræ Salicæ debetur, & eas semper pecunia dotatas, non portione fundi dominici, certum est. Addit ille deniq; de iis omnibus, quæ vulgus etiam nunc negocia statuum populari verbo appellat. Subdit

dit mendacissimè suo more, quoniam de nulla, ut dixi Reipub. parte, nisi in statuum sive ordinum concilio, agi jus esset, bellè dicit Hotomanus, sed nihil probat: in quo ejus versutiam, imò calumniam, non satis mirari possum. Cùm enim Germano principi & Germanis, Gallus de moribus, institutis, legibus & Repub. Gallorum disserit, facilè ignorantibus imponere potuit: tùm quòd, ut dictum est, Gallus, quo nomine de patriis legibus & institutis dicentem par esse videtur cui credi debeat, tùm quòd apud graves Hotomanus literarum nomine in pretio non exiguo sit, quod illi non paruam authoritatem tribuit ad mendacia sua tuenda, & ille occultè insidiatur, ut dixi: tacitæ autem & occultæ inimicitiæ, *ut inquit Cicero in Verrem*, potius timendæ sunt, quàm indictæ & apertæ. Detrahamus ergo illi præsidia quibus fucum facit, & veritatem mendacio opponamus, certè ridiculosior Hotomanus ipsa evadet Cornice. Ait ex præcedentibus docuisse, tum ex

Caroli

Caroli magni teſtamento, tum ex aliis, poteſtatem creandorum & abdicandorum Regum penes populum, aut concilium, ut ille vult, fuiſſe: ego contrà, illud eſſe merum commentum & mendacium ſatis ſuperque docui, non detortis contra proprium & genuinum ſenſum, depravatis ac corruptis teſtimoniis, ſed ex Noſtrorum & Græcorum Annalibus, rerumque ſerie & ordine, non electione aut ſuffragiis populi, in concilio, aut alibi, ſed ſucceſſione Regnum noſtrum ſemper fuiſſe delatum, ut jam nemo hac de re poſthac ambigere poſſit, niſi qui Hotomanicis imbutus eſt erroribus cujus tamen opinio nullo modo juvatur illo teſtamento Caroli magni, ſæpius ab illo citato, quòd diviſionem totius Regni & Imperii inter liberos maſculos, continere alibi docuimus. Tantum enim abeſt ut in eo teſtamento, concilii authoritas deſiderata ſit, ut ne ejus quidem ulla mentio facta fuerit. Minus hoc probat, quod tam impudenter aſſerit Hotomanus

manus ex *Aimoini lib.5.cap.17.* ubi Carolum Caluum pro Ludovico Pio ejus patre nominavit: nec mirum si veritatem historiæ non teneat, cui nec nomina satis nota sunt: ut magis credam narranti fidem dedisse, quàm historiam legisse, qua continetur Ludovicum, Carolum filium armis virilibus, id est ense, cinxisse, coronaque regali caput insignivisse, ac partem Regni, Neustriam, attribuisse, eumque in portionem Regni sibi attributam dimissum, proceres provinciæ Calvo manus dedisse, & fidem præstitisse. Ibi etiam nec electionis mentio fit, neq; authoritate concilii quæ gessit Ludovicus gesta fuisse docere potes: eodem enim loco, & paulò antè, docet *Aimoinus*, Ludovicum insistente Augusta, & ministris Palatinis, quandam partem filio suo dilectissimo Carolo Aquisgrani tradidisse, qua, tanquam inofficiosa, ab eo (ut conjectari licet) repudiata, Neustriam postea in conventu dedisse. Sed aliud est in concilio & conventu aliquid agere, aliud authoritate con-

conventus & concilii: itaque aliunde quærenda ſunt argumenta, ſi tuam electionis & abdicationis fabulam tueri vis, alioquin mendacis nomen ſubire oportet. Dicis præterea de legibus publicis, de ſummis honoribus, præfecturis & procurationibus reipub. in hoc concilio ſolenni agi: de legibus aliquando actū fuiſse, non eſt cur negandum ſit, licet nullū proferat Hotomanus teſtimonium: hoc tamen ſæpius factum à poſterioribus Regibus, ſcilicet Franciſco I. cœptum ſub Franciſco II. perfectum circa initium Regni Caroli IX. Aureliæ, cum maxima Nobilitatis, Epiſcoporum ſive Eccleſiaſticorum, & ultimi ordinis hominum frequentia, ann. Domini 1560. notum eſt. Extat n. liber legum in hoc frequentiſſimo cœtu ſancitarum, & eodem anno promulgatarum, quæ ob id, Statuum dicuntur. Et hoc quidem ab eodem Carolo repetitum, ſcilicet in Molinæa Bojorum urbe, 1566. & Ambaſiæ, 1572. Cæterum quod omnis poteſtas in legibus ferendis penes ordines remanſerit,

ferit, ut Regibus nihil licuerit, non probat Hotomanus, nec posset probare, & experientia ipsa ab hinc mille & ducentis annis, satis testatur: & ex his quæ suprà à me dicta sunt, apparet, Regibus nostris, in legibus novis ferendis, veteribus abrogandis, in deligendis Magistratibus & hujusmodi, semper liberum fuisse arbitrium. De procuratione verò Regni, sive id factum fuerit concilii authoritate, aut propria Regis disponentis voluntate, alibi appositius dicetur, non eorum testimoniis qui nostrarum historiarum ignoratione, audita habent pro compertis, ut Hotomanus Romani juris peritissimus, nostri vero ignorantissimus, aut dissimulator egregius. At verò de appannagio, quod Hotomanus verbo Germanico (ejus enim gentis euphonia maximè delectatur) vocat abannagium: hunc locum frigidissimè attigit, fortassis ignoratione juris nostri, quod cum nullo sit alio commune, ab eo factum par est credere: exulat enim penè à pueritia.

Dicam

Dicam quæ ex uſu & monumentis certiſſimis comperta habui, ut tamen tempora quæ Robertum ex Capeto præceſſerunt, ſive Merovingorum ſive Carlovingorum prætermittam. Carlovingis enim Regno pulſis per Capetum, conſtat non mutatos Reges, ſed ſublatas ſeditiones, quibus ob Regni Gallorum diviſionem, tum Merovingorum, tum Carlovingorum temporibus, Gallias, & Germaniam ipſam totumque fermè occidentis imperium, vexatas, & planè everſas certum eſt. Sic ergo veritas habet, altius origine petita, ex iis quæ ſuperius diximus, nemini dubium eſſe poteſt, ſive lege Salica ſive communi uſu Francorum, in dubium non vocato per mille & ducentos annos, fœminis ad Regnum nullum unquam patuiſſe aditum, ſive Merovingorum, ſive Carlovingorum, ſive Capevingorum temporibus, ſed ſemper maribus delatum & propinquioribus, fœminis excluſis quantum vis gradu proximioribus. Poſtquam verò ad Capetiorum fami-

liam translatum Imperium extitit: nunquam postea inter liberos masculos, sive plures, sive pauciores divisum hoc regnum fuit: sed integrum ordine naturæ, majori natu delatum, ut qui primus vulvam matri aperuisset, illi regnum deberetur. Cùm enim moribus nostris, nulla pars, quantumvis exigua, perpetuo alienari possit, nec ergo dividi & subiici judicio famil. erciscund. cùm dividere alienare sit, & divisio vicem emptionis sustineat, ut nosti. Quòd si partes alienari non possunt, totum minus alienari poterit. Itaque unicus Rex unico *Regno* semper præfuit: & si qua portio delibata ex illo domanio extitit, jure *scilicet* appannagii, aliter enim perpetuò alienari non potuit, portio illa obnoxia Regi, & sub illius clientela & fiducia remansit, nec ita alienata est, quin possit ad prius jus tanquam postliminio redire si illi cui eo titulo portio data fuit, sine liberis masculis, aut masculi sine masculis decesserint. Ita tamen ut eis nunquam licuerit portionem illam ad exteros,

teros, nedum ad filias, titulo aliquo transferre, de qua re extant edicta plurima nostrorum Regum, tum vetera, tum recentia, nempe Philippi VI. 1329, 1360. Ioannis & Caroli V. 1374. & Caroli VI. 1401. quibus alienatio Regij domanii non tantùm prohibetur, sed ut alienata in pristinum statum revocarentur, cautum extitit, vetere jure scilicet. Sed quia hæc quæstio jam à *Chopino Andio* graviter disputata fuit *in Commentariis suis de domanio*, ut pauca quæ de ea dicenda sint desiderentur, satis sit docuisse, falli Hotomanum, dum asserit, Regem, non propria sed populi & statuum authoritate & placito, omnia gerere. Nam quod ille Merovingorum, item Carlovingorum exempla quædam nobis profert imitanda, nihil aliud vult, quàm earum rerum quæ planè extinctæ sunt (ut dixi) memoriam excitare. Sed quia tantùm istis exemplis delectatur, quam ille formam reipub. probat? eam scilicet quæ seditionibus agitata semper fuit, nullis præterquam militaribus

 legi-

legibus instituta & formata, & quæ in perpetua rerum confusione fuit, qualis illa Carlovingorum. Sublato enim de medio Carolo Magno (quem tamen bella ad mortem usque comitata sunt) summa rerum ad Ludovicum Pium pervenit, cui non minor cura cum Regno accessit: adversus enim eum conspirarunt impii filii, & cum eis Episcopi & Proceres Regni, ut illum in ordinem redegerint, & in carcerem detruserint, annuente aut dissimulante Romano Pontifice, dum sui ordinis hominibus plus æquo favet, author est *Aimoinus lib.5.cap.12. cum sequent.* Sed age Hotomane, tibi ne satisfactum isto exemplo putas? audi sequentes Principes (de Carlovingis loquor) fortassis cum Pii filiis, Ludovico scilicet, Carolo Calvo, Lothario & Pipino melius esse actum existimas, certè eadem contagio, imò major filios invasit. Sic *Aimoinus eodem lib. cap. 19.* Vertente autem anno, *inquit ille*, in die Ascensionis Domini, fit bellum Fontaneum in Burgundia à quatuor filiis ipsius

ipsius Ludovici, Carolo scilicet, Lothario, Ludovico & Pipino, ubi multus est effusus sanguis humanus. *Hæc ille.* Nec mirum si ii qui prius inquisierant in patris annos, sese mutuis cædibus laceratint: quæ pestis adeò Carlovingis hæsit, ut ab eis nunquam discesserit, donec tandem iis sublatis de medio, Regnum hoc ad Capetum pervenit, irato (ut par est credere) Numine, propter fortassis, filiorum impietatem erga Ludovicum Pium, ut nepotes vindicta secuta sit. Et tamen Hotomanus hujusmodi scelerata exempla imitanda audet proponere, & tempora illa nostris æquare: qua autem mente quove animo id faciat, viderit lector. Cæterum dum ait Hotomanus Scribas Regios inscientia aut malitia diplomatibus Regiis adiicere illa vulgaria verba, *Car tel est nostre plaisir.* Postquàm proprio idiomate scripta sunt, suam ille non aliorum culpare debuit ignorantiam neque illa verba, *Quia tale est nostrum placitum*, ex illo placiti vocabulo, ut ille vult, nata sunt, sed

vetere more, quo Imperatores Romani & Reges nostri, ipsique Pontifices, usitatissima formula suorum edictorum ultima verba solebant concipere, dubitationis tollendæ causa. Sic *Iustinianus* in fine suarum constitutionum adiicit hæc verba: Quæ igitur placuerunt nobis, tua sublimitas operi effectuique dare festinet, *constitutione* 2. & *constitutione* 8. Quæ à nobis disposita sunt, operi effectuique tradere festinet. *& constitutione* 11. Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc sacram exponuntur legem, ea studeat excellentia tua ad effectum deducere, certoq; fini tradere. *Constitutione* 18. Quæ igitur præclarè nobis & religioni placuerunt. *Idem* 19. 20. 21. 32. 39. 57. & aliis, quas longum esset recensere, quæ tibi cùm nota sint, prætermissa existimabit lector de industria, ne calumniæ tuę manifestę fiant: possem ego diplomata retrò Principum, & ipsorum Romanorum Pontificum in medium proferre: sed ille fortassis, tanquam fastuosa, nō probaret: cùm tamen non de jure, sed

de

de usu & veritate, hîc agatur. Non ergo, Hotomane, verbum hoc à Iustiniano frequentissimè usurpatum (quæ placuerunt) ad placitum, id est ad ordinum conventum audebis referre, cùm ejus in historiis Romanorum Imp. nulla mentio sit, qui nunquam ad Concilia & placita sua plebem admiserunt, licet Adrianus apud *Spartianum* dicatur omnes Hispanos Tarraconem vocasse, non ut quid illi ab illis prę scriberetur, sed ut ipse præscriberet. Non ergo à placito dices natum, imò à voluntate principum, qui edicta & constitutiones suas placita vocabant. Quòd si perquirere vetera diplomata Regum, privilegia Imperatorum, indulta Pontificum, & hujusmodi, nostri esset propositi, quæ passim Ecclesiis, Monasteriis, Orphanotrophiis, & cæteris ejusdem generis concessa sunt, & in eis asseruantur, nõ tantùm usos fuisse hoc verbo (quę placuerunt) sed pœnam adjecisse contra temeratores, aliquando pecuniæ, aliquando capitis, docere possem. Sed in re tã manifesta

non opus est pluribus agere. Non ergo inscitia vel malitia (ut tu vis) nec sine exemplo, Scribas Regios hac vulgata formula, *Car tel est nostre plaisir*, usos hactenus, si non tibi, qui veritati bellum parasti, saltem lectori probabitur; & quia tibi placent priorum & non posteriorum Regum exempla, audi quibus formulis Chilpericus Rex sua edicta solitus est concipere & sancire: sic enim *Gregorius Turonensis lib. 6. cap.* 46. de Chilperico loquens. In præceptionibus, quas ad judices pro suis utilitatibus dirigebat, hæc addebat, Si quis præcepta nostra contempserit, oculorum evulsione mulctetur. Sed de iis satis: neque enim quæ vera sunt carpere, sed quæ falsa, nostrum est institutum. Ad rem redeo: superius satis docuimus (& in hoc nemo me in contrariam sententiam adducet, ut non fatear) magnam publici in Francogallia concilii authoritatem fuisse, nec tamen tantam, ut ei eligendi & abdicandi Regis unquam fuerit, cùm (ut superius sæpè diximus, & coacti

ob

ob authoris inflexibilem in sua electione pervicaciam, nunc decimus) filii Regnum à parentibus acciperent, ex *Procopio, Agathio, Cedreno, Turonensi, Aimoino, Adone, Reginone, & multis aliis anteà allegatis*. Quæ autem author hoc capite de Majoribus domus aut palatii differit, non videtur satis locum istum pêrvium omnibus & cognitum fecisse; adeò ut titulo narratio non conveniat: qui enim de Præfectis Regis aulæ (qui mjores domus dicebantur) dicturus erat, de eorum origine dicere illi conveniebat, quòdve eorum erat officium: satis enim, & modicè versato in nostrarum historiarum lectione, intelligo quæ vulgari sermone scriptæ sunt, notum esse potest, majores domus & palatii fuisse, & Merovingis & Carlovingis. Sed fortassis non probabunt omnes eorum potestatem cum Præfectorum Prætorio Romanorum Imperatorum potestate adæquatam. Nam si umbram quandam hujusce dignitatis retineat, qui nunc Magnus magister hospitii

dicitur, non tamen cum Comite ſtabuli, aut Conneſtabuli, poteſtate eſt conferendus: cùm hic aulicis tantùm negotiis, & quæ ad quotidianum aulæ uſum & œconomiam pertinent, præficiatur, alter exercitui, ut meitrò cum magiſtris equitum, aut Præfectis prætorio Romanis ſit comparandus. Itaque horum Conneſtabulorum, ſive Comitum ſtabuli, prout apud *Turonenſem, Aimoinũ* alioſve hiſtoricos fit mentio, ut antiquitate, ita dignitate majores. Quis tandem hac dignitate Majoris domus aut Palatii primus dignatus ſit, non aperit hîc Hotomanus, licet ad ſuum inſtitutum hoc maximè pertineret. *Aimoinus lib. 3. cap. 4.* mentionem facit Chrodini cujuſdam, quem Franci in infantia Sigeberti Majorem domus conſtituerant, virum probum ac timoris plenum, qui (*ut inquit ille*) oblato honori ceſſit, & Gogonem in ejus locum ſuffecit: *eodem lib. cap. 57.* Landerici meminit, quem Comitem & Majorem domus appellat. Cujusdam Vuadonis mentionem

facit

facit *Turenens. lib. 6. cap.* 45. quem vocat Majorem domus Chilperici, qui olim Sanctonicum rexerat Comitatum: *& lib. 9. cap.* 30. dicit, Childebertum Regem, invitante Meroveo episcopo, descriptores in Pictavos misisse, Florentianum Majorem domus Regiæ, & Romulfum Palatii sui Comitem: ex quo loco satis apparet, majorem domus & comitem palatii non idem esse, ut videtur Hotomanus sentire, cùm hîc videre sit Florentianum Majorem domus fuisse, & Romulfum Comitem palatii, tanquam diversas dignitates diversis mandatas: & locus ille *Turonensis lib.* 5. *cap.* 18. de Gurgulione quem Comitem Palatii Sigiberti, non Majorem domus vocat, etiam ostendit. Quemadmodum autem in tantam potentiam creverint Majores domus, ut Regium nomen penes ipsos Reges esset, regia verò dignitas penes majores domus, ut de Pipino Austriæ, qui Regnum sibi & suis, hac via aperuit, id tribuendum ignaviæ Regum novissimorum Merovingis,
de

de quibus dici poteſt, quæ à *Trebellio Pollione* de Gallienis dicta ſunt, cumque ludibriis & helluationi vacarent, neque aliter rempublicam gererent, quàm cùm pueri fingunt per ludibria poteſtates, non mirum ſi Francogalli exemplo Gallorum, quibus, *ut ille inquit*, inſitum eſt luxurioſos principes ferre non poſſe, alium, & alienum quidem, è familia Merovingorum in Regem ſibi ſumpſerunt, Pipinum, & poſt eum Carolum Magnum, quibus etiam non diuturnum fuit imperium, ut ſuperius docuimus, ſic volente Deo, qui per temporis interualla, & viciſſitudines, occulta quadam vi illi ſoli cognita, delicta parentum filios expiare cogit, ac luere. Hanc Regum illorum ignaviam *Cedrenus* videtur notare his verbis: Memoriæ proditum eſt, Regem Franciæ, conſuetudine ſic obtinente, Regnum per ſtirpem è majoribus ſuis ad ſe delatum gerere, nulli alii negotio intentum quàm brutæ voracitati, ac poculis: eundem Majo menſe in conſpectu totius gentis præſidere,

ſidere,gentemque adorare,& viciſſim ab eo adorari, atque ultro tum de more, citroque, dari dona: præfectum domus ſive Aulæ Regis, rerumque gentis ejus omnium curam gerere. *Hæc ille*, quæ licet ab inimiciſſimo Francorum dicta ſint, & Græco, non abhorrent ab iis quæ à noſtris ſcriptoribus vulgaribus dicuntur: quæ enim Cedrenus narrat, referenda ſunt ad initium imperii Leonis tertii Iconomachi, anno Domini 718. quo tempore Theodoricus Cala, & poſt eum Chilpericus ſtupidus, ultimi Merovingorum, Francis imperabant, de quibus ſentire *Cedrenus* videtur, quorum alterum à Pipino in monaſterium relegatum, monachumque factum, *Aimoinus* docet.

IN CAP. XII. & XIII.

QVæ XII. & XIII. Cap. Hotomanus diſputat, an Pipinus Papæ aut Francogallici concilii authoritate, Rex factus fuerit, id etiam videtur face-

facere, non aperiendæ historiæ, sed potius commovendæ & excitandæ seditionis causâ: quid enim opus est toties tragœdiæ istius mentionem facere? quidve expedit nosse, an Gentis consensu, an verò Papæ authoritate Pipinus Rex factus fuerit? cùm satius sit non meminisse earum rerum, quæ sunt obruendæ perpetuo silentio. Cæterùm Regni nostri adimendi, facultatem summo Pontifici nunquam permissam fuisse, nemo ignorat, etiamsi aliquando Bonifacius VIII. id tentare ausus sit, qui Regna dare & auferre (*teste Platina*) pro arbitrio conabatur: licet enim Reges nostri meritò nomen Christianissimi sint adepti, quòd orthodoxæ & Catholicæ Ecclesiæ doctrinam amplexi, mordicus retinuerint: non tamen ita Pontificis Romani placitis & decretis sese dicto audientes præstitere, ut illis omnia ex arbitrio permiserint, & potestatem suam acceptam illis tulerint. Tandem ad Hotomani quæstionem, vel potius schisma,

ſchiſma, venio. Ex locis ab eo citatis ſatis liquet, non authoritate ſummi pontificis, ſed illius aſsenſu & conſilio, Pipinum, Caroli Martelli filium, diadema ſumpſiſse. Hoc etiam *Ado Vienenſis* teſtatur, qui ad hæc acceſſit tempora: ſcripſit enim ille uſque ad annum Domini 779. Et quæ de conſultatione Pipini, cum ſumo pontifice Zacharia dicuntur, geſta fuere circa annum Domini 749. ut ille, & cum eo *Lambertus & Regino*. Verba autem *Adonis* ſic habent: Interim dum copiæ parantur, Pipinus Burchardum Vuiſburgenſem Epiſcopum, *Gaguinus* malè Bituricenſem vocat, & Fulraldum capellanum ſuum, ad Zachariam tunc temporis Pontificem Romanum, mittit, ut interrogarent eum, ſi ita manere deberent Reges Francorum cùm penè nullius poteſtatis eſsent, jam ſolo Regio nomine contenti. Quibus Zacharias pontifex reſponſum dedit, non de jure, ſed de facto (ut noſtri dicunt) Regem potius illum debere vocari, qui rempub.
rege-

regeret: reverſis itaque Legatis, abjectoque Childerico, qui tunc regium nomen habebat, Franci, per conſilium Legatorum, & Zachariæ Pontificis, electum Pipinum Regem ſibi conſtituunt. Childericus (quem Germani ſcriptores Hildericum vocant) tonſuratus in monaſterium miſſus eſt. *Hæc ille. Regino, Sigibertus, Lambertus, author qui addit Aimoino*, & cæteri ſcriptores in eo conveniunt, Regis Pipini inaugurationem per beatum Bonifacium Moguntiacenſem Archiepiſcopum factam. Sed quod Pipinus conſuluit Zachariam ſummum Pontificem, quòdque ſummus Pontifex, ſive conſilium, ſive conſenſum, Pipino præſtiterit, non eſt magna obſervatione dignum. Cùm enim Childericus, Theodoricus, Cala, & alii Reges Francorum tam ſegniter rempub. gererent, Gallia autem & Regnum Francorum in maximo verſarentur diſcrimine, agitarenturque tot bellis civilibus & externis, ex Vandalis ſcilicet, Abydaramo Sarraceno, & aliis Barbaris,

baris, qui partem illam Galliæ Celticæ populabantur, non mirum si delectus fuit, qui huic malo obviam ire posset: ut fecit Carolus Austrasius & post eum Pipinus, & Carolus Magnus nisi enim hi principes nostram rempub. amplexi fuissent, actum erat non solùm de Gallia, sed de ipsa Italia, tot Tyrannis, tot Barbaris exposita, imò de re ipsa Christiana, tunc enim Sarraceni Hispaniæ majorem partem occuparant, in Oriente Imperium Romanum fermè labebatur, & ut uno verbo dicam, nulla Europæ, imò nulla orbis pars: bellis aut seditionibus expers & vacua erat: quæ tamen esse exempli pessimi pius judicabit, nec subditis potestatem eam tribuet, ut proprio Rege abdicato & expulso, alios sibi principes faciant: Jubet enim christus ferre malos principes illisque parere: sed cùm ita visum fuerit Deo, qui regna dare & auferre solus potest. Eam mutationem maxima & urgentissima necessitate factam, à Francogallis, Regibus suis alioquin devotissimis,

ſimis, ex eo credendum eſt, quòd cùm per mille & ducentos fermè annos, Regnum hoc conſtiterit, inventum unum & alterum tantum exemplum ejuſdem mutationis: primum, ob ignaviam & luxuriam principum: alterum fortaſſis, ut à me ſuperius dictum fuit in vindictam prioris, vel majoribus rationibus. Nam, ut ait Marcus Antoninus philoſophus apud *Vulcat. Gallican. in vita Avidii Caſſii*: Nec quenquam facilè bonum Imperatorem vel victum à Tyranno, vel occisum fuiſſe: meruiſſe Neronem, debuiſſe Caligulam. *Idem de Pertinace, & Galba*: denique non Auguſtum non Trajanum, non Adrianum, non patrem ſuum, à rebellibus potuiſſe ſuperari, cùm, & multi fuerint, & ipſis vel invitis, vel inſciis extinctis. Sed iſta ſufficiant: ad Hotomanum redeo, qui ſuo & ſuorum more ridet, quæ *Regino monachus* de Stephano Papa ſcripſit, quippe hoſti Pontificis nihil probatur, niſi quæ eum præſtringunt. Tandem verum eſt, *& ille qui ad Ai-*

moi-

moinum adjecit, ipseque *Ado Vienensis*, & alii scriptores horum temporum testantur, Papam Stephanum, Pipinum & filios ejus, Carlomanum scilicet, & Carolum Magnum ad Regiæ dignitatis honorem consecrasse, ut authoris verbis utar: quæ inauguratio, *Reginonis* testimonio, accidit circa annum Domini, 763. Electio verò, 760. Et hoc est, quod certi de hac re dici potest. Quemadmodum autem tantam authoritatem majores domus sibi arrogarunt, ut tandem proprios Reges deponere, & in ordinem cogere potuerint, hoc, ut dictum est, tribui debet ignaviæ Regum, qui per eos omnia negotia Regni gerebant, nullius interim rei curam gerentes præter luxus, magnum mutationis argumentum & indicium. Enimverò quæ res malos principes faciat, rectè quærit *Vopiscus in vita Aureliani*. Primùm (*inquit ille*) nimia licentia, deinde rerum copia, amici improbi satellites detestandi, aulici vel stulti, vel detestabiles: &, quod negari non potest,

rerum publicarum ignorantia. Addit ex Diocletiano, nihil difficilius esse, quàm bene imperare: Colligunt, *inquit ille*, sequatuor vel quinque, atque unum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt, dicunt quid probandum sit. Imperator qui domi clausus est, vera non nouit: cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur: facit iudices quos fieri non oporteat, amovet à rep. quos debeat obtinere: denique bonus cautus venditur Imperator, ut nihil difficilius bono principe. *Hæc ille*: quæ inserere volui, ut aliquando non tam alieno arbitrio Reges Rempub. curent, quàm ipsi intelligant, quæ eos intelligere & scire non tantùm sua, sed Reipub. maximè in-intereſt. Verùm de iis satis: ad aliud authoris caput progredior.

IN CAP. XIIII.

QUod de Conneſtabulo & Paribus Franciæ est: ego verò ut illũ nempe Conneſtabulum vel Comeſtabulũ, prio-

priorem tempore, ſic potiorem dignitate judico: certum n. eſt, Conneſtabulos præceſſiſſe dignitate & authoritate majores domus: iis n. ut diximus, cura militum, ut magiſtris equitum & præfectis prætorio ſub Romano Imperio, alteris verò domus cura & œconomia tantum, donec illi torpeſcentibus Regibus, & per ignaviã adminiſtrantibus regni adminiſtrationem & curam ad ſe traxerunt, nudo Regis nomine Regibus relicto: hinc eſt quòd *Turonenſis* ante majores domus, Conneſtabulorum meminit locis ab Hotomano citatis *lib. hiſt.* 5. cum poſtea *lib. 6. cap.* 45. de quodam Vuadone, majore domus Chilperici, qui olim rexerat Santonicum Comitatum, mentionem faciat: & ut præcedenti capite dixi, *lib.* 10. *cap.* 30. refert, Florentianum Majorem domus, & Romulfum Palatii ſui Comitem miſſos à Childeberto Pictavis, ad cenſum deſcribendum: Ex quo loco ſubeſt alia quæſtio, quæ erat dignitas illa Romulfi, quem comitem Palatii vocat, cujus etiam dignitatis

alibi mentionem facit, nempe *lib.* 5. *cap.* 15. ubi Gucillonem (qui quondam Comes palatii Sigiberti Regis fuerat) abſciſſo capite interfectum dicit. Cùm verò *Turonenſis lib.* 3. *cap.* 32. ait, Imperatorem Iuſtinianum revocato Belliſſario, Narſetem in ejus locum ſtatuiſſe, Belliſſarium verò Comitem ſtabuli pro humilitate creaſse, non benè aſſequutum *Turonenſem* exiſtimo dignitatem, quàm majorem eſse, & loco Magiſtri equitum, mox præfecti prætorio, qui honos maximus erat poſt dictatorem, *Livio* admoventi prima labra conſtare poterit: quod etiam locus *Ammiani*, *lib.* 26. ab Hotomano citatus docet: *ait enim ille*, Valentinianum Valentem fratrem ſtabulo ſuo cum dignitate tribunatus pręfeciſſe. Calendis Martiis, quem mox Calendis Aprilis, Auguſtum nominavit: ut verum ſit dicere, Valentem prius donatum illa dignitate, tanquam inter aulicas & palatinas majore & clariſſima, cui addere lubet alterum *Marcel. lib.* 31. locum, de cæde Valen-

lentis, cum quo ait xxx. opetiisse Tribunos, vacantes, & numerorum Rectores, Valerianum atqui Equitium: quorum alter stabulum, alter curabat Palatium: meminit etiam *idem Marcel. circa initium hujus 26. libri* Dagalaiphi cujusdam, quem magistrum equitum dicit, qui locus cogit me ambigere, num eadem fuerit dignitas Magistri equitum & Comitis stabuli, & in re obscura licebit tanquam in arena cuilibet sententiam dicere. Majus tamen nomen esse magistri quàm comitis, alter *ejusdem Marcel.* locus *eodem lib.* annuere videtur *: ait ille:* Tunc & Equitus Illyriciano præponitur exercitui nondum magister, sed comes. Itaque paulò post adiicit: his cognitis Valentinianus eodem Equitio aucto magisterii dignitate, repedare ad Illyricum destinabat. Quòd autem Romanis vel Constantinopolitanis Imperatoribus, Ducis & Comitis nomina dignitates fuerint aulicæ, militares & provinciales, vel ex *ipsius Marcel.* & aliorum historicorum Commen-

tariis, qui principum Romanorum ſcripſere hiſtorias, *poſtremiſque libris Codicis* ſciri poteſt. Porrò non erit alienum à vero, exiſtimare Francogallos, quorum non exigua ſemper fuit copia in Palatio vel comitatu Romanorum Imperatorum: imò authoritas, ut ſuperius diximus ex *eodem Marcel. lib.* 15. *&* 31. hujusmodi dignitates Ducis, Comitis, ex eorum inſtitutis ſumpſiſſe, veluti Patriciatus, cujus meminit *Turonenſ. lib.* 4. *cap.* 36. *his verbis*: Enium cognomento Mummolum à Rege Gunthranno patriciatum promeruiſſe. *& lib.* 4. *cap.* 34. ait: Palladium comitatum in urbe Gallicana impertiente Sigiberto promeruiſſe. *Eodem lib. cap.* 38. refert, eundem Regem in locum Jovini rectoris provinciæ ſubrogaſſe Albinum: *& cap.* 41. de Lupo duce, & de Nantino duce, Engoliſmenſi, *lib.* 5. *cap.* 36. *& cap. ultimo ejusdem libri* de Berulfo duce. *& lib.* 7. *cap.* 13. de Garaono duce, *eodem capite* de quodam Vuillachario Aurelianenſi comite. Eſt tamen obſervatu dignum, nec præte-

reun-

reundum silentio, in comitatu Reginarum Franciæ fuisse hujusmodi dignitates, ut *idem Turonensis* author est, *lib.7.cap.27.* qui de Vuadone quodam mentionem facit, quem Majorem domus Reginæ Riguntis dicit. De origine verò Parium Franciæ, nihil ab Hotomano notatu dignum dicitur. Et certè, ut ille ait, nemo antiquorum scriptorum eorum meminit: est tamen locus unicus apud *Aimoinum*, *lib. 4.cap.*20. ab Hotomano, ut credo, non animadversus, qui non parum ad hujus rei cognitionem facere videtur. Ubi Aimoinus dissidii vel controversiæ cujusdam inter Clotarium Regem Francorum, & Dagobertum filium, meminit, ad quam sopiendam & terminandam electos fuisse dicit duodecim Francos, quorum salubri consilio pater pacatus cum filio, reddidit quæ postulabat. *Hæc ille*; ut non ineptè fortassis dici possit, illo exemplo & principio XII. Pares à posteris Regibus electos fuisse, ad dissidia & controversias, quæ inter principem & filios, aut inter

populum & principem oriri poterant, dirimendas, tanquam arbitros: quem numerum posteri Reges amplexi sunt, ut perfectissimum, exemplo Servatoris, qui duodecim assumpsit Apostolos. Nemini tamen dubium esse potest, institutum hoc Parium antiquissimum esse, & si ambigi à quo tempore cœperint possit. *Tilius* scriba nostri Juris adprimè doctus, institutum hoc Parium fuisse dicit circa annum 1119. tempore, scilicet, Ludovici Crassi. Extat Arestum supremæ Curiæ Parlamenti, anno Domini 1216. de Clientelari sacramento, vel fide Comitatus Campanici: extant denique plura alia, *in quibus crebra mentio horum Parium fit*, nempe in Parlamento *Nativitatis Deiparæ*, 1259. Pentecostes, 1261. Omnium Sanctorum, ejusdem anni: Purificationis Virginis, 1262. Omnium Sanctorum, 1316. Aliud ultima Aprilis, 1359. Non placet ea opinio, in quam Hotomanus inclinatior est, hoc institutum fuisse Arturi Regis Britanniæ, nam fabulæ quæ de Arturo dicun-

dicuntur (teste *Polydoro Virgilio, Anglicæ historiæ scriptore diligentissimo, lib.* 2.) circa Regnum Clodovei accidêre, ut ridiculum sit Francogallos sexcentis & amplius post Arturum annis tanquam postliminio institutum hoc repetiisse, cùm hujus nec minima apud nostros antiquos scriptores mentio fiat, & quæ de institutis Equitum mensæ orbicularis, aut rotundæ, illius Arturi fabulantur, non alio *Polydorus* in pretio habet, quàm aniles fabellas quæ de Rolando, & cæteris Paribus Franciæ, ab Italis dicuntur: cujus instituti apud Britannos Anglos, unde id manasse dicit HOTOMANUS, nullum extat hodie vestigium, cùm tamen proprium eorum Regum fuisse dicatur. Itaque melius & aptius hoc institutum ex illo Clotharii & Dagoberti loco, qui in duodecim compromiserunt, ut superius dictum fuit, nec absurdum erit inde originem petere, & minus absurdius, quàm ab externis & peregrinis: fuere enim Franci in con-

condendis legibus non minus industrii & sagaces, quàm in militia strenui, ut ipse *Agathius* testatur. Nisi fortè dicas, postquam Regnum Francogallorum in unius & solius potestate & arbitrio fuit, Carlovingis scilicet sublatis, tunc animum ad leges & politias Reges adjecisse, ut fieri solet quotiescunque ex bellis, quæ omnes politias & leges subuertunt, ad pacem fit transitus, utque fecisse Regem illum Numam, qui secundus à Romulo Romanorum Rex fuit, author est *Livius*, *historiarum lib*. 1. Regno, *inquit ille*, potitus, urbem novam conditam, vi & armis, jure eam legibus ac moribus de integro condere paravit, cùm inter bella assuescere videret non posse, quippe efferatis plerunque animis mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus, Janum ad infimum Argiletum, judicem pacis bellique fecit. *Et paulò post*, Positis externorum periculorum curis, ne luxuriarent otio animi, quos metus hostium, disciplinaque militaris continuerat,

omnium

omnium primùm rem ad multitudinem imperitam, & illis seculis rudem, efficacissimam, deorum metum iniiciendum ratus est: quem Augustus imitatus, debellatis Lepido & Antonio, post Actiacum bellum dicitur fecisse, Janiculo tertio clauso, ut author est *Cornelius Tacitus*, *Annalium lib.* I. Quod tamen institutum, sive Capeto tribuas, sive antiquiori, ex Merovingis vel Carlovingis, præclarum est. Sunt enim tanquam Regni & Regis perpetui consultores, hoc humanæ leges à divinis differunt, quòd divinæ sunt immutabiles, humanæ verò mutabiles, quia, *ut inquit Plato in libro qui Civilis, vel de Regno dicitur*, Lex quod optimum omnibus est & justissimum, nequit syncerè comprehendendo, semper ita ut operæpretium est præcipere, quando hominum actionumque dissimilitudo, instabilisque rerum humanarum conditio facit, ut ars nulla simplex quicquam, & in universum de omnibus, perque omne tempus valens, constituere possit. *Et alibi*: Fieri non

non poteſt, ut certus quidam unius modi, ſemperque ordo valeat in his quæ varia ſemper ſunt, unius modi verò nunquam, ſic propter ſeditiones, quæ in comitiis Imperialibus, quando de novo principe creando agebatur, negotium illud quod omnibus Germaniæ regulis & civitatibus competebat, ſeptem Electoribus mandatur, ex diplomate illo aureo, cujus ſuprà meminimus, quod inſtitutum Novi Juris ab hinc annis trecentis, vel circà, fuiſse teſtatur *Onuphrius*, *antiquitatis exactiſſimus veſtigator*, *in libro quem de Comitiis Imperatoris ſcripſit*, nempe circa annum Domini 1250. & tamen originem incertam ipſe dicit: nec mirum ſi de Paribus noſtris idem dici poſſit, tanta fuit illis temporibus ſcriptorum penuria vel incuria. Quæ autem ſit illa Parium dignitas, non docet Hotomanus: melius *Chopinus* & fuſius libro ſuo, cui multa addenda etiam ſunt: quæ quia egent altiore inveſtigatione, decrevi finem imponere huic narrationi, hoc addito: nullo,
niſi

nisi Parlamenti judicio, quod cavillo Hotomanus imaginarium concilium vocat, Pares teneri, exauctorari, vel in capitis crimen accersiri posset, ut A-resto Curiæ, vj. nonas Mart. 1386. patet.

IN CAP. XV.

DEcimoquinto Capite Hotomanus auctoritatem illius sacrosancti Concilij, continuatam sub Carlovingis asserit, nescio ad quid, cum hoc nemo hactenus in dubium vocarit. Certum enim est & omnibus cognitum, Regibus Francorum satis familiare & frequens fuisse, quoties de summa totius Reipub. agendum erat, conventum indicere. Sed quod Hotomanus Concilio omnia permittit, tantum abest hoc verum esse, ut ex iis, quæ à me dicta superioribus capitibus sunt, contrarium verũ esse patere omnibus possit. Nec magis verum est quod ait Hotomanus, sine authore tamẽ, Carolomanũ, & Carolum Magnum fratres per Frãcos, in generali cõventu, Reges con-

constitutos: huic enim opinioni adversantur, quæ superius dicta sunt ex *Adone, Aimoino, Reginone, Sigiberto, &* *aliis*: nempe Stephanum Pontificem Romanum in Gallia tunc profugum, Pipinum in Regem, ejusque filios Carolum & Carolomanum unxisse. Subjungit *Vienensis*, mortuo Pipino, quem post diem unctionis suę regnasse XVIII. annos, aut paulò amplius, asserit: Gloriosi filii illius Carolus & Carolomanus in Regnum Francorum elevati sunt, Carolomano autem infra triennium mortuo, summa rerum penes Carolum (qui ob res præclarè gestas Magnus dictus fuit) pervenit. Nobiliores enim Franci, *ut inquit ille*, cum Episcopis & comitibus glorioso Regi Carolo se conjunxerunt. *Idem Aimoinus*, aut author ille qui historiæ illius addidit, *lib. 4. cap. 67. & seq.* Sed Hotomanus, qui non minus hæret falsæ illius electionis, & ab eo solo inventæ fabulæ, quàm spongiæ saxis. Iterum ex Eguinartho existimat impudenter, & sine exemplo, etiam Carlovingorum tem-

temporibus Regnum nostrum, ordinum & populi judicio, ad filios pervenisse. Sed hoc falsum est: & exemplum illud Pipini, qui prole Merovingica de medio sublata, ex majore domus Regnum sibi & suis paravit, nihil ad hanc remfacit. Quod illi facile fuit, cùm penes eum arma & fiscus essent, nudo Regis nomine Chilperico, Danieli & Theodorico Cala relicto. Itaque ne videretur Regnum per vim occupasse, alienus enim erat à Merovingis, consuluit Zachariam summum pontificem: mox proceres Regni, ut eorum suffragiis, potius quàm propria authoritate, Regnum videretur accepisse: nec mirum si Concilii authoritatem retinuerit, nec insimularetur leges cum Regibus mutasse, ex quo magna solet conflari invidia: quod Romani animaduertentes, devictum ab eis populum suis legibus vivere permittebant, ut non sustulisse leges, sed Reges, insimularentur: populus enim magis pro patriis legibus, & religione pugnat, quàm pro aris & focis, ut testes

 sunt

sunt Iudei,ipsique Franci,& Germani. Sed incassum hæc Hotomanus, cùm præcedentibus capitibus satis superque à me probatum fuerit, etiam Capevingis hoc familiare fuisse, quoties ex usu reipub. fuit, conventum omniũ ordinum indicere. At ille, qui, ut suprà dictum est, aliud agit, aliud simulat, quique libellum illum, aut monstrum potius, nulla alia ratione in lucem emisit, nisi ut seditiones cieret, nam eò tendunt & spectant fabulæ electionis illæ sæpius ab eo recantatæ: quæ vera sunt dissimulat mendacia profert. Itaque quod ait judicium arbitriumque Reipub. usque ad Carolum Simplicem, id est, per quingentos, & quinquaginta amplius annos, penes populi Comitia & ordinum conventum fuisse, nullo authore hoc asserit: etenim certum est, non solùm Merovingos, sed post eos Carlovingos, Regno constituto, omnia ex arbitrio ut plurimum fecisse, sive belli, sive pacis tempore: & si aliquando conventum indixerunt, id perfunctoriè factum fuit, vel quando

inter

inter eos contentio aliqua oriebatur, aut tempore quo Reges per ætatem Regno & rebus ſuis præeſſe non poterant, ut ex ipſis *Turonenſi*, *Aimoino*, *& aliis ſcriptoribus noſtris*, videre eſt. Sic Clodoveus primus Gundobaldo Burgundo, Clothilde uxore ſuadente, bellum intulit, nullis prius habitis comitiis, mox contra Alaricum Gothorum Regem, deinde contra Chariaricum Regem & filium, quos occidit. Sic Ragnacharium ducem filii Clodovei, matre urgente adverſus Burgundum movent bellum. Theodobertus filius Theodorici Regis expeditionem fecit in Italiam, & Siciliam: Clotarius adverſus Saxones, filii Clotarii Regnum inter ſe dividunt. Quid plura? nulla aut pauca negotia, ſive quę ad bellum, ſive quæ ad pacem pertinent, invenias aliter geſta, quàm voluntate imperantium. Poſſem ego proferre cędes mandatas, & indicta cauſa factas, tributa impoſita, & hujuſmodi Regis ſolius verbo & voluntate: ſed talia ſibi tragicus Hotomanus habeat, quibus tanto-

perè delectatur, quæ ego nunquam evulgassem, nisi ille provocasset. Verum est quod ait Hotomanus ex *Eginartho*, Merovingorum temporibus institutum fuisse, ut quotannis Cal. Maii publicum populi conventum agerent, ad eumque conventum carpento bobus tracto veherentur. Id *Cedrenus*, ut superius docuimus, dicere videtur, dum ait, convenire solitos ad adorandum populum, ab ipso vicissim adorari, & munera accipere. Reges enim illi ultimi Merovingi, semel in anno tantum, populo copiam sui faciebant, negotia belli & pacis per magistros domus curantes & gerentes, nullam autem, aut saltem minimam, fuisse penes illud concilium authoritatem, licet coniicere. *Turonensis* enim, qui vulgarium & planè inanium rerum mentionem facit, illius nusquam meminit, licet historiam suam prosecutus sit usque ad regnum Gunthranni & Childeberti Junioris, id est usque ad annum 630. Itaque non est, cur tantopere Hotomanus

mire-

miretur illam majorum nostrorum sapientiam, quam tanquam in speculo contemplandam censet, quos ait maximam posuisse differentiam, inter Regnum & Regem. Quis enim nescit aliud Regem, aliud Regnum, aliud Pastorem, aliud oves, aliud tutorem, aliud pupillum? Quis unquam talia in dubium vocavit? Imò verò quis non existimat, Regem populi causa à Deo creatum & institutum? quis hoc negat aut negavit unquam? Sed non sequitur, Regem nihil velle, neque posse, quod populo non placeat, tutorem quod pupillo, pastorem quod gregi: Non enim ad hoc constituti sunt, non magis quàm medici ut ægris pareant, dictoque audientes sint: id enim præposterum esset, & contra ordinem naturæ, quo minora majoribus cedunt. Itaque, ut à me alibi dictum fuit, quemadmodum in omnibus tum divinis, tum humanis & naturalibus rebus, videmus aliquid altero semper majus, & ideo dici excelsum quod supra cæteros emineat, ut caput altius

cæteris membris eſt, Sol ipſa Luna clarior, Luna cæteris ſtellis, quæ invicem aliæ aliis lucidiores ſunt, ſic ordinante rerum omnium opifice: imò quicquid eſt in eis luminis, Soli acceptum ferunt, ut membra capiti motus ſuos & actiones: ita exiſtimandum eſt à Deo ordinatam fuiſſe hujuſmodi poteſtatem Regiam, ad illius ordinis cæleſtis diſpoſitionem, & imitationem: ut quemadmodum unum Deum agnoſcimus, cujus nutu omnia agi, moveri, & cuncta gubernari fatemur; ita populus Regis (qui imago Dei eſt) auſpiciis & legibus regeretur, ad eumque, tanquam ad certiſſimam regulam, reſpiceret. Sed quia accidit, ut qui imperat, ſolus per ſe omnia munia Imperii exequi non poſſit, adſumere ſolet viros probos, more Antonini philoſophi: qui, *ut refert Capitolinus*, ſemper cum optimatibus, non ſolùm bellicas res, ſed etiam civiles, priuſquam faceret aliquid, contulit: cujus fuiſse hanc ſententiam præcipuam dicit: *Æquius eſt, ut ego tot & talium amicorum*

con-

consilium sequar, quàm ut tot & tales amici meam unius voluntatem sequantur. Quemadmodum Reges nostri semper fecerunt, & faciunt, ut ne hac quidem parte aliquid desiderandum sit, Cæterùm cùm reipublicæ & Regni cura præcipua sit, in delictis puniendis prohibendisque, & arcendis malis hominibus, & æquali juris distributione: &, ut vult *Plato in dialogo* de *Regno:* Regia majestas, *inquit ille*, mihi videtur omnibus juxta legum instituta, cæteras imbuentibus educantibusque præsidens, id duntaxat ut exerceant doceantque permittere, quod ad ipsius rationem attinens, mores decoros inducat. Eos autem qui fortitudinis temperantiæve, aut cæterarum virtutum vim assequi non possunt, sed pravitate naturæ ad impietatem, petulantiam, injustitiamque trahuntur, è cœtu civium eiicit, exilioq; morte, & extremo opprobrio damnat: vel, *ut ille ait lib. 9. de legibus*, quos insanabiles legislator senserit, ultimo supplicio hos afficiet, non ignorans, satius

fore his qui insanabiles sunt, mori quàm vivere, ac si vita privantur, dupliciter prodesse cæteris: nam horum exemplo à peccato cæteri deterrentur, & improbis hominibus civitas ipsa mundatur. Constituti sunt à Rege magistratus & judices in singulis provinciis, quibus hoc negotium mandatur: & si ab illis provocatum sit, sunt ultimi magistratus & parlamenta, à quibus non magis quàm à principe, ipsisque præfectis prætorio Romanorum jure appellare licet. Quod cùm planè innotuerit Hotomano, quippe sub legibus nostris educato, tamen ille, ut odiosum hoc Regnum ignorantibus morum nostrorum reddere possit, dissimulat, politiam accusat, cum tamen nulla in toto orbe nostræ comparari possit: non dico Germanorum, in ea enim quot sunt domini & toparchi, imò ferme pagi, tot sunt politiæ, cùm quisque (quod tamen Hotomanus, proh dolor, non improbat) legibus quibus vult subditos adstringat. Quid dico legibus? imò verò religionibus,

quæ in Germania innumeræ sunt: ibi enim illa religio quæ Domino probatur, pro justa & legitima est. Enimuero quod Hotomanus publici concilij Lutetiæ habiti, Ioanne Rege ab Anglis capto, & in Angliam abducto, mentionem ausus est facere, in quo nonnullos Consiliarios Regis exclusos dicit, imò jussos conventu exire; hîc etiam ostendit quantùm illi seditiones probantur & placent. Sed quia *Froissardus*, ipseque *Monstreletus*, quorsum evalerit hoc concilium, satis docent, quos consulere debebat antequam illius mentionem faceret, vidisset verum esse quod ex *Livio* suprà diximus de plebe: *Aut servit humiliter, aut superbè dominatur*: eò enim res processerat, ut nisi Caroli quinti, Joannis filii, Normaniæ ducis, tunc Regnum regentis prudentia obviam itum esset, plus mali cœtus ille Regno adlaturus erat, quàm ipsius Regis Joannis captivitas, qui tamen non ita natum dissidium componere potuit, quin multa & magna ex illo incommoda nata sint

huic Regno, ipſique Carolo, qui non ſemel in vitæ diſcrimen incidit, plebe laxatis habenis furente: quæ, ut iterum dicam, aut ſervit humiliter, aut ſuperbè dominatur: & tamen exempla illa Hotomanus profert, laudat, & imitatione digna judicat, ut mutet quadrata rotundis. Et ea ratione citat *Ciceronem ad Brutum*, ubi *Cicero* fatetur ſemper ſibi placuiſse, non Rege ſolo, ſed Regno liberari rempub. Idem animus Hotomano, idem propoſitum, ea mens, licet diſpar ſit ratio, nec deeſset conatus, ſi vires ſufficerent: ſed nihil ille præter inanem latratum habet.

IN CAP. XVI.

CUi non ſatis fuit ter aut quater eandem lectionem cantare, niſi etiam hoc 16. libelli ſui capite, iterum, tanquam Penelopes telam texens, ſuum impudens commentum, toties exploſum, toties cæſum, falſi mendaciique convictum, inſervifset. Ait ille ſuperius demonſtratum fuiſse, Francogal-

cogalliæ Regnum per mille ducentos annos in tribus tantum familiarum nominibus versatum, Merovingorum scilicet, Carlovingorum & Capevingorum. Tu quartam moliris & optas: quod te malè habet, & iterum mentiri cogit impudenter, dum ais non hæreditate, sed concilii judicio, Regni successionem delatam: quod tu planè nosti falsissimum, ut superius satis superque probavimus, & series Regum nostrorum omnibus nota, hoc indicat, quam hîc repetere, tędium & nauseam lectori pararet. Subjungit ille libenter tamen: Franci Germanorum suorum institutum retinebant, ut Reges ex nobilitate, Duces ex virtute sumerent, ac plerumque Reges sibi deligerent, qui Regali sanguine prognati, regaliter instituti educatique fuerant, sive ex propinquorum numero & gradu essent, sive non, Sic, *inquit ille*, circa annum Domini 987. à Ludovico ultimo ex Carlovingis ad Capetum Francorum ducem Regnum delatum extitit. Dii te perdant cum ementita

tua

tua electione. Sed dic, profer, & recita authorem: tibi enim, tanquam impudenti nugatori, nemo unquam fidem dabit: imò verò profer aliquem, qui turbato ordine successionis, tum ex Merovingis tum ex Capevingis, Regnum adeptus sit, excluso propinquiore: recitarem iterum ego lubenter eo loci seriem Regum nostrorum, ad deridendum Hotomanum, ni superius multa ad hanc rem dicta & probata fuissent, & notæ non essent Regum nostrorum historiæ, quove ordine, quomodo, quando, & à quibus Regna acceperint: sed ait, Cùm è familia Carlovingorum Carolus Lotharingiæ dux superesset, Hugo Capetus, Imperatoris Ottonis ex sorore nepos, Hugonis illius magni Comitis Parisiensis filius, Regnum adeptus est, alienato à Carolo Francorum animo, quòd Lotharingiam Imperatori cesserat, ut *Appendix ad Aimoinum* docet, *l.* 5. *cap.* 44. quam historiam ab Hotomano insertam libello suo ea ratione judicio, quòd duæ illæ Regum mutationes illi maxi-

maximè placent: &, ut dictum est, non alia ratiõe ista proponit, quam ut imitentur. quomodo autem acciderit hujusmodi mutatio, qua fieri potuerit fide, licet invitus, narrabo, altius re repetita. Superioribus dixi, Merovingis ob ignaviam & socordiã regno pulsis, imò è medio sublatis, per Majorem domus Pipinũ Austrasium: qui sibi & suis Regnũ paraverat, sumã rerum penes Carolum Magnum ejus filiũ, Carolomano altero filio mortuo pervenit, Magno successit Ludovicus filius, qui ob morum facilitatem & sanctitatem Pij nomen adeptus est, cui majora bella & deteriora à filiis fuere quàm ab exteris. Notum enim est, Pium à filiis sæpius bello petitum, carceribus mancipatum, Juditha uxore in monasterium acta, mox in exilium: quæ dissidia aliquo modico intervallo sopita, imò potius dissimulata, extiterunt, Ludovico in Regnum & Imperium restituto, & Juditha uxore exilio revocata. Tandem decessit Pius, ut refert *Appendix ad Aimoinum, lib. 5. cap.* 20. Cal.

Julii

Julii 840. quo defuncto seditiones quæ Pium agitarant, cum hæreditate ad filios transierunt: Carolum, qui Calvus dictus fuit, scilicet, Lotharium Ludovicum & Pipinum, inter quos fit bellum Fontaneum in Burgundia atrox: ubi, (*ut inquit Appendix*, & superius diximus) multus effusus est sanguis: Calvo cessit Regnum Francorum. Lothario, pars illa ejusdem Regni Franciæ, quæ Germaniam respicit, deque nomine illius Lotharii, Regnum appellata Lotharingia, dicitur. Ludovico, Burgundia: Pipino, Aquitania. Nec mirum si Regnum hoc tot portionibus divisum, tandem lapsum sit, donec ad unius iterũ redierit arbitrium. Ita diviso Imperio, aliquantulum quievere fratres. Lothario extincto in Italia, quod accidit circa annum Domini 858. Calvus audito fratris obitu, eodem anno, 5. Idus Septembris, Metis in Ecclesia sancti Stephani cum benedictione sacerdotali coronatus est; unde inter Calvum, & Ludovicum fratrem Regem Germaniæ & Bur-

gundiæ,

gundiæ, magnæ contentiones pro Lotharii successione exortæ sunt, quæ tandem paulò post sopitæ, & successio Lotharii inter fratres divisa, qui tamen quoad vixerunt sibi invicem insidiati sunt, alia superveniente causa: nempe Ludovico Rege Italiæ mortuo, Calvus, invitante Ioanne Romano Pontifice, Romam profectus est, & ab eo, *ut Appendix refert eodem lib. ca. 32.* xvj. Cal. Ianuar. cum magna gloria in Ecclesia sancti Petri susceptus est, anno 876. mox in die Nativitatis Domini ejusdem anni, in Imperatorem est unctus & coronatus, atque Imperator Romanorum declaratus: unde iterum controversiæ inter Calvum, & Regem Germaniæ Ludovicum, quo defuncto non minor inter Calvum & filios Ludovici quæstio, fuitque atrox prælium ad Coloniam inter Calvum & Ludovicum Ludovici fratris filium: quoprælio victus Calvus, exercitu penè deleto, coactus sibi cõsulere: & tandẽ à Sedechia Iudæo medico suo, hausto veneno, quod illi loco medicamẽti propina-

pinarat Judæus, moritur Calvus: in cujus locum, Ludovicus filius, quem nostri Balbum vocant, in Regem Francorum ab Huicmaro Remorum Episcopo inungitur, circa annum Domini 877. qui, *teste Reginone lib.* 1. circa annum Domini 878. obiit, non sine suspicione veneni, relicto cognomine filio, & altero Carolomano, quibus Boso (cujus, ut refert *Appendix ad Aimoinum, cap.* 32. *lib.* 5. Calvus sororem uxorem duxerat, eumque Ducatu Mediolanensi donarat) data in matrimonium Hymengarda Ludovici Imperatoris filia bellum intulit, seque Regem Burgundiæ dixit, uxore inflata animis Regiis ad id impellente. Ludovicus quoque, qui Germanis, ut dictum est, imperabat, audita Balbi morte, adolescentibus filiis bellum etiam intulit, à quibus portionem Regni Lotharii quam pater tenuerat, Calvus verò ademerat, accepit: addita etiam, ut refert *idem Regino eodem lib.* 2. *Chronicorum* S. Vedasti Attrebatis abbatia. Tandem Ludovicus Ludovici filius,

Calvi

Calvi nepos, obiit anno Domini, *secundum Reginonem*, 883. *Appendicem verò Compendii* 882. relicto Carolomano fratre, quem etiam obiisse Regino horum temporum scriptor testatur, anno Domini 884. induciis cum Northmannis pactis: non, *ut asserit Æmilius*, dum in equo ludibundus, refugientem domum puellam insequitur, impetu equi intra humile ostium illatus: sed, *ut idem Regino ait*, ex vulnere in venatione ab apro illato, vel à quodam suo satellite: improvidè arma ferente. Hîc versari in maxima caligine incipiunt res Francorum; dicam tamen quod comperi, nempe post eorum obitum, cùm Northmanni Gallias vastarent, ut *Regino & Sigibertus* eum secutus referunt; Franci Carolum Ludovici Germani filium, Calvi fratrem, ut *Reginonis* verbis utar, ultrò in Regnum evocant; eique advenienti ad Gundolphi villam obviam procedunt; & manibus sacramentisque juxta morem datis, ejus ditioni se subdiderunt: eum recentiores, scriptores Crassum

vocant. A quo etiam (quia *ut ait Regino*, corpore & animo ægrotabat) Franci optimâtes defecere ad Arnulphum Carolomanni filium eumque, ut *Reginonis* verbis utar, ultro in regnum attrahunt, & ſubitò facta conſpiratione ab Imperatore deficientes, ad prædictum virum ſtatim tranſeunt, ita ut in triduo vix aliquis remanſerit, qui ei ſaltem officia humanitatis impenderet quo defuncto (obiit enim anno Domini 888.) non ſolùm Francorum Regnum, ſed Imperium ſciſſum eſt. Cùm enim, *ut Regino inquit*, quem ego cæteris ſcriptoribus præferendum cenſeo, ut pote geſta ſui temporis ſcribentem, nõ deeſſent Francorum principes qui nobilitate, fortitudine, & ſapientia, Regnis imperare poſſent, quia inter ipſos æqualitas generoſitatis, dignitatis, ac potentię diſcordiam augebant, nemine cæteros præcedente, ut ejus dominio reliqui ſe ſubdere dignarentur, quædam pars Italici populi Berengarium Forolivienſis Comitis filium, Regem ſibi ſtatuunt. Franci verò cum

cum consensu ejusdem Arnulphi, Othonem Ducem Andium Roberti Ducis qui bello Northmanico objerat, filium extra Carlovingorum stemma & familiam, virum tamen strenuum, forma & proceritate conspicuum, cui virium sapientiæque magnitudo inerat, Regem super se creant, qui viriliter rempub. rexit. A quo tamen anno Domini 892. Principes Francorum maxima ex parte deficiunt, & Carolo, quem nostri Simplicem vocant, Balbi filio ex Adheleide manus dant, factione Falconis archiepiscopi, & Pipini Comitis, eumque Remis in Regnum elevant, quos Hoto, nostri Odonem vocant, compositis rebus in Aquitania, cum ipso Carolo fugat, persequiturque. Hoto sive Odo obiit ann. Domini 898. quo defuncto, solus Carolus Simplex ex voluntate Principum regnat: quo tamen in carcere truso per Heribertum Veromanduum, Franci ab eo defecerunt, & Rodulphum Burgundũ extra progeniem Carlovingorũ sibi in Regẽ assumunt, Inter quem & Rober-

 tum,

tum, Hotonis ſivo Odonis fratrem, quem ſuperius à *Reginone* Regem Francorum diximus, graviſſima extiterunt bella: eo tandem defuncto, Franci Ludovicum Simplicis filium tunc in Hybernia, vel ſecundum quoſdam, in Anglia degebat (noſtri ob id vocant tranſmarinum) Regem aſſumunt: adverſus quem Hugo maximus dux Francorum Hotonis ſive Odonis Regis propinquus, qui tranſmarinum ex Anglia cum matre Headgina Simplicis uxore evocarat, bellum paravit. *Appendix ad Aimoinum, cap. 6.* teſtatur, Simplicem totum vitæ tempus duxiſſe plenum anguſtiarum, ærumnarum & moleſtiarum, mox diem clauſiſſe, ſecundum Sigibertum, anno Domini 955. relictis Carolo & Lothario. Lotharius factione Hugonis magni ducis Francorum in Regno præfertur: Carolus privatus vixit: obiit Lotharius annô Domini, 977. reliquit, *ſecundum Appendicem*, Ludovicum, quem noſtri ob ignaviam, inertem vocant, dicuntque anno tantùm regnaſſe, & obiiſſe,

obiisse anno Domini 985. *Appendix verò*, 9. regnasse dicit: utcunque sit, certum est Carolum, quem *Appendix* filium Lotharii, *Sigebertus* fratrem dicit, ab Hugone filio Hugonis magni Ducis Francorum, Hotonis vel Odonis Regis Francorum nepote captum, Regno privatum, & in perpetua custodia Aureliæ cum uxore & liberis adservatum quoad vixerit, eundemque Hugonem, cum filio Roberto, Regem Franciæ creatum. Sic tandem hoc Regnum ex Carlovingis ad Capetum pervenit, quod ego ordine commemorare volui, non ea ratione qua Hotomanus: sed ut lector secum reputet, quo in statu tunc temporis res Francorum esse poterant: ad quæ tamen tempora nos Hotomanus, si posset, revocaret. Præterea ut omnibus innotescat, nihil esse tam constans, tamque perpetuum, & legibus optimis stabilitum, quin pluribus incommodis obnoxium sit, & vicissitudine quadam mutationes recipiat: quas tamen mutationes, tanquam pernicio-

 sissimas,

ſiſſimas,& in interitum generis humani eſſe *Plato* docet,*lib.7.de legibus*: ideò vitandas, quatenus humana fragilitas prævidere poteſt, & illis ratione qua à Deo donati ſumus, obviam ire, licet ſæpiſſimè mala iſta nobis procurantibus accidant, propter populi vel Regum peccata, quibus aliter mederi non poteſt: mutationes enim Regnorum, Imperiorum, Rerumpub. maximè à Deo pendent, in quibus videmus, manum Domini fortiſſimam, & minaces iras. Nam, ut *Attabanus apud Herodotum lib.* 7. prægrandia animalia fulmine Deus ferit, nec ſinit inſoleſcere: parua verò nihil lædit: magna ſemper ædificia, magnaſque arbores, hujusmodi fulminum tela percutiunt: gaudet enim Deus, eminentiſſima quæq; deprimere. Vnde & ingens exercitus ab exiguo profligatur, quoties Deus, his quibus invidet, aut metum incutit, aut tonitruum: propterea multi ex alto & ſummo faſtigio in maximas calamitates inciderunt, quia Deus neminem alium, quàm ſeipſum,
ſinit

ſinit magnificè de ſe ſentire, Sic imperia accepimus & poteſtates omnium firmiſſimas corruiſſe. *Hæc ille.* Corruit enim Medorum monarchia, corruit Perſarum, Macedonumque: &, quod magis eſt ſtupendum, Imperium Romanum omnium præſtantiſſimum, quod æternum omnes exiſtimabant, concidit: tanta eſt rerum humanarum inconſtantia & varietas. Sic Regnum Francorum ex Merovingis ad Carlovingos, mox ex Carlovingis ad Capetum, Dei judicio, translatum fuit. Ut tandem his exemplis, Reges & judices terræ ſapere diſcant, ac metuere, nec omnia pro voluntate & arbitrio gerere ſibi permiſſum exiſtiment: reputantes Deum aliquando, licet ſerò, tandem miſertum populi, vindictam de illis ſumpturum, & ex illo ſummo faſtigio eos dejecturum: agnoſcantque quàm gravis caſus in ſervitium ex Regno ſit, ut inquit *Saluſtius.* Supereſt quod poſtrema hujus capitis parte Hotomanus, ſequutus illius ſuperciliosi ſcriptoris gallici ſomnia, ait,

non esse prætereundum silentio astutum Capeti in novo Regno stabiliendo consilium: Quod ille ad conciliandos retinendosque Procerum animos, quæ temporariæ erant dignitates, veluti Ducatus & Comitatus, fecit perpetuas, constituitque ut qui eas obtinebant, patrimonii jure retinerent, atque ad suos liberos posterosque, cum reliqua à hæreditate, transferrent: quo facinore non minimam, publici Concilii authoritatem imminutam dicit. Certè etiam eo loci Hotomanus detegit qualis vir siet, calumniator scilicet, & conviciator impudentissimus; calumniator; quòd falsò insimulet hujus, ut ille loquitur, facinoris Capetum: conviciator; qui non veretur talem Regem astutum dicere, & commissi facinoris accusare. Quid enim de veteratore Davo Terẽtiano pejus diceret? Sed imitatur illum scriptorem Gallicum recenter ortum, qui eadem vel majore insectatione Capetum proscindit. Habet etiam Connanum suæ opinionis assertorem,

torem, virum certè doctissimum, qui tamen allucinari potuit, fallique, cùm certum sit longè ante Capetum hoc factum fuisse. Nam in Germania Ducatus, & hujusmodi sunt hæreditarii ab hinc septingentis vel amplius annis, qui tamen Merovingis erant tantùm dignitates vel officia. Quis hoc facinus in Germania commisit? quis in Italia? non dices Capetum, qui neque Germanis neque Italis unquam imperavit, ut omnes norunt. Quare Imperatori Germano renuntias, ut ille potestates hujusmodi, quæ in Germania multæ & innumeræ sunt tandem in ordinem cogat, revocetque ad primum statum: si tamen posterioribus Imperatoribus non licuit, ut tu sentire videris, Ducatus & Comitatus & hujusmodi dignitates hæreditarias facere. Vide quomodo te geris erga Principem illustrem, Comitem Palatinum, Electorem, cui tandem ausus es librum tuum dicare, plenum hujusmodi fabulis, cùm tamen liber ille, illum, & omnes alios Germaniæ Prin-

cipes permaximè pungat & urgeat, tanquam ſacri Imperii & patrimonii injuſtos poſſeſſores invaſores, vel uſurpatores: nam quid aliud vis hujuſmodi narratione ridicula, quæ certè multum detrahit de eruditionis tuæ opinione: ſed quia tu me, licet reluctantem, in hanc cogis deſcendere aleam, ut ad te redeam, qui nihil pro tua malè concepta opinione adfers præter nugas, locumque illum, qui certè propter illius antiquitatem lubricus eſt, verſaturque in maximis tenebris, pervium & clarũ faciam quoad potero, liceatque de hac re meam promere ſententiam: Certum eſt Capetum fruſtra in jus hac de cauſa *vocari*, *multis enim* ante Capetum temporibus *id* factum fuit, regnantibus ſcilicet poſtremis ex Carlovingis: tanta enim erat tunc rerum omnium confuſio, tot bellis Franco Gallia, totque ſeditionibus agitabatur, ut facile fuerit iis, qui hujuſmodi dignitatibus præfecti erant, eas tanquam hæreditarias retinere, ſive permittente Rege, ſive annuente, vel potius

tius diſſimulante, cùm aliter tueri, niſi his juvantibus, Regnum deſperaſſet: ut *Appendix* ad *Turonenſem* videtur ſignificare, etiam id factum Merovingicis temporibus, labente eorum Imperio: ſic enim *author illius Appendicis, cap.* 108. procedēte alioquin anno ſequente egregius bellator, Carolus princeps (de Maleo vel Martello loquitur, quem proximo capite occidiſſe Abydaramum Sarracenum dixerat) regionem Burgundiæ ſagaciter penetravit, fines Lendibus ſuis probatiſſimis viris, induſtriis ad reſiſtendum, rebellibus & infidelibus, ſtatuit: præterea ut hiſtoriæ Carlovingorum ultimorum teſtantur, tantus erat nobilitatis faſtus, ut non ſolùm dignitates illas, ſed abbatias hereditarias facerent, author eſt *Appendix ad Aimoinum, lib. 5. cap. 36. & cap. 42. melius, cap.* 43. ubi mentio fit Rodulphi Ducis Burgundionum Richardi Ducis filii: *Appendix*, *Regino*, & *Sigibertus* Rodulphum in albo Regum Francorum numerant: meminit præterea eo loci Gisleberti Ducis Burgun-

gundiæ, quem ait reliquisse ducatum Othoni filio Hugonis Magni genero suo: addit *eodem cap.* Othone Duce Burgundiæ defuncto, ei successisse Henricum fratrem: & sic à Richardo ad Rodulphum: à Rodulpho, ad Gislebertum: à Gisleberto verò, dotis nomine, ad Othonem: ab Othone, ad Henricum fratrem, per successionem Ducatus ille transivit: quæ omnia longè ante Capetum facta ordo temporum satis docet. Eadem de Andio Comitatu, & multis aliis ostendi possent, sed locus ille pluribus egeret: itaque sufficiat docuisse falli & errare Hotomanum turpissimè, falsoque insimulare hujus facti Capetum, *ut ille* cum magna impudentia, ne dicam ignorantia, facit.

In Cap. XVII. & XVIII.

Duobus Capitibus sequentibus, unum quod est xvij. de continuata publici concilii authoritate Capevingorum familia: alterum xviij. de memora-

morabili authoritate Concilii in Regem Ludovicum XI. ſatis fatetur Hotomanus,quod inficiari ſine impudentia non poſset, leges etiam temporibus Capevingorum viguiſse, &, ut uno verbo dicam, non Regnum, ſed Reges mutatos. Enimvero ſi comparationi locus eſset,multum differt Capevingorum à Merovingorum & Carlovingorum politia & adminiſtratione : ſive leges, ſive quid aliud in comparationem venire poſſit, ut ex iis quæ dicta ſunt ſciri facilè poteſt, & melius ſi Reges Regibus, tempora temporibus opponas : quæ quia locus hic non poſtulat, & res longiore eget narratione,ſufficit etiam ore proprio Hotomani, qui aliter factum vellet, Reges Capevingos juſtiores Merovingis & Carlovingis ſemper fuiſse, eſseque. Porrò de controverſia pro Regno Francorum inter Philippum Valeſium, & Eduardum Angliæ Regem, Elizabethamque ejus uxorem, Caroli Pulchri Regis Francorum ſororem, qui ſine prole maſcula obierat, cujus

hoc

hoc capite meminit Hotomanus, & in qua Philippum fuiſſe ſuperiorem nemo neſcit: non eſt verum, ſolutam fuiſſe, & terminatam in publico gentis conventu, ut vult Hotomanus, ſed Lutetiæ in Parlamento Patrum, ſive Parium Curia, judicio Curiæ, ac duodecim Parium Franciæ, ut ex *Froiſſardo* ſatis colligi poteſt: denique extat Areſtum, recitatione cujus id melius ſciri poterit, licet verum eſſe nolim inficiari, interfuiſſe actioni & hujuſmodi quæſtioni, Regni hujus Proceres. Sed an illi ſuam in hoc cœtu dixerint ſententiam nihil *Froiſſardus*. Itaque dicendum eſt interfuiſse quidem actioni, tanquam Regis *Comites*, vel ſpectatores, ut fieri plerumque videmus, quoties Rex jus dicturus, Parlamentum ingreditur (id vulgus vocat, lectum juſtitiæ tenere.) Cæterùm hoc loco paululum divertere, formamque hujuſmodi cœtus narrare, quove ordine ſedeant, qui & quibus jus ferendæ ſententiæ in eo competat, non erit otioſum nec inutile poſteritati inſi-

nuare

nuare & mandare, cùm videamus in talibus veſtigandis & quærendis, hodie hominum doctiſſimorum ingenia valde occupata & intenta: quæ ſi apertius fuiſsent enunciata, clarior eſſet hiſtoriarum, non tantùm noſtrarum, ſed externarum cognitio. Sic ergo habet: Regem Curiam ingredientem (ut dixi) comitantur, & in inferioribus ſubſelliis ſedent, qui ſunt ſecretioris illius Conſilii, quibus permiſsum eſt de re controverſa ſuum promere judicium: in majoribus autem Principes conſanguinei primo ordine à Rege, qui illis eſt erectior & remotior, & ipſi ſententiam dicunt. Ab iis verò principibus, ipſi Pares Franciæ laici ab uno latere, Eccleſiaſtici verò ordinis ab altero, idque in ſuperioribus ſubſelliis, longiuſculè à Rege, quorum etiam explorantur ſententiæ: ideſt Cancellarius ſententiarum, opinionum aut ſuffragiorum Regius narrator, & enunciator: quiq; prius explorata & quęſita Regis ſentētia, illius tamē authoritate ſtatuit. Adſunt & Regni Proceres, &

qui

qui dignitate egregia præditi ſunt, ſive ex Comitatu principis, ut magnus Magiſter domus, magnus Camerarius, ſummus Dapifer, ſummus equorum regiorum cuſtos, & hujusmodi: ſive Regni dignitatem gerant, ut Coneſtabulus, Tribuni militum, quos Mareſchallos vulgò vocamus, qui etiam ſententiam dicunt. Item Navarchorum præfectus vel Thalaſſiarchus, vulgò Amiralium vocamus: & ſimiles, ut puta Præfecti & Præſides provinciarum, quos vulgus vocat Ballivos & Seneſchallos, quibus tamen jus ferendæ ſententiæ non eſt, niſi cùm dignitate à Conſilio ſecretiori Regis ſint: interſunt ipſi Præſides & Senatores Parlamenti, purpurati omnes, qui etiam ſententiam dicunt. Tandem ut ad propoſitam narrationem redeam, cùm finem hujusmodi quæſtio illo Areſto celebri acceperit, ex jure, non manu aut vi; clarum efficitur, legis Salicæ authoritate fuiſse judicatum, qua fœminæ non ſolùm Regno, quod nunquam niſi ab illo perpetuo Fran-

corum

eorum hoste, in dubium vocatum fuit, sive Merovingis, sive Carlovingis, sive Capevingis: sed portione Regni quantulacunque arcentur, ut superioribus docui, & veritas facti, quæ omnes alias probationes superat, satis ostendit. Nulla enim unquam alia inveniri poterit affectati hujus Regni suspicio tantum, ne dicam controversia, ab aliqua fœmina, aut ejus marito quantumvis proximior agnatione, aut sanguine fuerit: ut mirum sit, tam impudenter scriptorem Gallicum, cum supercilio & magna audacia, ab hinc duobus annis scripsisse, in suis narrationibus & commentariis fœminis Regno nostro interdici, non alio jure quam vi & armis (omnium, ut inquit ille, legum fundamentum) quasi velit institutum illud sive legem, sive consuetudinem, sive quid aliud voces, nulla ratione, sed solius imperantium voluntate niti: cùm tamen nihil magis consentaneum naturæ sit, quàm viros viris imperare: non quòd ego Regna, quorum ex consuetudine fœminæ

m capa-

capaces ſunt,improbem:multas enim fuiſſe, eſſeque,non contemnendæ authoritatis: quæ etiam melius imperarunt,imperantque viris. Ego ordinem naturæ, & non quod præter eam, ne dicam contra fit, ſequor: quæ prius ut ortum & generationem ita imperium viris detulit,qua duce nunquam aberrabimus, ut inquit *Tullius*. Nec enim, ut ait *Plato*, bobus boves, nec capris capras præficimus,ſed nos ipſis, genus melius, dominamur: hoc tamen illi condonandum cenſeo,quem, ut alienis inſerviret & placeret auribus (ut aliena opera uſus eſt) talia dixiſse exiſtimo: neque enim de hujuſmodi rebus judicare poteſt, *cùm ſit* tantùm organum & *inſtrumentum* alterius dogmatis & opinionis. Etenim nemini dubium eſſe poteſt, ut enim ait *Plato,lib.4.de legibus*, vel populum ſuperantem, vel aliam quampiam rempub. vel tyrannum,ad aliud ſponte leges laturum, quàm ad utilitatem ſuam,hoc eſt,ſui principatus ſtabilitatem, quas qui tranſgreditur, ut iniquus

quus ab eo, qui eas institutiones induxit, justasque appellat, punietur: sed hæ, eo authore leges non sunt, cùm leges dici & censeri eæ debeant, quæ ad temperantiam, & virtutem salutemque civium & subditorum respiciunt, Is enim, ut inquit ille, solus, rectè ferre leges existimandus est, qui veluti sagittarius, illuc animum semper intendit, unde continuò aliquid sequatur, eorum quæ bona sunt: reliquit verò quod à virtutibus separatum est. Ad quod lex illa sive Salica, sive, ut vult *Postellus*, & fortassis bona ratione, Gallica, imo naturalis, tendit: quid enim melius, & ad naturam accomodatius, quàm hominem qui caput fœminæ est regnare? Itaque non vi & armis lex illa posita fuit, sed ratiōe naturali, & omni jure divino & humano, ut pluribus docere possem, si hujus esset loci ac temporis, nec longiore opus esset narratione. Quare, ut ad Hotomanum redeam, non est quòd tantoperè sese torqueat, hoc 17. cap. ad authoritatem concilii ostendendam & probandam:

cùm nemo adeò impudens & perfrictæ fronis inveniri possit, qui hoc neget. Satis enim superioribus docuimus, multa negotia, eaque gravissima, ordinum vel statuum consilio plerunque terminata & decisa, solius tamen Regis nomine & authoritate. Quorsum autem evaserit Concilium illud habitum Lutetiæ, capto ab Anglis Joanne Rege, cujus meminit Hotomanus, quantumque turbarum & seditionum civerit, legat *Gaguinum, Froissardum* & *Monstreletum*: legat inquam, & inveniet nihil verius esse, quàm quod *Livius* ait, & bis à me jam dictum fuit, de plebe: aut servit humiliter, aut superbè dominatur. Habes Hotomane, quod te non puduit scribere, nempe ex Regno non tyrannidem, sed oligarchiam omnium malorum maximam, quæ tu maximè delectaris: etenim verum est, Joannis captivitatem, exercitusque illius cladem, & internecionem in agro Pictaviensi, non majus detrimentum Galliæ inflixisse, quàm seditiones, quæ ex illo

illo cœtu natæ ſunt: nam quicquid malorum ab Anglis, Navarris, Arminiacis, Burgundis, & hujusmodi, illatum Franciæ per tot annos extitit, à Joannis captivitate uſque ad Carolum VII. inde originem traxiſſe, nemini in lectione hiſtoriarum noſtrarum tam modicè verſato, incognitum eſſe poteſt: ex illo enim ſeminario, quicquid fuit bellorum in Gallia, ſive ob tutelam Caroli ſexti, quem pater impuberem reliquerat, ſive ob furorem in quem princeps ille alioquin bello ſtrenuus, & viribus corporis nulli ſecundus, incidiſse dicitur, non ſine ſuſpicione dati medicamenti, ex illo fonte originem accepit: donec Carolus ſeptimus ſapientiſſimus, fortiſſimus & piiſſimus, omnibus prope fortunis ſpoliatus, tandem ope divina de Anglis, domeſticis factionibus, & ſeditionibus triumpharit, toto Regno Anglis ipſis expulſis, & trans mare amandatis, unica Calete excepta, in memoriam priſtinæ eorum rebellionis & tyrannidis, quod nullum genus

ſævitiæ & crudelitatis in Francigenas Francis ipſis ductoribus prætermiſerant: unde meruerint nomen habere & antiqui & perpetui hoſtis nominis Francorum, à qua etiam emenſis ducentis circiter annis, auſpiciis Ducis Guiſii Lothareni, Regis Henrici Legati, vi expulſi ſunt, anno Domini 1558. Vide, Hotomane, fructus *cœtus tui* tantopere celebrati, & cantati. Sed te iſta oblectant, itaque non mirum ſi ſæpius in ore habeas. At verò de memorabili illius concilii authoritate, quam memoria patrum noſtrorum interpoſitam rurſus Hotomanus cum magno faſtu & procaci oratione dicit 18. capite, cenſetque *narrandam &* non prætermittendam, contra Regem Ludovicum XI. quem ſuperiorum Regum omnium verſutiſſimum, & calliditiſſimum habitum eſſe dicit. Videamus tandem quis fructus, quisve exitus fuerit hujuſmodi cœtus, & certè ſeditionum amantiſſimus, & incenſor Hotomanus, narratione ſua fateri cogitur, nihil præter cædes, rapinas, urbium

bium direptiones, incendia, conſtuprationes, & libidines execrandas: poſtremo quicquid malorum bellum inferre ſolet, ex tam memorabili & non prætermittenda auctoritate manaſse, tot defectoribus & conjuratis, coeuntibus adverſus Principem ſuum. Atqui, ait ille, evocatis aſſiduis plebis querimoniis & poſtulationibus exercitum comparaſſe, ea ſcilicet ratione, ut ſi Rex conſulere bono publico & bonis conſiliis parere detrectaret, vi cogere poſſent: qua de cauſa bellum illud bono publico ſuſceptum dicebatur, cùm tamen in perniciem populi vergeret, ut eventus docuit: hoc certè illi prætexebant, ut ſolent qui cauſam ſeceſſionis aut diſſidia quærunt: qui enim, niſi illo colore quęſito, bellum intuliſſent? Omnia mala exempla, ut inquit *Saluſtius*, ex bonis initiis orta ſunt: id eſt, habent velamentum & ſpecimen cujusdam probabilis argumenti: nam ut pulchre *Plato, l.3. de legibus*, non arduum eſt videre ſi exemplo comoveàris: qua ratione Gracchi duo ad-

versus rempublicam Romanam conspirarunt, bono, ut inquiebant illi, publico, nempe quòd plebs à nobilitate opprimebatur. Marius dictaturam arripuit, non sine prætextu boni publici: Cinna & Sylla non carebant exemplo: & ipse Sylla trucidatis ante ædes concordiæ, in quibus senatum coegerat, sex aut septem virorum & civium Romanorum millibus, Senatu ob lachrymas, & ululatus occisorum, quos exaudire poterat, vehementer turbato & commoto, ait se quosdam seditiosos jussisse perimi, ut cæteri securè viverent. Suberat Catilinæ prætextus rempub. invadendi, urbem incendendi; non defuit Cæsari causa velata rempub. occupandi, nec Bruto & Cassio Cæsarem occidendi. Sertorius causas prætexuit: Hannibali non deerat causa movendi bellum adversus Romanos & Saguntinos, nec Romanis adversus Mithridatem & Antiochum, Alexandro adversus Darium. Quid plura? putasne unquam motum bellum sine aliquo inani prætextu? Sed nihil

nihil periculosiùs, nec in speciem fallacius, cùm bonum aliquod prætenditur sceleribus, veluti factum fuit. Etenim ni Ludovicus, quem tu versutissimum & callidissimum dicis, improbè, partim simulando, partim dissimulando eorum conatus compressisset, actum penitus erat de Regno Francorum, tantum abest ut causa boni publici tunc conjuratis illis curæ fuerit, ut nihil deterius populo contingere potuerit, qui semper alienis delictis & erratis plectitur, ut experientia tunc didicit: & nunc videmus, vidimusq; tribus lustris præteritis, non sine magno, quid dicam damno? imò cum summo malo & penè totius regni interitu. Hęc sunt quæ tu iterũ revocare in lucẽ optas, hęc vota tua, hic scopus tuę orationis, hic cardo tuę causę, nẽpe ut omnia teterrimo bello ardeant, ut Gallia in se ruat, & sese laceret ac laniet, veluti hactenus talibus classicis & furiis, proh dolor, cum magno omnium bonorum mœrore fecit facitque; neque alienis exemplis aut periculis fit cautior, licet

notum ſit, conjuratos illos tandem pœnas dediſſe. Quidam enim ferro, veluti Charolenſis hujus factionis princeps, alieni appetentiſſimus, alii violenta morte, alii verò ultimo ſupplicio. ſed hæc tetra & tacenda exempla ſufficiant, quæ coactus, ut dixi, profero. Cæterum quæ Hotomanus ex *Cominii lib. hiſtoriarum* 5. c. 18. libello ſuo inſervit, de Ludovico XI. nota ſunt: & utinam eo animo, quo *Cominius*, inſeruiſſet certè non egeret reſponſione: non enim *Cominius* id agebat ut turbas cieret, vel claſſicum caneret, ut Hotomanus: alia pio viro, Regiſque ſui & Regni amantiſſimo mens fuit: culpabat ille Aulicorum perfidiam, qui Regi non optima, ſed ſuaviſſima conſulunt, eique omnia licere non verentur affirmare: cùm tamen miſer ſit ille, ut ſuprà ex *Tullio* dixi, qui omnia ſibi licere exiſtimat: verùm *Cominius* Regem minimè tollere nitebatur, ut tu conaris. Sunt certè Reges, ut cæteri mortales, quibuſdam vitiis obnoxii, & eo deterioris conditionis,
quòd

quòd eorum vitia in occulto esse nullo modo possint. Nam, ut inquit *Capitolinus in vita Marci Philosophi*, nemo est principum, quem non gravis fama perstringat. Inerant tamen in eo principe ingentes virtutes, de quo dici potest quod de Severo Pertinace dictum fuisse refert *Lampridius*, nunquam nasci debuisse, aut mori, quod nimis utilis reipub. videtur: illo enim imperante sublatæ sunt & omnino extinctæ seditiones, quæ per centum amplius annos Gallias vexarant, ut suprà monstravimus. Et tandem Hotomanus talem principem non erubescit proscindere, cum tanta certè impudentia, ut non Regem, sed infimæ sortis hominem notare videatur. Viderit itaque lector, quid de illo judicandum sit: non enim in animum induxi cum illo conviciis agere: neque enim solùm, quid illum audire, verùm quid me deceat dicere considero: itaque ad penultimum libri sui caput venio.

In Cap. XIX.

QUo Hotomanus quærit, an mulieres non ut ab hæreditate Regni, sic ab ejus procuratione Francogallico jure arceantur: in qua quæstione non minus seditiosè agit, quàm superioribus: & fortassis non alia ratione libellum istum in lucem emisit, quàm ut Reginarum excellentissimam Reginam Catharinam, Henrici II. uxorem, nunquam satis laudatam, tot Regum Reginarumque matrem, odiosam Francis proponeret: sciebat enim Hotomanus, illa stante, suos conatus & aliorum seditiosorum irritos fore. Itaque nescio quo malo genio videtur divinasse & præsensisse, quæ ab editione libri, in Francia, præter omnium opinionem acciderunt, nempe Henrici III. profectionem in Poloniam, & eo absente, obitum Caroli fratris: existimabat enim si oratione illa excitati Franci, Reginæ negotium facerent, liberius in vacuas ædes grassatu-

ſaturos perduelles. Sed Hotomane, melior mens, melior Francis animus eſt: non poſsunt capi verborum inanium illecebris: norunt quò tendat illa modulatio, quoque illa verba ſplendida tendant: Reginæ arcentur à Regno legibus Francorum, ergo à Regum etiam filiorum tutela & procuratione, quaſi eadem ſint, ut tu tamen vis, & hæc eſt juris conſulti Hotomani opinio. Audiamus tandem quibus argumentis ſuam tuetur opinionem. Primum ille vult teſtatum, ſe non de Romanorum, neque de aliarum gentium jure ſed tantùm de hujus noſtri Francogallici inſtitutis diſserere: callidè certè, & verſutè. Ita enim Hotomanus jus Romanorum reſpuit, non ficta ratione qua utitur, ſed propter præjudicium quod ille ſibi fieri cenſet: eo enim jure non ſolùm tutelæ filiorum fœminæ capaces ſunt, ſed quod magis eſt, tantis dignatæ ſunt Imperatrices honoribus & privilegiis, ut nomen Auguſtæ meruerint. Meminerat præterea Mameam Alexandri Seve-

beveri piissimi & optimi Imperatoris piissimam matrem, curam non Regni, sed Imperii suscepisse, ejusque consilio semper usum Alexandrum, sciebat fuisse alias præclaras fœminas, tam in Romano imperio, quàm in exteris Regnis, quæ melius viris imperarunt, & inter eas Agnetem Henrici IIII. Germanorum Imperatoris matrem, quæ curam impuberis filii & Imperii accepit, recteque gessit, donec Episcopus Coloniensis, & quidam alii seditiosi, è matris gremio Imperatorem duodennem sustulerunt, unde gravissimæ seditiones. Præterea viderat *Platonem* in legibus suis, mulieres & administrationis & belli capaces existimasse, omniaque, *ut ille, lib.6. de legibus* ait, fœminis cum viris communia, ad civitatis fœlicitatem studia constituenda esse. Legerat *Plutarchum* de claris mulieribus disserentem, & *Tacitum in lib. de moribus Germanorum*, Germanos nihil neque in bello neque in pace insciis & inconsultis uxoribus tractasse, quas Cæsar ab antiquis Gal-

Gallis adhibitas in Concilium dicit, etiam dum majora tractabant. Non ignorabat, multa esse fuisseque Regna bene constituta, in quibus mulieres Regni capaces sunt, ideò externa reiicit, quia præjudicium faciunt falso illi dogmati. atqui de jure, usu & consuetudine Regni nostri agatur, & hoc Hotomano concedatur: ait ille, extare exempla superiorum temporum, quibus constat à Reginis, præsertim viduis, & Regum puerorum matribus, hoc Regnum administratum fuisse: ex usu id fieri tu fateri cogeris. Quid ergo obgannis? Sed ex contrario pugnare dicit rationem disputandi usitatam, ut cui per se Reginam esse jus non est, eidem regendi jus ac potestas non sit: per se autem mulierem Reginam esse non posse, neque Regni hæreditatem ei ex eave prognatis deferri, ut si Reginæ appellentur, per accidens & propter maritos, id fieri superius ex mille cc. annorum monumentis demonstratum dicit: & sic concludit, Reginas matres ut Regno

ita

ſævitiæ & crudelitatis in Francigenas Francis ipſis ductoribus prætermiſerant: unde meruerint nomen habere & antiqui & perpetui hoſtis nominis Francorum, à qua etiam emenſis ducentis circiter annis, auſpiciis Ducis Guiſii Lothareni, Regis Henrici Legati, vi expulſi ſunt, anno Domini 1558. Vide, Hotomane, fructus cœtus tui tantopere celebrati, & cantati. Sed te iſta oblectant, itaque non mirum ſi ſæpius in ore habeas. At verò de memorabili illius concilii authoritate, quam memoria patrum noſtrorum interpoſitam rurſus Hotomanus cum magno faſtu & procaci oratione dicit 18. capite, cenſetque narrandam & non prætermittendam, contra Regem Ludovicum XI. quem ſuperiorum Regum omnium verſutiſſimum, & callidiſſimum habitum eſſe dicit. Videamus tandem quis fructus, quisve exitus fuerit hujuſmodi cœtus, & certè ſeditionum amantiſſimus, & incenſor Hotomanus, narratione ſua fateri cogitur, nihil præter cædes, rapinas, urbium

bium direptiones, incendia, conſtuprationes,& libidines execrandas: poſtremo quicquid malorum bellum inferre ſolet, ex tam memorabili & non prætermittenda auctoritate manaſse, tot defectoribus & conjuratis, coeuntibus adverſus Principem ſuum. Atqui, ait ille, evocatis aſſiduis plebis querimoniis & poſtulationibus exercitum comparaſſe, ea ſcilicet ratione, ut ſi Rex conſulere bono publico & bonis conſiliis parere detrectaret, vi cogere poſſent: qua de cauſa bellum illud bono publico ſuſceptum dicebatur, cùm tamen in perniciem populi vergeret, ut eventus docuit: hoc certè illi prætexebant, ut ſolent qui cauſam ſeceſſionis aut diſſidia quærunt: qui enim, niſi illo colore quęſito, bellum intuliſſent? Omnia mala exempla, ut inquit *Saluſtius*, ex bonis initiis orta ſunt: id eſt, habent velamentum & ſpecimen cujusdam probabilis argumenti: nam ut pulchre *Plato, l. 3. de legibus*, non arduum eſt videre ſi exemplo comovearis: qua ratione Gracchi duo ad-

 verſus

versus rempublicam Romanam conspirarunt, bono, ut inquiebant illi, publico, nempe quòd plebs à nobilitate opprimebatur. Marius dictaturam arripuit, non sine prætextu boni publici: Cinna & Sylla non carebant exemplo: & ipse Sylla trucidatis ante ædes concordiæ, in quibus senatum coegerat, sex aut septem virorum & civium Romanorum millibus, Senatu ob lachrymas, & ululatus occisorum, quos exaudire poterat, vehementer turbato & commoto, ait se quosdam seditiosos jussisse perimi, ut cæteri securè viverent. Suberat Catilinę prætextus rempub. invadendi, urbem incendendi: non defuit Cæsari causa velata rempub. occupandi, nec Bruto & Cassio Cæsarem occidendi. Sertorius causas prætexuit: Hannibali non deerat causa movendi bellum adversus Romanos & Saguntinos, nec Romanis adversus Mithridatem & Antiochum, Alexandro adversus Darium. Quid plura? putas ne unquam motum bellum sine aliquo inani prætextu? Sed
nihil

nihil periculosiùs, nec in speciem fallacius, cùm bonum aliquod prætenditur sceleribus, veluti factum fuit. Etenim ni Ludovicus, quem tu versutissimum & callidissimum dicis, improbè, partim simulando, partim dissimulando eorum conatus compressisset, actum penitus erat de Regno Francorum, tantum abest ut causa boni publici tunc conjuratis illis curæ fuerit, ut nihil deterius populo contingere potuerit, qui semper alienis delictis & erratis plectitur, ut experientia tunc didicit: & nunc videmus, vidimusq; tribus lustris præteritis, non sine magno, quid dicam damno? imò cum summo malo & penè totius regni interitu. Hęc sunt quæ tu iterũ revocare in lucẽ optas, hęc vota tua, hic scopus tuę orationis, hic cardo tuę causę, nẽpe ut omnia teterrimo bello ardeant, ut Gallia in se ruat, & sese laceret ac laniet, veluti hactenus talibus classicis & furiis, proh dolor, cum magno omnium bonorum mœrore fecit facitque; neque alienis exemplis aut periculis fit cautior, licet

notum sit, conjuratos illos tandem pœnas dedisse. Quidam enim ferro, veluti Charolensis hujus factionis princeps, alieni appetentissimus, alii violenta morte, alii verò ultimo supplicio. sed hæc tetra & tacenda exempla sufficiant, quæ coactus, ut dixi, profero. Cæterum quæ Hotomanus ex *Cominii lib. historiarum* 5. c. 18. libello suo inservit, de Ludovico XI. nota sunt: & utinam eo animo, quo *Cominius*, inseruisset certè non egeret responsione: non enim *Cominius* id agebat ut turbas cieret, vel classicum caneret, ut Hotomanus: alia pio viro, Regisque sui & Regni amantissimo mens fuit: culpabat ille Aulicorum perfidiam, qui Regi non optima, sed suavissima consulunt, eique omnia licere non verentur affirmare: cùm tamen miser sit ille, ut suprà ex *Tullio* dixi, qui omnia sibi licere existimat: verùm *Cominius* Regem minimè tollere nitebatur, ut tu conaris. Sunt certè Reges, ut cæteri mortales, quibusdam vitiis obnoxii, & eo deterioris conditionis,
quòd

quòd eorum vitia in occulto esse nullo modo possint. Nam, ut inquit *Capitolinus in vita Marci Philosophi*, nemo est principum, quem non gravis fama perstringat. Inerant tamen in eo principe ingentes virtutes, de quo dici potest quod de Severo Pertinace dictum fuisse refert *Lampridius*, nunquam nasci debuisse, aut mori, quod nimis utilis reipub. videtur: illo enim imperante sublatæ sunt & omnino extinctæ seditiones, quæ per centum amplius annos Gallias vexarant, ut suprà monstravimus. Et tandem Hotomanus talem principem non erubescit proscindere, cum tanta certè impudentia, ut non Regem, sed infimæ sortis hominem notare videatur. Viderit itaque lector, quid de illo judicandum sit; non enim in animum induxi cum illo conviciis agere: neque enim solùm, quid illum audire, verùm quid me deceat dicere considero: itaque ad penultimum libri sui caput venio.

In Cap. XIX.

QUo Hotomanus quærit, an mulieres non ut ab hæreditate Regni, ſic ab ejus procuratione Francogallico jure arceantur: in qua quæſtione non minus ſeditiosè agit, quàm ſuperioribus: & fortaſſis non alia ratione libellum iſtum in lucem emiſit, quàm ut Reginarum excellentiſſimam Reginam Catharinam, Henrici II. uxorem, nunquam ſatis laudatam, tot Regum Reginarumque matrem, odioſam Francis proponeret: ſciebat enim Hotomanus, illa ſtante, ſuos conatus & aliorum ſeditioſorum irritos fore. Itaque neſcio quo malo genio videtur divinaſſe & præſenſiſſe, quæ ab editione libri, in Francia, præter omnium opinionem acciderunt, nempe Henrici III. profectionem in Poloniam, & eo abſente, obitum Caroli fratris: exiſtimabat enim ſi oratione illa excitati Franci, Reginæ negotium facerent, liberius in vacuas ædes graſſatu-

ſaturos perduelles. Sed Hotomane, melior mens, melior Francis animus eſt: non poſsunt capi verborum inanium illecebris: norunt quò tendat illa modulatio, quoque illa verba ſplendida tendant: Reginæ arcentur à Regno legibus Francorum, ergo à Regum etiam filiorum tutela & procuratione, quaſi eadem ſint, ut tu tamen vis, & hæc eſt juris conſulti Hotomani opinio. Audiamus tandem quibus argumentis ſuam tuetur opinionem. Primum ille vult teſtatum, ſe non de Romanorum, neque de aliarum gentium jure ſed tantùm de hujus noſtri Francogallici inſtitutis diſserere: callidè certè, & verſutè. Ita enim Hotomanus jus Romanorum reſpuit, non ficta ratione qua utitur, ſed propter præjudicium quod ille ſibi fieri cenſet: eo enim jure non ſolùm tutelæ filiorum fœminæ capaces ſunt, ſed quod magis eſt, tantis dignatæ ſunt Imperatrices honoribus & privilegiis, ut nomen Auguſtæ meruerint. Meminerat præterea Mameam Alexandri Seve-

beveri piissimi & optimi Imperatoris piissimam matrem, curam non Regni, sed Imperii suscepisse, ejusque consilio semper usum Alexandrum, sciebat fuisse alias præclaras fœminas, tam in Romano imperio, quàm in exteris Regnis, quæ melius viris imperarunt, & inter eas Agnetem Henrici IIII. Germanorum Imperatoris matrem, quæ curam impuberis filii & Imperii accepit, recteque gessit, donec Episcopus Coloniensis, & quidam alii seditiosi, è matris gremio Imperatorem duodennem sustulerunt, unde gravissimæ seditiones. Præterea viderat *Platonem* in legibus suis, mulieres & administrationis & belli capaces existimasse, omniaque, *ut ille, lib.6. de legibus* ait, fœminis cum viris communia, ad civitatis fœlicitatem studia constituenda esse. Legerat *Plutarchum* de claris mulieribus disserentem, & *Tacitum in lib. de moribus Germanorum*, Germanos nihil neque in bello neque in pace insciis & inconsultis uxoribus tractasse, quas Cæsar ab antiquis Gal-

Gallis adhibitas in Concilium dicit, etiam dum majora tractabant. Non ignorabat, multa esse fuisseque Regna bene constituta, in quibus mulieres Regni capaces sunt, ideò externa reiicit, quia præjudicium faciunt falso illi dogmati. atqui de jure, usu & consuetudine Regni nostri agatur, & hoc Hotomano concedatur: ait ille, extare exempla superiorum temporum, quibus constat à Reginis, præsertim viduis, & Regum puerorum matribus, hoc Ægnum administratum fuisse: ex usu id fieri tu fateri cogeris. Quid ergo obgannis? Sed ex contrario pugnare dicit rationem disputandi usitatam, ut cui per se Reginam esse jus non est, eidem regendi jus ac potestas non sit: per se autem mulierem Reginam esse non posse, neque Regni hæreditatem ei ex eave prognatis deferri, ut si Reginæ appellentur, per accidens & propter maritos, id fieri superius ex mille cc. annorum monumentis demonstratum dicit: & sic concludit, Reginas matres ut Regno ita

ita Regni procuratione arcendas & prohibendas, licet ex consuetudine & usu antiquissimo, & multis seculis probato aliter fuisse factum sciat: cùm tamen ut alibi dixi, Consuetudo in hujusmodi negotiis attendi debeat, tanquam lex certissima & optima legum interpres. Sed age, quis tam absurdam consequentiam ex tam malis initiis & propositis, tamque malè cohærentibus, & omnino ineptissimam, ferat? Nec enim magis sequeretur, mulier Connestabuli, Præsidis, Senatoris, aut Majoris domus, esse non potest Connestabulus, Major domus, Præses vel Senator: & si eo nomine dignetur, mariti causa, & non per se dignatur, sed per accidens: ergo tutelæ filiorum munere fungi non potest. Vis aliud? Dux Lotharena, eo nomine per accidens dicitur, ergo tutela filiorum arcetur. Vide quàm ineptè concludis: non te pudet tam inania, & pueris ipsis ridenda in lucem proferre, tu qui fama nominis Germaniam impleveris? Vide quò te adducat necessitas, cùm

men-

mendacium conaris defendere. Vrges secundò, & ais, Quemadmodum omnis, & creandorum & abdicandorum Regum potestas, penes publicum concilium erat, ita curatoris reipub. sive moderatoris deligendi jus summum penes idem concilium fuit. Ita certè, nam si nullum jus fuit populo aut concilio creandorum aut abdicandorum Regum, ut nullum planè fuisse satis docuimus, necesse erit dicere, nec curatoris dandi jus fuisse: & sic tuo te jugulas & configis gladio, cùm absurda proponis, & mendacia ex mendaciis eruis. Videamus ergò quid ex usu frequentissimo & omnium antiquissimo, & consuetudine factum fuerit, cùm Hotomanus nihil præter mendacia adferat, & fortassis præscriptio non tantũ centenaria, quã omnes etiam injusti possessores tuti sunt, sed millenaria jurisconsulto sufficere poterit: sed antequam quæstioni illius respondeam, certum est Reges nostros utriusque stemmatis, Reginis uxoribus multa detulisse, ut nihil

præter Regium nomen desiderari posset: docuimus enim superioribus, Reginas quemadmodum & Reges habuisse Majores domus: habuerunt etiam scriniorum magistros sub Merovingis, Carlovingis, & Capevingis, sed à Capevingis plura *illis* indulta fuere, quæ hoc loco recensere *non* erit otiosum & inutile, ut tandem Hotomanus agnoscere possit, quàm malè injusteque majorum nostrorum instituta damnet, cum magna arrogantia, quæ cùm semper odiosa sit, tum illa ingenii atque eloquentiæ multò molestissima. Proinde ut Reginarum privilegia enumerem, Primum est, ut à sententiis *suorum judicum alibi* quàm Curiam *appellare nemini* liceat, sic judicatum Aresto anni Domini 1382. Secundum, ut nullo alio judicio tenerentur, quàm Patrum sive Parium curia, Aresto anni Domini 1340. & 1360. Tertium, ut nullis vectigalibus, angariis, parangariis, & hujusmodi, illæ, & qui in Comitatu illarum sunt, teneantur: cautum est Aresto 1281.

sto 1281. Habent præterea litibus suis in Parlamento, suos dies, litiumque peculiare volumen, ut Pares Franciæ, idque primo ordine. sic Aresto 1412. deinde ut litigare possint, veluti ipse Rex, Procuratoris generalis, vel cognitoris nomine, sic Aresto ejusdem Curiæ anni Domini 1357. 1401. & 1405. plura cùm sint, prætermissa volui ista sufficiant: cæterùm ad Hotomani quæstionem, ex fide dignis annalibus, veteribus & recentioribus, tum exhedra Curiæque registris, monumentisve publicis, & aliis qui hanc materiam attigerunt. Nemini dubium esse potest, Regibus nostris, nondum adultis, sive Merovingis, sive Carlovingis, sive Capevingis, tutores & Regni administros datos fuisse: non enim natura magis administrationi Regni, impuberes Reges capaces sunt, quàm aliorum hominum liberi impuberes, quibus lege probatissima, & recepta ab omnibus populis (quantumvis barbaris) rerum suarum administratio non est credita, imò verò illis

 dan-

dantur tutores & curatores, sed quia Regibus (ut dictum ab aliquo est) judicium & prudentia antè tempus contingunt, legibus & moribus nostris, imò omnium gentium, tempus minus indultum est, quo elapso libera Regni Regibus est administratio. Primum tutorem video Gunthrannum Regem Burgundiæ, quem accersitum à *Regina* Fredegunde uxore Chilperici Regis Francorum mortuo marito, testatur *Turonens. lib. 7. cap. 5.* in hæc verba: Fredegundis igitur Regina, accepto consilio, legatos ad Gunthrannum Regem Burgundiæ mittit, dicens, Veniat Dominus meus, & suscipiat Regnum fratris *sui. Est mihi infans parvulus*, quem in ejus ulnis ponere desiderans, meipsam humilio ejus ditioni. *& cap. 7.* Priores quoque de Regno Chilperici, ut erat Ausovaldus & reliqui, ad filium ejus, qui erat quatuor mensium, se collegerunt, quem Clotarium vocitaverunt, exigentes sacramenta per civitates, quæ ad Chilpericum prius aspexerant, ut

ut ſcilicet fideles eſſe debeant Gunthranno Regi, & ejus nepoti Clotario. Aliud & ſecundum exemplum apud *Appendicem ad Turonenſem, lib. 2. cap. 79. ubi ſic Appendix*: Poſt Dagoberti exceſſum, Clodoveus filius ſub tenera ætate Regnum patris adſcivit, omneſque Leudes de Auſtria & Burgundia, eum Maſolaco villa ſublimant in regnum. Aega verò cùm Regina Nanthilde quam Dagobertus reliquerat, regebat Palatium. *& cap. ſequenti* de eadem Nanthilde, condignè Palatium gubernabat & regnum. De Aega verò plura *hoc capite, & cap.* 89. *ſic ille*: Nanthildis Regina cum filio ſuo Clodoveo Rege, poſt deceſſum Aeganæ, Aureliam venit, ibique convocatis ſenioribus, pontificibus, ducibus & primatibus de Regno Burgundiæ, ad ſe venire præcepit, Floachatum genere Francum, Majorem domus à Nanthilde Regina ſtabiliunt: Nam quod de Brunichildis procuratione ait Hotomanus, certum eſt, neque illi delatam Childeberti filii ex Sigeberto pro-

curationem, imò verò constat ex *Turonensi, lib. 5. cap. 1.* occiso Sigeberto Brunchildis marito, qui Regnum Chilperici occupare tentarat, ut alibi dictum fuit, Gundobaldus Dux Childebertum filium paruulum furtim abstulit, mox Chilpericus Parisios venit, apprehensamque Brunichildem, apud Rothomagensem civitatem in exilium trusit, *& cap. 2.* refert Meroveum Chilperici filium Rhotomagum petiisse, ibique Brunichildem uxorem duxisse: quod matrimonium multarum ærumnarum, ac tandem, mortis Chilperici, Meroveique causa fuit, ut apud eundem, nulla mentione habita hujusmodi tutelæ aut procurationis mortuo Childeberto *Aimoinus lib. 3. c.* 84. ait, ei successisse filios Theodobertum, & Theodoricum, qui, *ut inquit ille*, adhuc puerili sub tutela aviæ Brunichildis constituti erant, sed ejus tutelæ nullam mentionem *Appendix ad Turonensem* facit, quæ antiquior videtur: sic enim *Appendix*: Postquam ChildebertusRegnum accepe-

rat

rat Guntthranni, defunctus est, regnumque ejus filii sui Theodobertus & Theodoricus accipiunt, nulla Brunichildis habita mentione. Est aliud exemplum tutelæ Merovingicis temporibus, *eadem Appendice, cap. 91. & sequenti*, ubi refert *author hujus appendicis* (quis autem sit ignoratur, & eum pressit iniqua dies) Clodoveum Dagoberti magni filium, uxorem duxisse ex genere alienigenarum, nomine Bathildem, prudentem atque elegantem, ex ea suscepisse tres filios, Clotarium tertium, Childericum, & Theodoricum qui Cala dictus est mox decessisse, cùm amens effectus fuisset. Subjungit *sequenti cap.* Franci Clotarium filium ejus majorem natu in Regno statuunt, cum præfata Regina matre. Hic locus certè torquet & pungit gravissimè Hotomanum, etenim indubitatum continet testimonium procurationis Regni delatæ Regnæ matri Hæc sunt quæ de tutela impuberum regum, Merovingicis temporibus dici possunt: nam quod Ho-

tomanus bonorum insectator blaterat de illustri Regina Clothilde, Clodovei primi Christiani Regis uxore, quam inter sanctas & beatas animas locatam asserunt nostri, & credere par est non pertinet ad Regni procurationem: & superius ille, tanquam maximam voluptatem hujusmodi exemplis capiens, ejus nefandi facinoris avunculorum, erga Clodomiri fratris filios mentionem fecerat: non ergo facinus hoc Clothildi imputandum, imò nequitiæ & immanitati avunculorum erga nepotes, quibus sublatis portionem Regni Clodomiri fratris exemplo sanguinario & horrendo diviserunt. *Tu tamen, cui frænos, imò compedes, dare oportet, in innocentes* culpam reiicis, & alieni facti pœnam luere facis, quod jus civile etiam Ethnicorum, in quo versaris, vetat. Sed nobis Theodorici Gothi Regis filiam, quæ servi amori ultra quàm dici potest addicta, matrem necavit, obiicis: at tu memor esse debuisti eorum, quæ initio capitis à te, tanquam à

Præ-

Prætore,imò tyranno,præſcripta ſunt, nempe, aliorum Regnorum & Imperiorum exempla non recepturum, ſed ex jure noſtro propoſita tua probaturum: & tamen immemor edicti tui, profers exemplum externę & impudicæ fœminæ; ego contrà Amalaſſuntam, ejuſdem Theodorici uxorem, in exemplum & honorem ſexus tibi oppono, ut filiæ impudicitia, matris pudicitiâ & virtutibus excellentibus tegatur. Habuit Veſpaſianus Domitianum, Marcus philoſophus Commodum, Severus Baſſianum. Cicero loquens & diſertus, Ciceronem mutum & ſtupidum; in ſumma, tales habemus liberos quales Deus vult. Sed Fredegundem in medium adducit, nequiſſimam certè fœminam, quæ alio genere mortis, quàm quo Brunichildis interiit, non erat digna; illa fortaſſis ad perpetuas pœnas, altera ad temporales tantum: nam ſi *Gregorio Turonenſi* credimus, erat Brunichildis alioquin egregia fœmina, & ſolita multa eccleſiis & pauperibus erogare. Atqui

Fredegundis nullam habuit filii tutelam & procurationem, saltem minimam, & nisi authoritate Gunthranni, ut supra dictum fuit. Enimuero quod de Plectrude ait Hotomanus *ex lib.* cui titulus est, *Status Regni Franciæ*, nihil ad procurationem Regni pertinet: Regina enim non fuit Plectrudis, sed uxor Pipini Austrii majoris domus tantùm. Iterum insurgit Hotomanus, conjuratione quadam, adversus fœminas, sine discrimine aliquo, quasi una damnata, de aliis idem sit ferendum judicium. Misera illa quæ te mastigem sui sexus genuit, & lactavit! ait enim, Dominata est Regina mater Caroli Calvi, nomine Juditha, Ludovici cognomento Pii Imperatoris & Francorum Regis uxor: Sed hæc neque tutrix filiorum Ludovici, neque procurationem Regni accepit: quorsum ergo hujus infelicis & perpetuò tacendæ historiæ, & parricidii filiorum adversus pientissimum Imperatorem eorum patrem mentionem facis? quia, ut inquit *Regino lib. 2.* fuit dejectio aut rebel-

rebellio hæc, pro maxima parte, facta propter multimodam fornicationem Judithæ uxoris ejus: ſed *Ado Vienenſ. Archiepiſcopus*, non ita ſentit: ſic enim ille: Cùm igitur omnis poteſtas Francorum ſub moderato otio ſtuderet, & regimen vicinis gentibus imponeret, quidam tantam ſpem boni non ferentes (erant hi Hotomanicæ factionis) uxorem nomine Iudic. dilectam Imperatori, factione ſua abripiunt: eamque ex latere viri in Aquitaniam ſub cuſtodia tranſponunt. Quæ licet ad viri thorum redierit, ebulliens tamen quorundam malitia, non quievit, quæ uſque adeò crevit, ut una cum pontifice Romano non ſolùm proceres Regni, ſed etiam natos ejus, adverſus Imperatorem promoverit. Nam ab eo univerſus populus deficiens, ad filios ejus ſe tranſtulit, ipſe tentus ſub cuſtodia, indecenter recluditur, ac arma ei auferuntur: uxor ipſius in Italia ſervanda committitur: ſed nutu divino poſt tot adverſa, ſecunda ſuccedunt: populi verſi ad pœnitentiam, cauſam facti in melius

melius commutant, & eundem ipsum Imperatorem in honore pristino reponunt, & pristina dignitate revestiunt. & quæ sequuntur: quem majore fide dignum judico, quàm *Reginonem*, de cujus fide tu etiam ambigis: potuit enim Ado tam impium bellum videre. Nec enim credibile est, Imperatorem tam sanctum, fuisse passum uxorem impudicam, qui, ut refert *Aimoinus lib.5.cap.*10. omnem cœtum (qui permaximus erat) fœmineum palatio excludi judicavit, præter paucissimas quas famulatui regali congruas existimavit, sororesque in sua cum his quæ à patre acceperant dimisit. Hæc sunt *Aimoini* verba: *ex quibus*, & his quæ paulò antè dicit, facile est judicare, Imperatori pio nihil magis exosum fuisse, ipsa impudicitia, quam nunquam in thoro jugali aluisset: sed aliunde natas fuisse causas, ob quas filii impias manus in patrem intulerint, manifestum est; nempe quòd piissimus Imperator sordes, & vitia quibus Ecclesiastici scatebant, ferre non poterat,

rat, eorum fastum illis obiiciens, unde iræ, ut *idem* author est *eodem cap. & sequenti*: ex quo apparet à perditis hominibus, bellum illi per filios illatum fuisse, dissimulante Gregorio pontifice: falsa autem & conficta esse quæ à *Reginone* de Juditha dicuntur ab episcopis, & aliis qui censuram Pii ferre non poterant, *Aimoinus eodem lib. cap.* 12. testis est: sic ait enim ille: Factionis iniquæ principes, ultra ferre non valentes, occultatum diù vulnus detegunt, deinde sibi minores aggregant, quorum pars mutationis semper avida, more canum, aviumque rapacium, alienum detrimentum suum quærunt fieri suppletionis augmentum: freti ergo multitudine & assensu plurimorum, filium Imperatoris Pipinum adeunt, prætendentes abjectionem sui, Benardi insolentiam, (hic nepos Pii erat) horum despectionem, & cæterorum, asserentes etiam eum, quod dictu nefas est, thori incestatorem paterni: porro patrem adeò quibusdam elusum præstigiis, ut hæc non modo vin-

vindicare, sed nec avertere posset. & quæ sequuntur. Habes quibus rationibus bellum hoc indictum sit, nempe factione seditiosorum quorundam, velato prætextu probabili, licet falso: credo non defuisse tunc classicum harum seditionum, qui eas propositis libellis excitaret & foveret. Vide tandem quorsum exempla tua tragica tendunt, sed tamen adhuc manca remanet tua prima conclusio. Quæ autem acciderunt cæteris Carlovingis, jam precedẽtibus capitibus à me satis dicta sunt: de procuratione verò Regni, & Regum tutela illorum temporibus, extat apud *Aimoinum*, *saltem in additionibus ad eundem lib. 5. cap.* 12: exemplum: sic ille Ludovico inerte, vel ut ille ait, nihil faciente mortuo, Carolus filius ejus qui Simplex dictus est, in cunis ęvum agens, patre orbatus remansit: cujus ætatem Franciæ primores incongruam (ut erat) exercendæ dominationi arbitrati, maximè cùm jam residui Northmanorum nuntiarentur motus, consilium de summis rebus

bus ineunt. Supererant autem duo filii Roberti comitis Andegavorum (qui fuit Saxonici generis vir) ſenior ex his Odo dicebatur, Robertus alter patrẽ nomine referens: ex his majorem natu Odonem, Franci, Burgundiones, & Aquitaniæ proceres congregati in unum, licet reluctantem tutorem Caroli pueri, Regnique elegêre gubernatorem, quem unxit Galtherus Archiepiſcopus Senonum. Regino & Germani ſcriptores eum HOTONEM vocant, & Regem non tutorem faciunt: à quo Hugonem Capetum, hujus nominis & ſtemmatis primum Regem: traxiſſe genus, ſuperioribus diximus: ſed quia Capevingorum Regnum, quod in hodiernum diẽ durat, & durabit Deo favente multis ſeculis, fuit cæteris duobus diuturnius; nec ſolùm ſuperat diuturnitate & tẽpore Merovingos & Carlovingos ſimul, ſed fœlicitate, quòd illis regnantibus, Regnum hoc noſtrum optimis legibus munitum fuit, quibus Regna conſervantur & tuentur. Hujus procurationis & tutelæ majora ſunt exempla.

exempla. Primum eſt Balduini Flandriæ comitis, qui Adelaſiam, Henrici primi Regis ſororem, uxorem habebat, & deſignatus ab Henrico Rege, Philippo hujus nominis primo, novennii puero, eſt tutor, idque uxoris cauſa, ut par eſt credere: quam tutelam & procurationem nullo reluctante geſſit. Sed & monumenta noſtra teſtantur, Ludovicum juniorem Craſſi filium, cùm ad bellum ſacrum profectionem paraſset, Regni procurationem commiſiſse Suggerio divi Dionyſii Cœnobiarchæ, tutelam verò Philippi filii, qui Auguſtus dictus eſt, matri *Adelæ* & Archiepiſcopo Rhemenſi Cardinali & legato à latere, Adelæ fratre. Blancha Regina divi Ludovici mater teſtamento mariti Regens & tutrix filii deſignata eſt, excellens & pientiſſima fœmina, quam tamen Hotomanus ſuo more inſectatur, fretus cujuſdam *Ionvillei* hiſtoria clientis Comitis Campaniæ, quem bello ſuperatum, ſaltem coactum, Regem agnoſcere opera Regentis, hiſtoriæ noſtræ

teſtan-

testantur, non mirum, si de ea quædam *Ionvilleus* scripsit, dum Domini gratiam captare vult, cujus fidem ob id suspectissimam lector æquus existimabit: constat enim magnæ fuisse sanctitatis Blancham, nam extant hodie ampla testimonia largitionum, quas illa Ecclesiis & pauperibus contulit, quæ & *Ionuilleum* & sequacem Hotomanum bonos proscindentem, mendacii arguunt: ea iterum procurationem accepit, mandante Divo filio, ad bellum sacrum prodeunte. Blancha defuncta, Divo iterum ad bellum sacrum prodeunte, & adversus Africanos, Regni & liberorum cura mandata est Matthæo beati Dionysii archimandritæ, Nesleo comiti, & Simoni Claromotano, substitutis Philippo episcopo Eburonensi, & Joanne Pictaviensi comite. Philippus III. Divi filius, qui ex duabus uxoribus liberos habebat, ex prima filium, ex altera filias Isabellam & Mariam, novercæ procurationem non detulit, sed Petro fratri Alenconio, donec filius xiiij. ætatis

virtutem miratur & horret Hotomanus cum suis: illius enim fœlicibus auspiciis, illius, inquam, consiliis & prudentia miranda, Regnum hoc è Luporum & Leonum faucibus ereptum, divinaque providentia servatum, stat incolume & floret, stabitque, licet supersint quædam seditionum & seditiosorum reliquiæ, ab hujusmodi furiis ortæ & excitæ: ad quas augendas libellus iste ab Hotomano non alia ratione evulgatus extat, quod lector facilè deprehendet, cùm viderit in illo Hotomanum nihil nisi cædes, dissidia, altercationes, bella, parricidia, & hujusmodi mala proponere: ut illis exemplis furore agitati Galli, se primùm, Reges suos, mox istam rempub. & Regnum perdant: fieri enim non poterat, si aliò tenderet illius oratio, ut ille libellum suum farsisset tot inanibus quæstionibus, tot falsis & mendacibus assertionibus, tot sycophantiis & nugis, quas ille texuit umbra quadam veritatis, ut lectorem illectum narrationibus hujusmodi ad totius

tius libelli lectionem duceret: sic enim solent qui falsa pro veris obtendunt, exemplo eorum qui corruptas merces vendunt, quibus bonas solent miscere; ut facilius emptorem capiant. Tandem, ut etiam huic quęstioni ultimam manum imponam, ex his quæ dicta sunt, luce ipsa clarius esse verum, nemo posthac ibit inficias, vetere laudato & receptissimo more in regno Francogalliæ per mille amplius annos, Reginas matres, & non solùm matres, sed Regum consanguineas, procurationem Regni suscepisse, eisque quoties occasio sese obtulit, tutelam filiorum mandatam: ut nihil Hotomanus in contrarium adducere potuerit, obstante veritate, quæ semper potentior est. Itaque indomito animali & immani bestiæ non frænos, sed restim, qua suspendatur, addamus.

IN CAP. XX.

SUperest ultimum caput, quod de Parlamentis Juridicialibus Hoto-

Fredegundis nullam habuit filii tutelam & procurationem, saltem minimam, & nisi authoritate Gunthranni, ut supra dictum fuit. Enimuero quod de Plectrude ait Hotomanus *ex lib.* cui titulus est, *Status Regni Franciæ*, nihil ad procurationem Regni pertinet: Regina enim non fuit Plectrudis, sed uxor Pipini Austrii majoris domus tantùm. Iterum insurgit Hotomanus, conjuratione quadam, adversus fœminas, sine discrimine aliquo, quasi una damnata, de aliis idem sit ferendum judicium. Misera illa quæ te mastigem sui sexus genuit, & lactavit! ait enim, Dominata est Regina mater Caroli Calvi, nomine Juditha, Ludovici cognomento Pii Imperatoris & Francorum Regis uxor: Sed hæc neque tutrix filiorum Ludovici, neque procurationem Regni accepit: quorsum ergo hujus infelicis & perpetuò tacendæ historiæ, & parricidii filiorum adversus pientissimum Imperatorem eorum patrem mentionem facis? quia, ut inquit *Regino lib.* 2. fuit dejectio aut rebel-

rebellio hæc, pro maxima parte, facta propter multimodam fornicationem Judithæ uxoris ejus: sed *Ado Vienens. Archiepiscopus*, non ita sentit: sic enim ille: Cùm igitur omnis potestas Francorum sub moderato otio studeret, & regimen vicinis gentibus imponeret, quidam tantam spem boni non ferentes (erant hi Hotomanicæ factionis) uxorem nomine Iudic. dilectam Imperatori, factione sua abripiunt: eamque ex latere viri in Aquitaniam sub custodia transponunt. Quæ licet ad viri thorum redierit, ebulliens tamen quorundam malitia, non quievit, quæ usque adeò crevit, ut una cum pontifice Romano non solùm proceres Regni, sed etiam natos ejus, adversus Imperatorem promoverit. Nam ab eo universus populus deficiens, ad filios ejus se transtulit, ipse tentus sub custodia, indecenter recluditur, ac arma ei auferuntur: uxor ipsius in Italia servanda committitur: sed nutu divino post tot adversa, secunda succedunt: populi versi ad pœnitentiam, causam facti in melius

melius commutant, & eundem ipſum Imperatorem in honore priſtino reponunt, & priſtina dignitate reveſtiunt. & quæ ſequuntur: quem majore fide dignum judico, quàm *Reginonem*, de cujus fide tu etiam ambigis: potuit enim Ado tam impium bellum videre. Nec enim credibile eſt, Imperatorem tam ſanctum, fuiſſe paſſum uxorem impudicam, qui, ut refert *Aimoinus lib.5.cap.*10. omnem cœtum (qui permaximus erat) fœmineum palatio excludi judicavit, præter pauciſſimas quas famulatui regali congruas exiſtimavit, ſororeſque in ſua cum his quæ à patre acceperant dimiſit. Hæc ſunt *Aimoini* verba: ex quibus, & his quæ paulò antè dicit, facile *eſt judicare*, Imperatori pio nihil magis exoſum fuiſſe, ipſa impudicitia, quam nunquam in thoro jugali aluiſſet: ſed aliunde natas fuiſſe cauſas, ob quas filii impias manus in patrem intulerint, manifeſtum eſt, nempe quòd piiſſimus Imperator ſordes, & vitia quibus Eccleſiaſtici ſcatebant, ferre non poterat,

rat, eorum faſtum illis obiiciens, unde iræ, ut *idem* author eſt *eodem cap. & ſequenti*: ex quo apparet à perditis hominibus, bellum illi per filios illatum fuiſſe, diſſimulante Gregorio pontifice: falſa autem & confićta eſſe quæ à *Reginone* de Juditha dicuntur ab epiſcopis, & aliis qui cenſuram Pii ferre non poterant, *Aimoinus eodem lib. cap.* 12. teſtis eſt: ſic ait enim ille: Factionis iniquæ principes, ultra ferre non valentes, occultatum diu vulnus detegunt, deinde ſibi minores aggregant, quorum pars mutationis ſemper avida, more canum, aviumque rapacium, alienum detrimentum ſuum quærunt fieri ſuppletionis augmentum: freti ergo multitudine & aſsenſu plurimorum, filium Imperatoris Pipinum adeunt, prætendentes abjectionem ſui, Benardi inſolentiam, (hic nepos Pii erat) horum deſpectionem, & cæterorum, aſſerentes etiam eum, quod dictu nefas eſt, thori inceſtatorem paterni: porro patrem adeò quibuſdam eluſum præſtigiis, ut hæc non modo vin-

vindicare, sed nec avertere posset. &c quæ sequuntur. Habes quibus rationibus bellum hoc indictum sit, nempe factione seditiosorum quorundam, velato prætextu probabili, licet falso: credo non defuisse tunc classicum harum seditionum, qui eas propositis libellis excitaret & foveret. Vide tandem quorsum exempla tua tragica tendunt, sed tamen adhuc manca remanet tua prima conclusio. Quæ autem acciderunt cæteris Carlovingis, jam precedẽtibus capitibus à me satis dicta sunt: de procuratione verò Regni, & Regum tutela illorum temporibus, extat apud *Aimoinum, saltem in additionibus ad eundem lib. 5. cap.* 12. exemplum: sic ille Ludovico inerte, vel ut ille ait, nihil faciente mortuo, Carolus filius ejus qui Simplex dictus est, in cunis ęvum agens, patre orbatus remansit: cujus ætatem Franciæ primores incongruam (ut erat) exercendæ dominationi arbitrati, maximè cùm jam residui Northmanorum nuntiarentur motus, consilium de sum̃is rebus

bus ineunt. Supererant autem duo filii Roberti comitis Andegavorum (qui fuit Saxonici generis vir) senior ex his Odo dicebatur, Robertus alter patrẽ nomine referens: ex his majorem natu Odonem, Franci, Burgundiones, & Aquitaniæ proceres congregati in unum, licet reluctantem tutorem Caroli pueri, Regnique elegêre gubernatorem, quem unxit Galtherus Archiepiscopus Senonum. Regino & Germani scriptores eum HOTONEM vocant, & Regem non tutorem faciunt: à quo Hugonem Capetum, hujus nominis & stemmatis primum Regem: traxisse genus, superioribus diximus: sed quia Capevingorum Regnum, quod in hodiernum diẽ durat, & durabit Deo favente multis seculis, fuit cæteris duobus diuturnius; nec solùm superat diuturnitate & tẽpore MEROVINGOS & Carlovingos simul, sed fœlicitate, quòd illis regnantibus, Regnum hoc nostrum optimis legibus munitum fuit, quibus Regna conservantur & tuentur. Hujus procurationis & tutelæ majora sunt

exempla.

exempla. Primum eſt Balduini Flandriæ comitis, qui Adelaſiam, Henrici primi Regis ſororem, uxorem habebat, & deſignatus ab Henrico Rege, Philippo hujus nominis primo, novennii puero, eſt tutor, idque uxoris cauſa, ut par eſt credere: quam tutelam & procurationem nullo reluctante geſſit. Sed & monumenta noſtra teſtantur, Ludovicum juniorem Craſſi filium, cùm ad bellum ſacrum profectionem paraſset, Regni procurationem commiſiſse Suggerio divi Dionyſii Cœnobiarchæ, tutelam verò Philippi filii, qui Auguſtus dictus eſt, matri Adelæ & Archiepiſcopo Rhemenſi Cardinali & legato à latere, Adelæ fratre. Blancha Regina divi Ludovici mater teſtamento mariti Regens & tutrix filii deſignata eſt, excellens & pientiſſima fœmina, quam tamen Hotomanus ſuo more inſectatur, fretus cujuſdam *Ionvillei* hiſtoria clientis Comitis Campaniæ, quem bello ſuperatum, ſaltem coactum, Regem agnoſcere opera Regentis, hiſtoriæ noſtræ teſtan-

testantur, non mirum, si de ea quædam *Jonvilleus* scripsit, dum Domini gratiam captare vult, cujus fidem ob id suspectissimam lector æquus existimabit constat enim magnæ fuisse sanctitatis Blancham, nam extant hodie ampla testimonia largitionum, quas illa Ecclesiis & pauperibus contulit, quæ & *Jonuilleum* & sequacem Hotomanum bonos proscindentem, mendacii arguunt: ea iterum procurationem accepit, mandante Divo filio, ad bellum sacrum prodeunte. Blancha defuncta, Divo iterum ad bellum sacrum prodeunte, & adversus Africanos, Regni & liberorum cura mandata est Matthæo beati Dionysii archimandritæ, Nesleo comiti, & Simoni Claromotano, substitutis Philippo episcopo Eburonensi, & Joanne Pictaviensi comite. Philippus III. Divi filius, qui ex duabus uxoribus liberos habebat, ex prima filium, ex altera filias Isabellam & Mariam, novercæ procurationem non detulit, sed Petro fratri Alenconio, donec filius xiiij. ætatis

annum attigisset: qua ætate solutis nostris Regibus tutela, per se licere Regnum gerere, illo exemplo ætas posterior, & Caroli V. constitutio, probarunt. Substituit Alenconio Joannem Blesensem Comitem, datis consiliariis Episcopo Lingonensi & Bajocensi, Dinensi archidiacono, Aerio Pincerna, Erardo Valeriani Domino, Camerario & Campaniæ Connestabulo, Ymberto Bellovaco Franciæ Connestabulo, & Simone Neslo Comite, & quibusdam aliis. Philippus Pulcher Joannæ uxori procurationem Regni & tutelam liberorum mandavit testamento, substituto Carolo Valesio fratre, cujus posteritas invicta, & excellens hodie floret, Regnumq; moderatur, Ludovico Hutino mortuo, qui reliquit Clementiam Regis Hungariæ filiam prægnantem, quia incertum maremne an fœminam pareret. Philippus Longus ex prole mascula Regis proximior adgnatus, tanquam Regni successor, Tutor posthumo designatur, Regnique procurationem suscepit:

pit: qui Rex postea fuit, defuncto scilicet Joanne Hutini ex Clementia filio, Octo tantùm dierum Carolus Pulcher Blancham uxorem gravidam reliquit, Philippus Valesius trium superiorum Regum patruelis tutelam futuri partus, & Regni procurationem accepit, propter partus incertitudinem, qui postea tanquam proximior è prole mascula (Blancha fœminam edente) diadema accepit. Carolus V. ultimo elogio Ioannam uxorem tutricem, & Regni Regentē scripsit, dato coadiutore Burgundio fratre; & Ludovico Borbonio sororio: ille tutelam ad xiiij. tantùm annum protulit, ut suprà dictum fuit. Carolus 6. anno 1413. procurationē Regni, & curam filiorum uxori mandavit. sed hæc parùm prosperè cessit: quòd Hotomanus, quem mala exempla delectant, non prætermisit. Possem ego procurationes mandatas à Frācisco Valesio primo Aloisiæ Sebusiæ matri nō semel, sed bis, & ab Hērico Reginæ Catharinæ uxori, quæ marito absente bis Regens declarata est, cujus

virtutem miratur & horret Hotomanus cum suis: illius enim fœlicibus auspiciis, illius, inquam, consiliis & prudentia miranda, Regnum hoc è Luporum & Leonum faucibus ereptum, divinaque providentia servatum, stat incolume & floret, stabitque, licet supersint quædam seditionum & seditiosorum reliquiæ, ab hujusmodi furiis ortæ & excitæ: ad quas augendas libellus iste ab Hotomano non alia ratione evulgatus extat, quod lector facilè deprehendet, cùm viderit in illo Hotomanum nihil nisi cædes, diffidia, altercationes, bella, parricidia, & hujusmodi mala proponere: ut illis exemplis furore agitati Galli, se primùm, Reges suos, mox istam rempub. & Regnum perdant: fieri enim non poterat, si aliò tenderet illius oratio, ut ille libellum suum farsisset tot inanibus quæstionibus, tot falsis & mendacibus assertionibus, tot sycophantiis & nugis, quas ille texuit umbra quadam veritatis, ut lectorem illectum narrationibus hujusmodi ad to-

tius libelli lectionem duceret: sic e-nim solent qui falsa pro veris obten-dunt, exemplo eorum qui corruptas merces vendunt, quibus bonas solent miscere, ut facilius emptorem ca-piant. Tandem, ut etiam huic quęstio-ni ultimam manum imponam, ex his quæ dicta sunt, luce ipsa clarius esse verum, nemo posthac ibit inficias, ve-tere laudato & receptissimo more in regno Francogalliæ per mille amplius annos, Reginas matres, & non solùm matres, sed Regum consanguineas, procurationem Regni suscepisse, eis-que quoties occasio sese obtulit, tu-telam filiorum mandatam; ut nihil Hotomanus in contrarium adducere potuerit, obstante veritate, quæ sem-per potentior est. Itaque indomito a-nimali & immani bestiæ non frænos, sed restim, qua suspendatur, addamus.

In Cap. XX.

Superest ultimum caput, quod de Parlamentis Juridicialibus Hoto-

tomanus dicit:&quia isto capite colophonem imposuit suis conviciis, injuriis, & famoso libello, qui Regibus, Reginis, Pontificibus, Ducibus, & hujusmodi non pepercit, noluit cæteris parcere. Et certè tam spurcæ lectioni finis spurcior addi *debuit*: & qui tam male cœperat, pejùs ut finiret æquum erat. Itaque plurimum afficior, cùm videam egregium Iurisconsultum unico libello nominis & famæ jacturam, & naufragium fecisse: sed antequam ad eum veniam, hoc loco lectorem iterum monere volui, ut secum expendat, verum esse quod dixi, aliud agere, aliud simulare Hotomanum: non enim, quicquid *dicat*, nostrum *ille* Parlamentum *insectatur*, *ut* facile est judicare, toto opere pensato & cognito: in quo conatus illius satis sese ostendere legenti non obscurum est: Reges enim nostros, & Regni nostri politiam subuertere conatur: eò enim licentiæ processit, eoque tendit tota illius oratio. Nam quid aliud possumus ex tam contumeliosa & procaci oratione *elicere*,

cere, in qua nihil præter injurias, & mendacia adfert, nihil quod ad salutem, nullumque morbi, si quis sit, remedium? Itaque existimavi frustra de Parlamenti nostri augusta & sacrosancta authoritate disserere, quam ego omnibus notam scio. Quare, ut ad Hotomanum redeam: ait ille, sub Capevingorum familia in Francogallia exortum esse Regnum judiciale, de quo propter incredibilem artificum industriam, & inauditam omnibus solertiam, illi dicendum videtur. At non te pudet, homo levissime, damnare artem, quam tu accepto pretio doces? Vocas ne artificium, juris civilis cognitionem? Quare ergo si de discipulis tuis tam malè sentis & arte & disciplina illa, illos ad te audiendum allicis inde stipendia, victum, quotidianosque sumptus paras? cur tutis discipulis imponis? vide ne tibi inuras maculam nullis seculis delendam. Magnæ enim levitatis signum est, quæ doceas reprehendere & improbare. Sed fortassis artifices, non artem, damnat.

Audiamus ergo, quid culpandum censet. Quòd, inquit ille, ab hinc trecentis fere annis, eorum solertia non modò publici concilii authoritas propè oppressa sit, verùm etiam omnes Regni principes, atque Regia majestas amplitudini suæ parere cogatur. Atqui superioribus à te dictum fuit, etiam Capevingis concilium hoc authoritatem suam retinuisse, suámque vim maximam tempore Ludovici xj. ostendisse. Bene itaque dictum, Mendacem esse memorem oportere. Non ergo à tanto tempore Regnum hoc judiciale, quod tu, imitatus *Rabelasium*, vocas, vires suas patefecit, at numerum ille damnat: nam ut *ille ait, in oppidis in* quibus illius Regni sedes positæ sunt, in iis tertia fere civium & incolarum pars, tantis excitata præmiis, ad illius se artis tabulariæ studium ac disciplinam applicavit, ut Lutetiæ cuivis licet animaduertere, cujus tertiam partem dicit esse eorum, qui artem illam pragmaticam & litigatoriam factitant. At utinam nullæ essent lites: ita *enim*

iniri

iniri posset ratio, ut qui in iis dirimendis sese & vitam addicunt & mancipant, pauciores essent, cùm necesse sit in civitate in qua morbi non sint, paucos esse medicos. Sed Francogalli avidè lites amant, & hoc à majoribus suis Gallis, per manus acceperunt. *Cæsar* & ipse *Marcellinus* eos vocant gentem avidam litium, inde natum existimo quòd dicitur, *Gallia causidicos docuit facunda Britannos*. Hoc Francogallorum sit vitium, non laudandum per se, sed si cum exteris compares, certè levior noxa erit. *Vnicuique dedit vitium natura creato.* Habet unusquisque populus quod culpandum sit, Græci mendaces, Hispani elati & vani, Germani epulones & ebrii, & sic de cæteris. Sed audi Hotomane, fateor certè numerum majorem, quàm fortassis necesse esset, non tantum reipub. sed iis etiam qui nomine tenus artem istam profitentes, nec sibi nec patriæ prosunt: eos ego cum Catone vocarem libenter, desides toto die, otiosos & oscitantes. Quòd si artem litigatoriam, sive, ut

 Plato,

Plato, disceptationem judicialem reprehendis, erras toto cælo: prius explodendę erat lites, ut hujusmodi functionibus amplius locus non esset: id enim est, ac si censeas medicos expellendos, quasi illi morbos hominibus ingerant, profer nobis prius artem quæ lites arceat, intelligo earum ingressum, certè legislatoris permagni nomen tibi jure vendicabis, & hujusmodi rabulis (ita magnam discipulorum tuorum partẽ vocas) os obstrues: sed si hoc in tua potestate non magis sit, quàm perturbationum minimam tollere, quid ergo habes quod te torqueat? quare tãtopere adversus patronos causarum, & advocatos, mox adversus judices insurgis? audi *Platonem* qui te melius novit ferre leges: ait ille *l. 11. de legibus:* Verùm cùm multa in vita hominum bona sint, pluribus eorũ, quasi quædam diræ calamitates insident, quæ maculant illa atque coinquinant: judicialis autem disceptatio, judiciumque cur homini bonum non est, quod omnia humana mansuefecit?

fecit? Atqui cùm disceptatio talis bonum sit, cur & adesse in lite alicui, & causæ justæ favere, bonum non sit? æquius certè ille, qui cùm viderit, nulla lege calumniis hominum obviam iri posse, remedia illa posuit, nempe disceptationẽ & judicium, quibus adversus homines, hominum patrocinia adjecit, tanquam necessaria, ne, ut dicitur, parui pisces majoribus essent esca. Nõ ergo improbanda sunt judicia, nec judices sine quibus ea exerceri nõ possunt, nec juridici, practici, pragmatici, patroni, & similes, qui pars magna judicii sunt, & ut à jurisprudentia Romana probè nosti, sine illis nõ constat. Adiicit Hotomanus: Itaque summus in ea pragmaticorum conventus, qui purpuratus Senatus dicitur, tantarum opum tantæq; dignitatis est, ut quemadmodũ Iugurtha de Senatu Romano dixisse fertur, Non jam Consiliariorũ, sed Regum ac Satraparum consessus videatur, quippe cùm in illum allecti, quantumvis abjecto loco nati, tamen paucorũ annorũ spatio regales prope

opes

opes ſibi concilient. hîc etiam impudenter Hotomanus impegit, dum Jugurtham pro Cynea nominat. At Hotomane, rogo deponas bilem; ubi illæ opes? nudarem ego Senatorum multorum, non faſtum, ſed tenuiſſimas opes, quorum tamen tenuitas victus, probitas, & ſupercilia humum ſpectantia, illos commendant, ut pios ac verecundos: proferrem ego, ni odioſum omnibus eſſet in alienas facultates & opes inquirere, multos collecta ſtipe, aut alieno ſumptu funeratos, ut de illis veteribus Romanis, quibus virtus non divitiæ in pretio erant, refert *Livius*: & tamen nunquam vidi, niſi ab iis quibus, ut inquit *Saluſtius*, opes nullæ ſunt, qui bonis ſolent invidere, divitias vitio dari. Sunt certè divitiæ, ut ad malum, ita ad bonum maximum inſtrumentum, quemadmodum in *dialogo de divitiis*, quem *Platoni* tribuunt, Socrates differit. Non eſt ergo quod divitias noſtris Senatoribus obiicias, quæ ſolent, ut multi volunt, à ſorde judices avocare: neque paupertatem,
quæ,

quæ, ut *Seneca* vult, maximum sæpissime bonum est. Nam quod tu nugaris de coacervatione opum, ab abjectis illis, postquam allecti in illum Senatum sunt, ista propria delatoris cujusdam, & calumniatoris sunt. Dicerem quod Gallum Asinium dixisse refert *Tacitus lib.2.* auctu Imperii, adolevisse etiam privatas opes: sed audi, hoc habet Francogallia, habuit, & habebit perpetuum, ut etiam infimo loco nati, virtute possint clari evadere, & honores majores in hac nostra bene constituta repub. assequi, & obtinere. Sed quis est Hotomanus ille tam superciliosus, qui omnibus, nisi solis natalium splendore gloriantibus, deneget ad rempub. aditum? & debebas meminisse hoc in omni repub. bene constituta semper servatum, maximè in illa Romana, iis præsertim temporibus quibus virtus in pretio erat, nec algebat probitas. Sic M. Scaurus carbonariam dicitur exercuisse: Marius satis obscuro loco natus, Consul vij. fuit, cui aliquando à Lucullo, cùm missionem peteret,

teret, responsum fuit, satis superesse temporis ad consulatum sibi & filio petendũ. Ciceroni suorum obscuritas à *Salustio* obiicitur, hoc ille gloriæ ducit. Themistocles ille magnus, civis quidem Atheniensis, sed obscuris parentibus, & ut refert Plutarchus in ejus vita, medii ex matre generis. Quid externa? quæ tam frequentia sunt, ut eorum commemoratio aliud Theatrum vitæ humanæ posset superare? Nostra verò nota sunt, & fortassis narratio eorum odium pareret, quod qui tollere de repub. nititur, virtutem è medio tollere vult, quæ istis fovetur & alitur *alimentis*: Honos enim, ut dicitur, alit artes. *Numerat Hotomanus* Parlamenta nostra, ipsumque magnum Consilium, mox Judices præsidiales in singulis Provinciis, pugnas, controversiasque urbium invicem, dum quælibet hujusmodi consessus ad se trahere tentat. Non ergo tam magnum malum est, ut tu falsò dicis: alioquin, quis tam avidè illi inhiaret? quis malum quærit? quis sibi perniciem

ciem parat? quis interitum? Quod tu ergo malum vocas? At ille patriæ amantissimus dolet quòd, ut inquit, maximus gentis Gallicæ numerus in litibus & calumniis exercendis, & forensibus scriptitationibus operam consumat: fortassis velles illos locare operas suas ad trucidandos & jugulandos homines, ut solent quos tu probè nosti. Rogo dicas mihi, si malum hoc litigare sit; ut malum esse negare (ne me adeò impudentem existimes) nolim, nonne pejus est hominem occidere, idque mercede, urbes alienas diripere modò pro Rege, modò contra, arma capere, ut faciunt quos tu lubẽter amplecteris, laudas, & illis adularis? Dices fortassis, in delictis non faciendã compensationem. Sed tu qui tam gravis es censor, aufer ex tuis malum illud majus, facilè festucam excutiemus. Cæterùm quod de nomine Parlamenti Hotomanus disserit, de re nota lippis & tonsoribus disserit: quod verò ait, cùm authoritatem concilij Capevingi minuere molirentur, augustum illud nomen

nomen Parlamenti in illum Senatum transtulisse, ad suum sus ille redit cœnum. Ego existimo dictum Parlamentum per metonymiam, ut jus dicitur locus in quo jus redditur. At utinam Augustissimi illius Senatus authoritas, tam illibata & inconcussa foret, ut fuit antiquis temporibus, certè melius nobiscum ageretur. Sed inquit *Hotomanus*, modò harum, modò illarum partium quicquid potestatis, imperii, authoritatis, penes publicum concilium erat, id totum Senatus ille subdititius sibi usurpavit. Quod si verum est, non ergo labefactata est à Capevingis *hujus* tam à te cantati & prædicati *concilii authoritas*, imò *verò vires* suas adhuc retinet: ex *quibus* colligere possumus, falsum esse quod à te superius dictum fuit, Reges nostros Capevingos sustulisse omnem disciplinam, & omnia pro arbitrio gessisse, si sint qui leges Regias probare & improbare possint, ut verum est, & tu fateris: ais enim cùm de authoritate nostri Senatus obgannis, primam esse,
quod

quòd nulla lex Regia, nulla constitutio rata est, nisi cujus illi Consiliarii sunt: hæc sunt verba tua, authores comprobatoresque sunt. Vide Hotomane quam malè tibi constes. Sed admittamus ita esse, potes ne ex eo aliquid notare & reprehendere? nonne vides hujus Senatus authoritatem necessariam, tanquam, ut ex *Sesellio* diximus, aliquid tertium inter Regem & populum? non te pudet, omnium levissimè, improbare, quòd omnes probant? ecquis est mortalium qui non miretur hujusmodi politias, quæ ita sunt constitutæ, ut jure liceat & de principibus, regulis, magistratibus & optimatibus, infimo cuique questum iri, cum Rege æquo jure litigare, & jus suum exequi? esse ne potest aliquid sanctius in toto orbe? Audi, licetne subdito Germano adversus Principem suum Germanum, ubi non jure, sed manu plerunque agitur, litigare, ubi voluntas Domini pro lege habetur? quid de Regnis exteris, in quibus quod Principi placuit, lex semper fuit?

Cessa, per Deum, ridicula ista & inepta proferre, dignaque potius *Rabelæsio* Epicuro, quàm viro gravi & alicujus judicii. Melius Itali, melius ipse *Machiavellus*, qui diuturnitatem nostri Regni (superat enim ætate, duplo, omnia quæ in toto orbe fuerunt, sunt, eruntque.) Senatui huic tribuit: nec mirum, si tanquam ad sedem Astreæ illius virginis, quæ è cœlo ad nos solos devolavit, Reges nostri piissimi, & illius cultores diligentissimi, Basilicam illam regiam opere magnifico extruxerint, illique, quod majus est, sese summiserint, ut *Leo* ille *Atriensis* testatur: in quo majorem gloriam illos consequutos existimo, quàm si armis Imperium totius orbis sibi asseruissent; quid enim est vincere, si justitiam tollas? nam leges eas esse veras, non quæ ad bellum, sed quæ ad justitiam respiciunt, *Plato lib.* 1. *de legibus* docet: Legislator, *inquit* ille, ita leges condere debet, ut non aliud, quàm ad amplissimam semper virtutem respiciant: is enim, ut *idem inquit lib.* 3.

Beatus

Beatus non est,sed miser, qui injustus & contumeliosus est, etiam si sanitatem habeat, & divitias, perpetuamque tyrannidem, invictasque præterea corporis vires, & animositatem immortalitatemque possideat, nihilque ex iis perpetiatur, quæ vulgo mala dicuntur; multos enim, ut *ait ille eodem lib.* 1. mercenarios inveniri, qui externo in bello intrepidè pugnant, quorum plurimi feroces, injurii, contumeliosi, paucissimisque exceptis, omnium amentissimi. Itaque consultissimè Reges nostri, quibus hoc Salomonis semper curæ fuit, Per me Reges regnant: tam amplam sedem delegerunt, qui etiam in templis fuerunt semper magnifici, Religionem, pietatem ac justitiam ęqualiter colentes, tanquam duo fundamenta certissima & firmissima, sine quibus nullum Regnum, nullaque respub. diu stare posunt: sciebant & noverãt quid prioribus principibus acciderat, de Merovingis & Carlovingis loquor, dum multa per contumeliam subditis in-

ferunt, quibus familiare fuit, ut coactus dixi, edicta sua, quamvis injusta, membri amissione & oculorum evulsione sancire. At proh dolor, quæ causa est, cur invideas amplissimas istas ædes & augustissimas nostris Senatoribus, Magistratibus & Judicibus? Quid de te *Plato lib. 6. de legibus*, qui juxta templa, Magistratuum, Judiciumque, *palatia* struere jubet? Partium, *ut inquit ille*, tanquam judicantium Deorum ibi sint delubra. Non erubescis damnare, quod omnes, etiam barbari, probant? Quare ergo nobis proponis Ægyptias *Herodoti* fabulas, & similia, quæ propria sunt, ut jam dixi, cujusdam Epicuri, cùm de re seria sermo sit? At verò quæ de hujus Parlamenti origine ait Hotomanus, & an illius mentio aliqua sit in legibus Caroli Magni, & similia, magis suam detegit impudentiam, quàm doctrinam: quid enim opus est hujusmodi legibus, quæ an fuerint Caroli Magni, aut alterius legislatoris, ambigitur? Et si fuerint, penitus exoleverunt (ne de earum æquitate aut ini-

iniquitate dilleram) quæ certè magis erant leges hominum agrestium & ferocium, aut militum, quàm Philosophorum; tantum abest, ut nostris æquari possint, quemadmodum lector judicare poterit earum lectione: ab hinc enim duobus aut tribus lustris typis mandatæ sunt, à quedam antiquitatis studioso, non tamen ad eruditionem. Itaque sufficat monuisse lectorem, nil sanctius justiusve inveniri posse in toto orbe ista nostra politia, & institutis, ut res ipsa indicat, & si locus hic postularet, & res longiore non egeret oratione, comparatione cum externis politiis facta, certè Hotomanus cogeretur discedere à tam mala & perperam concepta opinione. Nulla enim melior nostra, bonorum omnium judicio, inveniri poterit, licet adducas innumeras Germanas: ibi enim multæ sunt toparchiæ, & dynastiæ, ut dixi, & totidem politiæ: & si quid ætas nostra immutavit, ut res humanæ se habent, vel si in hoc cœtu videamus quosdam assumptos, & in dies

assumi, contra morem majorum, & fortassis malis artibus, ut veritati locus sit, nihil hoc ad institutum tam pii & sancti Senatus pertinet: & si quid hac parte, licentia temporum peccatum sit, id uno momento, repub. nostra seditionibus vacua, purgari poterit, Rege nostro piissimo & justissimo, non ad bellum, quo omnia humana & divina pessum eunt, sed ad pacem & justitiæ cultum animum adiiciente, ut breve, Deo propitio, speramus. Nõ est ergo, cur *Budæum* virum omnium doctissimum vitia sui temporis culpantẽ in jus voces: ille nec tibi nec tuis suffragari poterit: dolebat vir pius & ægre ferebat ignorationem & ignaviam suorum temporum: & certè ne videar velum veritati iniicere, non sine causa execrabatur, ut omnes boni execrantur, litium multitudinem, earum propagationem illis tribuens, quorũ fortassis magna pars lites ex litibus serebat: id ad probos non pertinet, nec institutum vitiat, quod iterum cum *Seselio* & omnibus bonis pium & sanctum assero.

aſsero. Sed audi Hotomane, qui originem litium & ſycophantiarum ſemen (quo certè Gallia ſcatet) Papæ Clementi V. & juris Civilis & Canonici interpretibus tribuis, propone nobis aliquod remedium huic morbo, in toto orbe Chriſtiano frequenti, & in Gallia frequentiſſimo: propone, inquam, & te audiemus: alioquin quid juvat tantopere ululare adverſus lites, & clamore ſuperare Therſitē? Certè inſanientis hoc eſt, non medentis. Ne quæſo detegamus pudenda patrum: illi certè ſcierunt, &, ut ferebāt tempora, litibus mederi nitebantur. Atqui litigare, ut dixi ex *Cæſare* & *Marcellino*, nobis adeò frequens & dulce eſt, ut Barbaris ad occidendum, trucidandū, & rapiendum aliena bona, accepto argento operas ſuas & induſtriam locare: cogis me pandere & poſteritati mādare quæ ſubticenda ſemper duxi. Dicit prætereà Hotomanus: At tempore Caroli Magni nō erant parlamenta, ergo nullę lites, aut ſaltem paucę nempe jus erat in armis. Tantus n. illis tempo-
 ribus

ribus fuit nobilitatis fastus, ut cæteri mortales, quos Romani paganos vocabant, illi servire cogerentur, essent nullius pretii, ut nullius olim erant, *Cæsare* authore, *lib. Commentariorum sorum 6*, ubi ille ait; In omni Gallia eorum hominum qui aliquo sunt numero atque honore, genera esse duo: nam plebs penè servorum habetur loco, quæ nihil audet per se, nulli adhibetur consilio: qua in servitute & Merovingis & Carlovingis plebs detinebatur, ut ex *Turonensi & Aimoino* satis constat; non ergo licebat illis adversus tam graves Dominos lites movere; in his enim, ut inquit *Cæsar*, eadem omnia erant jura, quæ Dominus in servos: à qua tandem servitute *liberati* sunt beneficio Capevingorum, quibus semper peculiare fuit, Justitiam colere, nulla personarum habita ratione: non est ergo, quòd paucitatem illam litium moderationi horum principum tribuas, quos fuisse pios & justos nemo negabit. Sed rursus ait Hotomanus ex *Jonvilleo*; Tempore divi Ludovici paucæ erant lites: fateor; tunc nulli aut pauci

pauci erant seditiosi: jus princeps ille pius dicebat, & cæteris mandabat. Sed postea litibus crescentibus, auctus fuit numerus judicantium, & quod Reges per se non potuerunt exequi, judicibus mandarunt, quos statarios ob id fecerunt, ne tam gravibus sumptibus litigantes premerentur, si coram Rege & in ipso comitatu Principis lites persequi coacti fuissent. Sic historiæ Romanæ ajunt Romulum, primum Romanorum Regem, judicare solitum, quædam aliorum judicio permittere: ejectis Regibus, Consules eorum loco suffecti judicabant, ut refert *Livius lib.* 2. quorum Imperium imminutum postea fuit, creatis xvj. Tribunis plebis; adeò, quantum ad politias attinet, res humanæ mutabiles sunt & inconstantes. Sed cùm viderent etiam opus esse magistratu, qui absque provocatione necis & vitæ potestatem haberet, Dictator creatus est: inventi præterea multi alii Magistratus, nempe Prætores urbani & peregrini, quorum nunquam fuit certus

numerus:erant Ædiles: mox aucta repub. & auctis negotiis, alii minores magistratus additi sunt, Triumviri nocturni, monetales, agrarii, capitales: & in nostris libris mentio fit judicii centum viralis, imò ipsum Senatum Romanum jus aliquando dixisse testatur *Tacitus.* Sed longius vagari me cogit Hotomanus, quàm decreveram: itaque, ut ad eum redeam, Nihil tempore Ludovici factum quod posteri Reges non factitarint, quotiens bellorum fuit vacatio: id faciebant Carolus v. & vii. Lud. xi. & xii. & post eos Franciscus ille I. literarum parens, Henricus filius; fecitque Carolus ultimus tanta dexteritate & acumine ingenii, ut nihil suprà. Ait præterea Hotomanus, hujus Parlamenti Regem authorem esse, ad eumque cogendum rescripta quotannis 2. Idus Novembris mitti à Principe: quod verum est: quem enim alium authorem habere posset, nisi eum qui lex est? ut ait *Aristoteles*: non tamen illa ratione qua utitur Hotomanus, rescriptum illud annuum

de

de cogendo Senatu mittitur, alia est ratio mihi nota. De constitutione Pulchri, qua cautum fuisse ait Hotomanus, ut in Parlamento trifarii generis sederent Prælati, Barones, & mixti Clerici cum laicis, & laici partim ex Equitibus, partim ex promiscuo genere hominum deligerentur: non planè observavit Hotomanus usum loquendi istorum temporum, non enim Clerici dicebantur, quemadmodum jure pontificio vocantur: sed Clerici, id est juris periti, ut ex ipso *Froissardo* manifestum fit, qui sæpissimè refert, Regem misisse unum Clericum Parlamenti, unum Clericum eorum qui rationibus expungendis præficiuntur: sed hæc logomachia curiosis relinquatur: fuisse autem vicissitudine temporum formam illam mutatam, & cautum ut non assumantur & aptentur ad cœtum illum, nisi qui eruditione & virtute pollerent, sine aliquo discrimine, id non sine ratione factum fuisse, nemo est qui nesciat: & utinam quæ hac de re instituta & sancita
pro-

probè ſunt, Aulicorum quorundam nequitia non fierent irrita, certè ſtaret Reſpub.nec fortaſſis tot ſedionum procellis agitata fluctuaret. At res humanæ ita ſunt comparatæ,& ita rerum omnium ineſt quædam viciſſitudo, ut quemadmodum temporum vices, ita & morum vertuntur,ut inquit *Tacitus*, Itaque, ut finem faciam, plura infinitaque præteream quæ dici poſsent; Nolo negare multa eſse immutanda, quæ iniquitate temporum irrepſerunt in noſtram rempub.vitia enim virtutibus immixta ſunt, & illas ſecum trahunt: nolo inquam negare, majorem eorum artificum qui lites ſectantur numerum eſse, quàm ſit è republica, quos vivere aliena ſubſtantia & ditari non inficior, ſed emendare non eſt facile: nam, ut eſt apud eundem *Tacitum,lib.*3. Corporis morbos veteres,& diu auctos,niſi per dura&aſpera coerceas; corruptus ſimul & corruptor æger & flagrans animus, haud levioribus remediis reſtringendus eſt, quàm libidinibus ardeſcit: & ſi velis quod

non-

nondum vetitum eſt, timeas ne vetêre. Olim parſimonia pollebat,quia ſibi quiſque moderabatur: itaque nos pudor, pauperes neceſſitas, divites ſatias in melius mutet. Non eſt novum, nec Hotomanus primus eſt, qui adverſus cauſarum patronos invectus eſt. Silius Romæ Conſul Tiberio imperante multa ad hanc rem & graviora dicit,ut idem *Tacitus lib.* 11. Ab iſtis enim,*inquit ille*,inimicitias,odia,& injurias foveri, ut quomodo vis morborum pretia medentibus , ſic fori tabes pecuniam advocatis ferat: ſed illi reſponſum fuit , neque Eloquentiam gratuitò contingere: omitti curas familiares, ut quis ſe alienis negotiis intendat: multos militia,quoſdam exercendo agros tolerare vitam: nihil à quoquam expeti,niſi cujus fructus antè providerit. Plura etiam *Marcellinus:* majora *Plato*:Sed ut à me ſuprà dictum eſt,quia lites ſunt in Gallia frequentiſſimæ, & Hotomanus nullum remedium earum dirimendarum profert, iſtis carere non poſſumus, quorum

uſum

usum pernecessarium norunt qui experiuntur: ne quis, ut dicit *Tacitus*, inopia advocatorum potentioribus obnoxius sit. Plura ego, sed quia non est nostri instituti, hæc sufficiant. Ex quibus manifestum esse omnibus existimo, ut superius diximus, totam Hotomani orationem plenam esse seditionis, sycophantiæ, mendacii, rebellionis: nihil in ea pium, nihil homine Christiano dignum, nihil denique præter verborum fucum. Nostra verò fortassis minus elegans videbitur: quia, ut inquit *Plato, lib.* 1. *de legibus*, hoc non agimus, ut elegantiam vel ruditatem verborum observemus, quod multi facere solent: sed ut recta ratione errorem detegamus, eumque tollamus: veritate tamen nititur, qua superior futura est: nam ea oratio quæ veritati dat operam, incomposita debet esse & simplex. Proinde ut tandem finis nostræ Responsioni imponatur, licet non desint, quibus aliena carpere quàm sua edere sit facilius, ut impiis multa ad convician-
dum

dum & calumniandum in promptu esse non dubito: ita piis (iis enim libellum meum dicatum volo) non pauciora ad cavendum superesse scio. Quibus si hunc laborem meum (quem reipublicæ causa suscepi) placere sensero, abundè mihi satisfactum esse, omnibus testatum volo.



IN



IN HOTOMANUM ET EJUS FRANCOGALLIAM, Jo. Combellei apud Arvernos Præsidis.

SUPPOSUISSE *nothos partus, atque impia mentis*
Semina cùm spargas, non, Hotomane, pudet?
En tibi qui fucos aperit Matharellus, & ipse
Te patrem, ille tuus filius ore refert:
Francogallorum mentito nomine, motus
Augere (exorta seditione) paras.
Sic Catilina suos voluit suadere Quirites,
Dum strueret patriæ tristia damna suæ.
At Reges coluisse suos, non ultima laus est
Gallorum, atque illis insita certa fides.
Hosce tuos mores, Gallos? Quis deniq; Gallum
Te putet? Atque utinam mens tibi Galla foret.
Vos igitur Galli, externum ne admittite librum,
Sed nec & authorem, cùm sit uterque nothus:

Sic

Sic nec Hoto posthac dicaris, sed Nothomanus:
Tuque liber, Falso gallia, nomen habe.

AVGVSTINI PREVOTII, Regis senatusque amanuensis & à libellis, Carmen in laudem Responsionis ANT. MATH. Arverni ad Franc. Hotomani Francogalliam.

POstquam civilis temeraria prælia motus,
Et cumulata novis sunt nova fata malis,
Alterna tandem sperabat pace potiri
Gallia, natorum cæde cruenta parens:
Cùm passim dirum effundens, Hotomane, venenum
Horrisonam reparas rursus ad arma tubam.
Historiæ specie tragicum mentite furorem,
Gallica in extinctas spargis in arva faces.
Vilia ventosi populi suffragia laudans,
Regali hæredem deiicis è solio.
Et modò supremos audaci voce Senatus
Sordibus immersos divitiisque fremis.

Deniq; pro veris vanissima somnia miscens,
Grande nefas mira calliditate tegis.
Ingrati contra crudelia vulnera alumni
Poscebat medicam patria læsa manum:
Ocyus exurgens Alcides Gallicus alter,
Divini vires exerit ingenij.
Doctaque facundus Matharellius ora resolvens,
Conficit artifici noxia scripta stylo:
Inclyta magnanimæ melius primordia gentis,
Et veteres ritus juraque avita docens.
Qualiter oppositas Titan pulcherrimus umbras,
Densaque flammivomis nubila pellit equis.
Turpia veridicæ retegunt mendacia chartæ,
Candida fucatum pagina vincit opus.
Dii facite ut positis concordi fœdere bellis,
Induat antiquum Gallia nostra decus:
Auctorisque pii longum celebretur in ævum
Nomen, & æterno dignus honore liber.

LEONICUS POEMENIUS I.C. in commendationem Scriptoris.

Hujus

HVjus in Authoris meritas erumpere laudes
Qui volet, exiguum non meditetur opus:
Nam sibi propositum sic vulnerat eminus hostem,
Sanet ut appositis absque cruore notis.
Dum patrios ritus, leges, ac jura tuetur,
Militiæ sequitur tutius arte genus.
Pro patria pugnans, patriæ plus proderit unus,
Quàm ferro hostiles qui populantur opes.
Arma togæ cedant igitur, jam palma Minervæ
Detur, & ex calamo lecta corona juvet.

G. CASTELLOCLARI IN senatu causarum patroni.

BElla manu, lethumque gerens, furialis Erynnis
Per populos latè primùm bacchata feroces,
Cærula Danubii ac Rheni qui flumina potant,
Subsedit nostris, eheu, infœlicibus oris.
Hinc contempta jacet Regum veneranda potestas,

Quæ stetit incolumis multis res Gallica seclis.
Hinc conjurati patriam rescindere cives,
Infidas armant fraterna in funera dextras;
Aut passim latos vastant cultoribus agros,
Aut miseros cingunt, obsidione, penates.
Proh scelus indignum, cur impia vertitis arma
In Patriam & sævo miscetis cuncta tumultu?
Vos mater, gravida hîc primùm gestavit in alvo,
Hîc primùm dulces hausistis luminis auras,
Quem furiis agitati funditis ecce cruorem,
Cognato vobis cruor est de corpore ductus.
Parcite, per, si qua est pietas, immanibus ausis,
Nec patrias verbis leges temerate nefandis,
Vellite nec priscum decus inviolabile Regum,
In terris aliud quo non augustius ullum:
Ab Iove sunt Reges, regni ducuntur ab illo
Patribus à primis ad seros sceptra nepotes:
Spem licet ex tam multis una aut altera fortè
Degener antiquis soboles mentita fefellit.
Sed tam, ô Reges, antiqua ab origine gentis
Tradita sceptra quibus longo sunt ordine avorum,

Nec

Nec sanctam violate fidem, nec libera jura:
Nam pulchrum vitam pro libertate pacisci
Tunc populus ducens, furit, & fera fertur ad arma,
Præceps, hybernis tumefactus ut imbribus, amnis
Oppositas sternens, violento gurgite, moles,
Funditur, & noto jam non se continet alveo.
Denique debentur pœnis ultricibus omnes,
Qui sævos populis sese exhibuêre tyrannos:
Et fas, atque nefas, vertere ut cuique libido.
Hæc tua mens, scriptis hæc est sententia doctis,
Rara fori, Matharelle, & secli gloria nostri,
Queîs patriæ temerè, non jura movenda tueris.
Ex quo tu merito æterna celebrabere fama,
Donec sanctus honos Regum laudesque manebunt.
Dij tibi dent, HENRICE, *feros compescere motus,*
Et comitata tuos fœlix Concordia gressus,
Dum nova nunc solio figis vestigia avito,
Dulcia restituat pacatis ocia bellis:
Sic quando densa caligine nubila cælo

Ventus agit, vastum & Neptunus concutit
æquor,
Exoriente Helenæ tranquillio sidere fratrum,
Æquora mota silent latè, fluctusque recumbunt:
Pallidus extemplo nautis de pectore terror
Pulsus abit, lætæ volitant pelagoque carinæ.

JOAN. PISSEV. YSSIODOR. ad Ant. Matharellum. V. C. Carmen.

QVòd solus solers Augustæ munera tractas,
Quando opus arguto reddere jura foro:
Hic tibi conspicui primus sit fructus honoris,
Sunt tamen hæc meritis cuncta minora tuis.
Sanctarum siquidem calles ænigmata legum
Quin & cauta fori retia, decipulas.
Non pia te fugiunt priscorum dogmata patrum,
Nec veterum sacri Pontificum canones.
Restat, quæ tanto studio multoque labore
Parturis, hæc nobis jam latitare domi.

Ergo

Ergo age rumpe moras, vanumque omitte timorem,
Ingenii pereant ne monimenta tui.
Tu specimen nobis isto, Matharelle, libello
Edis praeclarum, quid valeant humeri:
Dum conjuratum, prostras faeliciter hostem,
Indixit bellum qui patriae & superis.

IN RESPONSIONEM ANtonii Matharellii arverni, Reginae Matris à rebus procurandis Primarii, Joannis Bonefonii Arverni Carmen.

Nescio qui gelidum Rheni projectus ad amnem
Exul, in augustos Reges sacrumque Senatum,
Mille venenata vibravit sibila lingua:
His populum aucupiis mulcens, cùm indigna profanum
Audiat in Proceres vulgus maledicta libenter.
Cui tamen incauto obtrudit mendacia mille,
Historiae specie, nugas commentus aniles.
Impius, immeritos qui sic Regesque Patresque

Vulneret, an demens ficto qui tegmine fraudes
Posse latere suas & inania somnia credat?
Quæ subito advertens noster Matharellius, arte,
Ingenioque sagax, animum sub vulpe latentem
Detexit, vanus ne quem seduceret error.
Non indigna tamen maledicta refundere in illum
Nec placuit dentem mordaci rodere dente.
Illa decent animosque leves, rabiemque caninam.
Sat fuit arcanas in vulgus promere fraudes,
Majorum melius ritus & jura docentem.
Quantum nostra tibi, Matharelli, Gallia debet,
Qui confers omnes in publica commoda curas?
Cui non ulla dies, nec vitæ deperit ulla
Portio: das studiis, causis quodcunque recedit.
Nec tibi sola tuis ut consultoribus adsis,
Et caveas, cura est: populis quoque cura docendis
Est tibi victuris æterna in secla libellis.

IN



IN ANTONII MATHArelli responsionem ad Franc. Otomani non Francogalliam, sed Francocalumniam.

QValis Aloiadas fratres furor impius egit,
In sua conari mittere vincla Iovem:
Mercurius vinctum vafra quem solvit ab arte;
At sceleris vindex factus uterque sui est.
Nam mutata Deam cervâ Diana fugaci,
Illorum ante oculos dum nova cerva fugit:
Ambo conjectis per mutua vulnera, telis,
Errore errorem ritè luere suum.
Talis & ecce novos, hinc Otos, hinc Ephialtas,
Fert furor in Reges à Iove progenitos.
Nam quis Aloïadas Græcorum voce vocatos
Nesciat errantis nomen habere Patris?
At vi regnando dicta quis ab Iphimedîa
Non videat vitium matris habere suæ?
Nam quòd & in superos hastas jacerent, Ephialtas

Fabula non ficto nomine ficta vocat.
Vulnera quòd facerent Oti de vulnere dicti,
A quibus Otomanus nomen & omen habet.
Otomanus nomen vesania cui dedit Oti
In Regem ausuro stringere tela suum.
Scilicet ut vinclis (si Diis placet) alliget illum,
Cui jus regnandi Lexque, Deusque dedit.
Lex in regna mares succedere quæ jubet olim,
Quam Deus & signis comprobat usque novis.
Nam quoties sacro Rex purgat ab ulcere, Regem
Legitimum toties hunc Deus esse probat.
Sed qui vera negant miracula, posse negare
Non mirum est Regē, posse negare Deum.
Et quia vincla Iovem non in sua mittere possunt,
Pro Iove nunc Regem velle ligare suum.
Nunc quoque Mercurius, Matharellus, callidus alter,
Ex Oti vinclis eripit ecce Iovem:

Oto-

Otomani vero mendacia teste refutans,
Assertor patrii juris, & Imperii.
Et bona semper avis, (si quid credatur Homero)
Tutari patriæ jura decusque sua.
Quod probat HENRICUS *Rex fœlicißimus unus,*
Dum pia pro patria Dux gerit arma sua.
Regis & exemplum tu nunc, Matharelle, sequutus,
Per tua quod facies clara trophæa ratum.
Auspice præsertim Regina Pallade bellum,
Huraldoque, iniens, auspice palladio.
Vt fuerat Martis quæ laurea, fiat & Artis:
Nam decet intonsum ramus uterque Deum.
Restat ut Otomano, pariterque novis Ephialtis,
Idem qui priscis, exitus eveniat:
Vt sese alternæ perimant errore sagittæ,
Fabula quod fuerat, fiat ut historia.

JO. AURATUS POETA REGIUS.

LUDO-

LUDOVICI AURELIANI IN Senatu causarum Patroni.

Afflicta sat erat patriæ, miseræque parenti,
Natorum rabiem, totiesque in crimina versas
Crudeles sensisse manus, sat vulnera mille
Visceribus subiisse suis, & robore multo
Prostratam propriis velut interiisse sub armis.
Expletum post omne scelus, postque omne nefandum
Quod potuit peperisse manus post omnia dira,
Post flammas, variasque neces, nihil insuper armis
Esse putabamus reliqui, nisi pectore toto
Viribus exhaustis optatæ insistere paci.
Proventu scelerum verùm nova prælia surgunt,
Dumque silet ferrum, lassataque dextera ferro,
Dum galcæ horrendo cristarum vertice pendent,
Atq; ensis, toties male fusi sanguinis author,
Ipse animus fera bella movet, martemque capessit

Mens

Mens hominum, nostrasque petunt (miserabile dictu)
Imperii justas armata volumina leges.
Fit calamus, fit charta nocens, fit perfida Gallis
Gallica desertrix Pallas, mentemque rebellē
Phœbus habet, pariterque suo cum fratre Camœnæ
Hostibus his nihil intactum, quod tempore longo
Sanxerunt leges, usus firmavit & ætas,
Quodque patres habuere ratum, & sapientia prima
Majorum, evertisse placet: non parcitur uni
Augusto capiti Regis, quærenda potestas
Est alia, arcendique procul qui jura ministrant:
Vtque fuit patriis laribus crudeliter acta
Gallorum Pietas, sic disturbanda vicissim
Iustitia est veneranda soror, quo cuique fruisci
Ingenio liceat, nullámq; agnoscere legem.
Heu! scelus indignum, quæ ferrea charta cruentas
Tam potuit perferre notas? quo vindice tandem

Illa manumissa est, nostrumque erupit in orbem?
Authorem dixisse nefas, sine vulnere nomen
Esse nequit patriæ, licet hunc studiosa Trebati
Commendet, Paulique domus, legumque Senatus,
Sed quorsum placuit veteres in publica damna
Authores armasse viros? quorsumve libellis
Quod fidei restabat adhuc subducere Regi?
Pontificem certè juris jura ipsa prementem
Inviti aspicimus, moniti præclarius esse,
Vix respirantis patriæ misererier, atque
Amplecti lassam bellis, mœstamque solari,
Quàm Musa hostili, funesta & Pallade, totam
Fœdare, & regni assuetos invertere vultus.
Non bene curatur morbi medicamine morbus,
Nec nisi damna potest damnosa inversio rerum
Confusumque Chaos miseris infundere Gallis.
Tu ne putas nostros ætati reddere priscæ

Posse

Posse viros? lapsam & regni reparare ruinam?
Imperiis certos fines, exordia certa
Fixit & ætates, qui Iuppiter imperat unus.
Sceptraque purpurea modò quæ viguere inventa
Debile nunc perimit senium, labuntur & annis.
Fiunt regna senes, & proxima funera lento
Fune trahunt, ægroque suo vix corpore sistunt.
Quæque semel fluxit nō est revocabilis ætas.
Gallica sic senuit virtus, liquefecit & ille
Consilii armorumque vigor, quo stante, trementem
Conspexere patres nostro sub nomine mundum.
Nunc casso fractoque seni quod fortè remansit
Imperio, est alia penitus ratione regendum,
Quàm dum substiterant juvenili in pectore vires.
Sic patriæ extremas tabulas & naufraga vela
Se regere afflictis quondam memorabat Achivis
Demades, Argivæ non ultima gloria linguæ.
Sic quoque Romuleæ facundia maxima gentis,)
Sepè

Sepè suum fertur dictis monuisse Catonem,
Quòd patria labente, suo nihil ille Quiriti
Parceret, austerus nimium, rigidusque satelles
Prisca uirtutis, jamiam per tempora lapsæ.
Sed quò transversum me carminis arripit ardor?
Mè ne tuam falce indocta succidere messem?
Non ita si sapiam, nec adhuc mihi tanta pusillo
Indoctoque homini, MATHARELLE, *audacia surgit:*
Hoc opus esse tuum agnosco hæc præcepta docere,
Cui Titan meliore luto præcordia finxit.
Aude igitur dignum Brutis, patriaque, tuoque
Munere, quod nostri laudent, relegant que nepotes.

FINIS.

